

UJA

AUTÓNOMA DE

GENERAL DE BIBLI

PA6278

.C4

1753

v.1

c.1



1080044463

6#2-6#A5



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



M. TULLII  
CICERONIS  
OPERA,  
In IX. Tomos distributa.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE VERACRUZ

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

M. TULLII  
**CICERONIS**  
OPERA,

CUM DELECTU COMMENTARIORUM,

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

TOMUS PRIMUS,

QUO RHETORICA CONTINENTUR.

Adjectis ad Oratorias Partitiones nunc primum  
Adnotationibus.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

PA6248

.04  
1753  
v.1  
c.1

M T U L I I

CICERO  
OPERA



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
CAPILLA ALFONSIANA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

MICROFILMADO Rollo-7

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS  
SUPERIOR PERMITA, ET PRINCEPIO

TYPOGRAPHUS

Le&ori.



NULLUS est ex omni litterarum genere scriptor, ex quo res libraria plus profecerit, quam ex Cicerone. Hoc uno, qui student, neque carere volunt, nec possunt. Ejus ego opera cum toties dederim modo separata, modo conjuncta, nunc brevi forma, nunc paullo majore, fructum cepi non poenitendum; quia semper curavi, ut quam nitidissima darem. Jam in eam quoque opinionem veni, ut commentariis ornata producam; & quidem iis, quæ hujus temporis famam occuparunt, scholasque tenent, ab Oliveto editis. Sed quia in celebri hac collectione Oratoriæ Partitiones ornatu omni atque adjumento carent, novas Jacobi Facciolati Annotationes adjeci: per occasionem autem ad ipsa quoque Philosophica illustranda nonnullas ejusdem lucubrationes Olivetanis commiscui. Illud præterea mihi concedendum puta-

putavi, ut earum ordinem mutarem; nec tam paginarum elegantiae studerem, quod typographi fecere Parisiensis, & Genevensis, quam legentium commodo. Porro autem, cum ego Ciceronem edere constituissem, non Palcarium, non Sigonium, non Valentiam, vel alios quantumvis elegantes Ciceronis imitatores, illa omnia praetermisi, quae Olivetus Ciceronis libris ad copiam addidit. Fortasse etiam sine illis nimis grandia volumina emptori videbuntur.



JOSE.

JOSEPHUS OLIVETUS  
LECTORI.

**P**OST impensum a tot ac tantis viris illustrando Ciceroni laborem, quid ego nova utilitatis afferam, operae pretium est declarare: ne quis forte aut expectet, quae dare nolui; aut, quae volui, non ex æquo aestimet. Res autem erit perspicua, modo id, quod praese fert titulus, explicetur. Primum indicat Ciceronis *Opera*: deinde *Commentariorum* in ea *delectum*. Quapropter de utrisque dicam.

Ac primo quidem de Ciceronis, ut vulgo loquuntur, *rexi*: quem representari quam probatissimum, ut praecipuae res utilitatis erat, ita difficultatis. Quam multis enim, quam deformibus mendis scateant veterum exemplaria, nemo nescit: & dolendum certe, haud mirandum est, cum toties a librariis exscripta sint, non incuriosis modo, quales jam aetate Tullii, de quibus ipse: quadam in epistola queritur; sed, quae posteriorum fuit temporum infelicitas, etiam imperitis.

Quoniam quid unos accusamus librarios, ubi ab alio hominum genere profecta sunt flagitia, quae graviori animadversione digna censeas? Abundabant isti quidem ingenio, ac doctrina: sed cum auctoris sensum a suis vel conjecturis vel ariolationibus pendere vellent, quaecumque non satis probabant, aut minus intelligebant, continuo immutabant: neque aliquando deerat pulverulenta ac lacere suffragatio membranae, qua se tuerentur; quippe nulla est lectio, sive praeva,

1. Ad Q. Fratrem, III. 5.

va, sive recta, quam non fulciat codex aliquis manu exaratus. Vulnera itaque & refricabant vetera, & infligebant nova. Ut quemadmodum moriens quidam de medicis dixit,

Πολλὰν ἰατρὰν εὐροδοὶ μὲ ἀπαύρομαι.

ita, teste Henrico Stephano, de scriptis suis exclamaturus sit Tullius, si reviviscat,

Πολλὰν διορθοῦσθαι ἑρπύσθαι μὲ ἀπαύρομαι.

Ac fuit tempus illud, cum, nisi coerceretur & regeretur hominum istorum audacia, paucis annis in Cicerone minima pars Ciceronis futura erat. Tum exorti sunt viri, non solum ingenio, verum etiam, quod magis expediret, iudicio excellentes: qui, ut in populari motu boni cives ad Capitolii, sic ad Ciceronis tuitionem experrecti, statuerunt eum accuratis editionibus, tanquam propugnaculis esse muniendum. Quod laboris onus maxime susceptum fuit ab egregiis quatuor Criticis, quorum nomina cum Tullio non magis, quam cum aternitate conjuncta sunt.

Princeps habetur, tam operis præstantia, quam superior, Petrus VICTORIUS, qui Ciceronem e Florentinis codicibus ita expressit, ut hæc editio sit etiam nunc aliis, quas tam multas a ducentis annis accepimus, castigatio. *Victorio uni, si Grævio, ut par est, creditur, plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliando studium posuerunt.* Reliquis cultum refert acceptum, sed Victorio salutem.

Paulus MANUTIUS, aliis adjunctis codicibus, præsertim Venetis, non infeliciter quidem hanc ipsam aliquanto post navavit operam: sed non eodem tamen plausu, quippe non eadem fide. Quamvis enim Muretò dubium videatur, *plusne ipse Ciceroni, an ipsi Cicero debeat*; contra dicunt tamen idonei

1. In Pseudocicer. pag. 228.  
2. Muret. Var. Lect. IX. 19.

3. Præfat. in Epist. ad Famil.  
4. Var. Lect. lib. I. cap. 6.

idonei testes, & deprehensam a se in eo clamitant *audaciam valde periculosam.*

Audacior certe Dionysius LAMBINUS, qui, tricesimo post Victorium anno, Ciceronem edidit: veterum non destitutus librorum copia, quanta Parisiensibus tum in bibliothecis erat: sed quorum auctoritatem & consensum haud raro contemneret. Itaque *librariorum errata non tollebat, sed Ciceronem ipsam, quando non satis commode locutus videbatur, corrigebat.* Tamen, cum in eo summa esset vis ingenii, & acutissime, quæ cæteros fugerant, plurima indagare & odorari soleret; non desunt, qui hunc nolint *3 fuisse minus audacem.*

Janus denique GRUTERUS, & Ciceronianam adeptus Jani Gulielmii suppellectilem e Belgicis maxime bibliothecis collectam, & plura ipse e Palatinis manu scriptis libris, quos ultra ducentos sibi præsto fuisse, ait, improbo labore decerpens, Ciceronem edidit *mille amplius locis 4 illustrarum, correctum, auctum.* Vellem hoc e Criticis quispiam dixisset, non Gruterus ipse. Quod autem Lambino tam sæpe obtrederet, tam raro assentiat, id forsitan arbitratus est pertinere ad aliquod gentis suæ decus. Ut ut est, hoc vere mihi videor dicere, cum ab utroque multa in Ciceronem exstent atque insignia plane merita, potuisse tamen plura existere, si, quod alteri supererat, habuisset alter; plusque veteribus membranis Lambinus tribuisset, Gruterus aliquanto minus.

Quæ cum ita sint, diu multumque dubitavi, quem ex illis quatuor hic ego potissimum sequerer ducem: & ad Victorium inclinabat sane præclara doctorum omnium de solertia ejus ac fide opinio. Quis tamen putet unum illum vidisse omnia; tres alios nihil? Victorio, fateor, salutem debet Cicero: an etiam integritatem, ac valetudinem? Hominesne ingenio præstantes, literis excultos, neque in veteribus illis

Tom. I.

b

mem-

1. H. Stephanus, Pseudoc. p. 59.  
2. Muret. Var. Lect. XVIII. 7.

3. Pseudo, in lib. I. de Orat. cap. 38.  
4. Gruter. Præfat. in Cicer.



membranis tirones, persuasisse sibi in exornando illo aliquid posse post Victorium effici; in eam incubuisse curam singulari studio, assidua contentione, immenso doctrinarum apparatus; neque tot vigiliis ac laboribus profecisse quidquam? Itaque non debui applicare memet ad unum aliquem, reliquis omisis: sed posteaquam editiones quatuor summa cura & diligentia recognita & collatae sunt, ego leges mihi duas imposui. Alteram, ut nunquam, ubi congruunt, ab earum consensu vel latum, ut ajunt, unguem recedam. Alteram, ut quotiescumque dissident, nihil in contextum admittam, quod non occurrat in earum aliqua: tum aliarum varietates magna fide lectori annumerem. Qua ratione id mihi consecutus videor novæ utilitatis ac propriæ, ut principes quatuor, easque laudatissimas editiones una hæc representet.

At enim, inquis, abstineri a codicibus manu scriptis non oportuit. Equidem, si res mihi sit cum scriptore plebejo, facile adducar ut credam in bibliothecis latere chartas edentulas, quæ sint alicujus pretii. Verum de Cicerone quid esse spei reliquum potest, in quo jam a renascentium literarum seculo, & typographicæ artis exortu, studiosorum oculos ita defixit admiratio, ut quidquid in tenebris jaceret, eruere properaverint? Atqui paucis post annis, & spirante adhuc Victorio, meliores unquam libros inveniri posse vix sperabant: nunc, ne vix quidem.

Quia tamen libris manu scriptis quotidie aliquid detrahit temporis edacitas, idcirco videtur e communi fore literarum bono, si excutiantur semel tandem quotquot atatem tulerunt, universi, & quidquid illustrandis veterum monumentis opportunum recondunt, typorum ope vulgatum communicetur cum eruditis, ne quid detrimenti respública in posterum a blattis

&amp;

1. Aut si quando, quod rarissimum, his gatam lectionem me legibus solverit necessitas, notaram habebit Lector & confessionem meam, & vulgatis editioni præfixam.

& pulvere capiat. Hujusmodi autem id est, ut magis optandum, quam sperandum putem. Quando enim ut fiat, conspirabunt reges, collegia, privati, in quorum thesauris opes illæ delitescunt?

Jam ergo ad id, unde digressus sum, revertor. Primariorum, ut modo pollicebar, quatuor editionum varietates lectori annumerabuntur: sed non eodem in loco, cum generis ejusdem non sint omnes. Aliæ faciunt ad sententiam, quæ, verbis immutatis, & ipsa quoque immutatur. Aliæ, integra sententia, vel in similibus electione verborum, vel in diversa eorum collocatione consistunt. Quæ sunt primi generis, occurrunt rarius: quæ secundi, frequentissime. Has igitur, ex quibus parva sit utilitas, vel nulla, curiosis reservatas, in ultimam singulorum voluminum partem amandavi. Illas vero, quæ momenti habent ac ponderis aliquid, ima qualibet pagina exhibebit.

Aliæ sunt etiam lectiones, eaque non contemnendæ, quæ recentioribus Criticis debentur. Quamvis enim quatuor illis principibus, quos nominavi, semper adhæream; nolim certe illorum successoribus quidquam detrahi: neque vero posterorum retardari alacritatem, quos ad laboriosam exercitationem non impellat libido captandæ nescio cujus gloriolæ, reducta vocula, quam priores bene consulti exploferant, aut, quam admisferant, expuncta. Recentiorum igitur Criticorum suspiciones collocabo, non in textu quidem, sed in commentariis: de quorum delectu jam dicendi est locus.

Omnino debuerunt, quoties mecum ea de re deliberavi, versibus Horatianis personare aures mea:

*Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter.*

*Quod petis, id sane est incisum, acidumque duobus.*

Tibi, docto inter paucos, videbor in meridie lucernam accendere:

dere: dum clamabit alter, nempe unus multorum, in tenēbris errare se sine facula. Quid? hic æstimat historica, cantilenas e trivio: iste grammatica, rus merum: ille philosophica, nugas difficiliores. Placere omnibus si quis possit in alio quodam opere, certe in hoc, quod aggredior, nemo. Placere me studeo bonis, ut ait poeta, quam plurimis. Ad bonos igitur me converto, eosque, ut de consilio a me suscepto judicent, etiam atque etiam obtestor. Quid poteram, quod magis, vel tenuitati meæ, vel communi literarum bono conveniret, quam quod institui, nihil \* de meo in hunc delectum includere; nihil, inquam, de meo; at selectos duntaxat e doctissimorum ætatis cujusque ac gentis hominum lucubrationibus, illustrando Ciceroni locos utiles? An vero melius de lectoribus merear, si recoctas, ut fere fit, commentationes veterum ostentem, quasi novas, & domi mihi natas? Itaque nihil afferam, quod non prolatum sit ab idoneo & celebri auctore: neque ulla erit annotatiuncula, quæ subscriptum non habeat magnum aliquod nomen, cujus claritas merito allicere lectorem possit.

Primum inter Ciceronis interpretes locum obtinet ASCONIUS PEDIANUS, cujus vetustati datum est, ut nulla ejus pars a collectione nostra excludatur. Postrema vero ætas, itemque antecedens, innumerabiles tulit, e quibus nobilissimos selegi: neque ex illis arripui omnia, sed illa tantum, quæ ad rem maxime. Aderunt Victorius, Manutius, Lambinus, Gruterus, quippe interpretis munere ipsi etiam functi sunt. Age ceteros, quorum fontibus nostri hortuli probe irrigantur, appellemus jam singulos: nulla quidem ætatis, qua quisque vixit, vel famæ, qua fruitur, habita ratione; sed ordinem secuti, quem prima nominum elementa definiunt.

Nico-

\* Præter Commentarium de Theologia Græc. Natura Deorum popularibus nostris interpretantia, quem olim exaravi, cum libros de tarer.

Nicolaus ABRAMUS, Lotharingus, e Societate JESU. Orationes tredecim ex iis, quæ in tertio illarum volumine leguntur, commentariis illustravit, eruditus quidem certe, sed ita grandibus, ut in eum vere cadat, quod ait Carolus Ruæus: Fuit iis hominibus, qui scripta veterum explanarunt, hoc in omni ætate familiare virium, ut se primum, auctorem deinde suam, illustrandos ornandosque susceperint.

Simeo BOSIUS, Lemovicum Prætor, cujus animadversiones in Epistolas ad Atticum prodierunt anno MDLXXX. Quamvis, inquit Gravius, multi, iique primarii in republica literaria viri, in istis epistolis integritatis restituerunt, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque præsidis, elaboraverint; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem consulit, nemo plures fadioreque maculas delevit, & plura dilucidioribus obscurissima loca, quam Simeo Bosius, a quo nusquam Gruterus discessit. Variæ igitur Bosii lectiones a me representantur, cum editione scilicet Gruteri, in quam immigraverunt.

Joannes BUHERIUS, in Senatu Divionensi Præfex, meusque in Academia Gallica sodalis, cui, pro diuturna animorum studiorumque conjunctione, & multis magnisque officiis, etsi debeo plurimum, nihil de illo tamen dicam quod non ceteri omnes: parem esse Criticorum sagacissimis, plures ab eo superatos, ipsum a nemine. Annotationes illius in Cæcilianias, in Tusculanas, & in libros De natura Deorum, quascumque capiet instituti operis modus ac ratio, velim omnes, e Gallico sermone, cujus includebantur angustis finibus, in Latinum translatis hic dabo, ut legantur ubicumque est Latini pretium literis, & dum manebit, ipsæ vivant.

Joachimus CAMERARIUS, Bambergensis. Ob singularem doctrinam dictus Gerardo Joanni Vossio, Phœnix Germaniæ; Adria-

1. Præf. in Virgil.

2. Præf. in Epist. ad Atticum.

driano Turnebo, *Europa ornamentum*; Annotationes scripsit in omnia Tullii opera: sed, ut plurimum, si primam excipias *Tusculanam*, jejunas nimis, ac strigofas.

Sebastianus CORRADUS, Italus; qui cum veteris Romæ familias tam bene nosset, quam suam, multa in *Epistolis* obscura patefecit, & illuminavit; sed maxime in libro de *claris Oratoribus*. Poterit etiam utiliter legi ejus *Quæstura*, sive Dialogus de quatuor Ciceronibus, qui prodiit Bononiæ, anno MDLV.

Joannes DAVISIUS, Anglus. His viginti annis pleraque Ciceronis *Philosophica* edidit, operis Græviani perfectorem se professus. Verum, ut erumpat aliquando ex me vera vox, & dicam sine circuitu quod sentio, *Homini homo quid præstat!* Quæ in Grævio modestia! quam ingenuus pudor! In altero quæ confidentia! aut, ne dixerim mollius, quæ proacitas! Tamen fateor, & libenter quidem, fuit in eo ingenium perpicax, acutum, solers: itaque locos aliquot feliciter explicuit. At minime ferendus est, qui antiquis lectionibus & textu exterminatis, suis autem in eorum locum somniis, si diis placet, inducendis, novum velit architectari Ciceronem: adeo ut, si qua ejus volumina secundis, tertiusve curis retractata in lucem redierint, ultima editio sit etiam pessima: suscepto quasi certamine cum populari suo Richardo Bentlejo, quem suarum ad *Tusculanas* emendationum approbatorem amplificatoremque habuerat, uter esset in contaminandis veterum exemplaribus licentior.

Petrus FABER, Arvernus, Turnebi auditor Lutetiæ, cum esset adolescens. Reliquam ætatem exegit apud Rupellenses, Collegii præfecturam ibi adeptus, & Hebraicæ linguæ magisterium. Admodum senex, commentarios vulgavit in libros *Academicos*, & in orationem pro *Cæcina*, anno MDLXI.

Antonius GOVEANUS, Lusitanus. Præclare & scienter Cicer-

eronis quædam tractavit: *Topica* præsertim, ut hominem decebat antiqui Juris peritia excellentem. Unus enim, *communi doctorum suffragio*, hoc *adsociatus erat*, ut *poeta elegantissimus*, & *summus philosophus*, & *præstantissimus juris interpretaberetur*. Quod *cælo Gallico*, in quo a veteris probe institutus fuerat, *vir gratus acceptum referri volebat*. Hæc, & longe plura de illo Thuanus, lib. xxxviii. cap. 14.

Joannes Georgius GRÆVIUS, ortu Germanus, domicilio Batavus, Trajecti ad Rhenum obiit ineunte anno MDCCIII. Quam partibus quibusdam Ciceronis adhibuit, si curam adhibuisset eandem omnibus, vix aliam fortassis operam reliquisset posteris, quam edendi commodius, quæ in tomos parum habiles congestit. Verum nullam Rhetoricorum partem attigit, Philosophicorum modicam. Quin videtur in iis, quas tractavit, viam iniisse satietati ac tædio finitimam. Voluit enim colligere annotationes diversorum omnes, easque totas. Quare necesse erat, ut multa lectoribus offerret, quæ diversis verbis, si tamen diversis, unum sonant; multa, quæ sunt primo aspectu falsa; multa, quæ nihil momenti habent. Obsequi modestiæ maluit, quam judicio, vir omni laude præstans: ne scilicet in Criticis illustribus, si non reciperet omnia, damnasse aliqua videretur. Quod mihi fuisse quoque tum facilius, tum jucundius: nisi fecisset sperata multorum utilitas, ut aliquando feligere, non tantum colligere, auderem.

Franciscus HOTOMANUS, Parisinus; de quo non pauca Historici, nam sic vocantur, Lexicographi. Perite & diligenter primam Ciceronis epistolam *ad Q. fratrem*, sed maxime *Orationes* quinque & viginti, cum Asconii fragmentis in eadem, interpretatus est.

Leonardus MALASPINA, Florentinus, ex divini Servatoris familia, ut ipse se inscripsit, Canonicus. Prodicunt illius e-

mendationes ac suspiciones in epistolas *ad Atticum, Brutum, & Q. fratrem*, anno MDLXIII. Uerum ab homine docto profecta sint, nemo doctus dubitet. Plurima enimvero huic fuisse cognita, vel illud argumento est, quod aliqua sibi incognita esse tateatur. Victorius ingenue confessionis exemplum illi dederat. Ac, nisi mea me fallit opinio, quo quisque in Cicerone magis profecerit, eo facilius agnosceret, esse multa quæ non intelligat. Quod velim lectores cogitent iterum atque iterum: qui litem interpreti, nisi plana, aperta, perspicua faciat omnia, magno tumultu inserunt. Aliqua sciunt in Cicerone, ut nunc quidem se habet, suspecta esse, manca, depravata, *ωαρόδρα*, quæ sanos torquere non debeant, otiosos exercere possint.

Jacobus MENARDUS, Burdigalensis: cujus in priores sex *Orationes* commentarii *facile cæteris omnibus*, qui ad eandem spectant, *palmam*, teste Gravio, *præcipiunt*. Quo tempore autem vixerit Menardus, esse nusquam est observatum, colligi tamen inde potest, quod se profitetur auditorem fuisse Francisci Balduini, quem obiisse constat anno MDLXXII.

Gulielmus MORELIUS, Tillianus, in agro Caletensi. Prodiit Lutetia, anno MDXLV. *Observationum in libros quinque de finibus bonorum & malorum Commentarius*, quem titulus huic Morelio asserit, sed Pithæus Turnebo vindicat. Reclamant certe pro Morelio viri docti. Ac mihi quidem si necesse est sententiam dicere, non videtur inesse in ea lubricatione subtilis & acuta brevitatis illa, quæ Turnebi propria est. Verum cuiuscumque est auctoris hoc opus, quis neget magni pretii esse, quod Pithæus Turnebo dignum iudicavit?

Marcus Antonius MURETUS, gente Lemovix. Quam terfusus, elegans, concinnus! Vix ipse Cicero magis. Annotationes ediderat ad *Carilinarum*, & ad *Philippicarum*, multosque a-

<sup>1</sup> Præsit. in *Orat.*

<sup>2</sup> *Anti-Baillet*, cap. LXVIII.

liorum operum locos enodaverat in aureolis illis, quos confecerunt Musa & Gratia, *variarum lectionum* libris. Pretium autem cum sit fragmentis omnibus viri tam disertis, prodierunt Ingolstadii, eo mortuo, quæ in *Philosophicorum* partes aliquot cursim scripserat. Prohibent nunc primum breviores & rariores quam tu velis, ejusdem notæ in *Rhetorica*, quæ Ciceroniani, quo utebatur, exempli marginibus ipse ille verat; ego pridem, cum Romæ essem, descripsi.

Joannes PASSERATIUS, Trecentis: qui, ut erat Regius Eloquentiæ Professor, legendo in scholis Cicerone diu exercitatus, non pauca in eum congestit. Quæ ad *Orationes* pertinent, protulit in lucem Grævius: ego, quæ ad *Philosophicæ*, studiosis non invidebo.

Andreas PATRICIUS, Polonus. *Fragmenta* Ciceronis diligenter collegit, atque illa ipsa docte illustravit, & *Orationes* item aliquot Reducem ex Italia, ubi atatem in literis egerat, Polonia sacris infulis honestavit.

Zacharias PEARCIUS, Anglus: qui tres de *Oratore* libros emendavit, notisque illustravit, anno MDCCXVI. Hic vero laude dignissimus, quod facere cum bonis temperantibusque Criticis maluit, quam cum iis, qui Tullium Cantabrigiæ tum decorare voluerunt. Quamvis enim Bentlejum suum laudibus videatur ad cælum extollere, non imitatur tamen, neque unquam verecundiæ fines transit: homo excellentis ut ingenii, sic iudicii, & a quo non nisi magna expectes.

Dionysius PETAVIUS, Aurelianensis, e Societate Jesu. Ornabunt hunc delectum ea, quæ olim dictaverat in tertium de *Oratore* librum vir ultra humanam sortem eruditus, cum dicendis artem apud Remos profiteretur, anno MDCIX. Vindicatas ab indigna oblivione chartas ad me transmisit Franciscus Odinus, ejusdem sodalitiæ, homo vere Petavianus, antiquis imbutus perinde studiis ac moribus; quem juvenis ut

magistrum colui; grandior habui devinctum artificissima necessitudine & habeo semper.

Jacobus PRUSTEUS, Parisinus: qui, Rhetor in regio Ludovici Magni collegio, Rhetoricos omnes libros edidit in usum Delphini. Ut is majorum gentium non est, ita nec quinta classis: quod significat tamen Jacobus \* Gronovius; ac, per eam causam, Gallorum gentem universam allatrat, Sciopianæ ferocitatis heres, non latinitatis. At, mi homo, cujates erant Mureti, Hotomani, Bosii, Turnebi? Quo illa tibi Ciceronis editio, in qua te solus jactas? Haussisses saltem ex uberimo fonte urbanitatis aliquid, ne laudatissimi parentis adeo esses dissimilis.

Carolus SIGONIUS, Mutinensis, Romanarum antiquitatum indagator sagax, & disertus explicator, insignia reliquit multis consignata voluminibus monumenta præstantis doctrinæ. Quod huc facit; commentariola edidit, tum in *Fragmenta*, tum, usurpato \*\* nomine alieno, in *Agrarias*, & in epistolas ad *Familiares*.

Joannes Ludovicus STREBEUS, Remensis. *Oratorem*, *Partitiones oratorias*, tres de *Oratore* libros illustravit commentariis bene longis, & qui videantur in tironum scripti gratiam; sed accurate tamen, & ab homine artis rhetoriæ peritissimo.

Adrianus TURNEBUS, Andeliæ ad Sequanam natus. Quis eum laudandi erit finis, si pro suis in Ciceronem immortalibus meritis laudetur?

Fulvius URSINUS, Romanus. Veteribus nummis, aliisque id genus, quibus Roma tum maxime abundabat, monumentis, cum is magnam elegantioris doctrinæ copiam sibi parasset, multa in toto Cicerone explicuit, quæ propter vetustatem a cæteris ignorabantur.

His igitur ad quinque illos † principes, quos ante commemor-

\* Præfat. in Cicer.

\*\* Alias *Lanredani*, alias *Ragaxoni*.

† Aconium, V. Ichorium, P. Manotium, Lambinum, Græcerum.

memoravi, adjunctis; symbolarum collatores habeo, si bene calculos subduxi, omnino triginta, qui lectoribus quæ opus erunt, sine meo sumptu præbeant. Advocabo tamen alios, quoque; sed parcius, & quasi subsidiarios.

Restat, ut in disponendis ejus operibus dicam quid ausus sim. Rhetorica ad *Herennium*, quæ Ciceroni abjudicat Criticorum consensus, alii atque alii tribuit suspicio, a Ciceronianis segregavi. Illis erit locus aptior in postremo volumine, cum aliis quibusdam, vel supposititiis, vel, quod ad res Ciceronis cognoscendas pertineant, in ejus societatem & quasi familiam receptis. Opera enim Ciceronis pollicitis, cur illud ostendam primum, quod ipsius non esse ultro fateor, & admono? Aut cur formoso corpori caput præfigam non ejusdem formæ? Atque hoc unum me volente mutatum est.

Typographorum autem postulationi dedi, ut secundum Tullii Rhetorica, primus hic locus esset Philosophicis, quæ tamen in cæteris editionibus nonnisi postremum occupant. Cum enim sua interesse arbitrarentur, ut ab iis, quæ Grævius non divulgavit, initium ducerent; nolui esse, in re satis levi, nimis pugnax contra homines, qui meum ad nutum in reliquis totos se fingunt & accommodant. Quinetiam, si quis Tullii velit scripta omnia, non primoribus, ut ajunt, labris attingere, sed habere penitus cognita, planeque perspecta, debet ea legere hoc eodem, quo disposuimus, ordine. Plurima enim occurrunt in Orationibus, nec pauca etiam in Epistolis, quæ, nisi Philosophicis tinctus, haud satis capias. Philosophia, quæ res dicendæ sint, docet. Rhetorica, quo modo dicendæ. Rhetorem igitur & Philosophum oportet noveris, priusquam ad Oratorem accedas.

Omni denique prologi munere videbor mihi defunctus, ubi significavero, quæ me auctoritas & impulerit ad opus istud suscipiendum, & confirmet in exequendo. Res igitur i-

ta se habet. Viri non tam honoribus amplissimis, quam doctrina & sapientia florescentes, in quorum disciplinam traditus est SERENISSIMUS DELPHINUS, ut facilius regii alumni manibus versentur Ciceronis opera, hac novo quasi ornatu comitata prodire voluerunt; atque ut negotium ego in me recipere, iusserunt. Quidni morem geram? neque enim ut sustineatur id oneris, requiruntur vires ingenii, quas in me scio quam sint exigua; sed fides, ac diligentia, quas præstare si quis velit, potest.

Præquam finem dicendi facio, decet honoris causa nominari scriptores illos, sive interpretes, de quibus in hac præfatione, cum brevitati consulerem, pluribus verbis dicere non licuit, sed in commentariis tamen, ubi erit opus, apparebunt.

Richardus BENTLEIUS.

Isaacus CASAUBONUS.

Christoph. CELLARIUS.

Desiderius ERASMUS.

Joan. Aug. ERNESTUS.

Franciscus FABRITIUS.

Jacobus FACCIOLATUS.

Gabriel FAERNUS.

M. Ant. FERRATIUS.

Joan. Fred. GRONOVIVS.

Nicolaus HORTENSIVS.

Carolus LANCIUS.

Petrus LESCALOPERIVS.

Theodorus MARCILIUS.

Nascimb. NASCIMBENIVS.

Ausonius POPMA.

Martialis ROGERIVS.

Claudius SALMASIVS.

Andreas SCHOTTUS.

Achilles STATIVS.

Franciscus SYLVIVS.

Henricus VALESIVS.

Isaacus VERBURGIUS.

Hieronymus WOLFIVS.

## NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli Inquisitor Generale del Sant' Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Opera M. Tullii Ciceronis cum selectu Commentariorum in usum Seren. Delphini diviso in IX. Tomi in 4.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 16. Novembre 1748.

{ Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.  
 { Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.

Registrato in libro a Carte 37. al n. 301.

Michiel Angelo Marini Segr.

Reg. al Mag. Eccel. contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segr. ®

## ORDO OPERUM.

## TOMO PRIMO,

RHETORICA, *scilicet*

De Inventione Rhetorica Lib. I.	Pag. 1
II.	62
De Oratore Lib. I.	128
II.	207
III.	316
Brutus, <i>sive</i> De Claris Oratoribus.	384
Orator.	500
Topica.	574
Oratoriz Partitiones.	605
De Optimo Genere Oratorum.	646

## TOMO SECUNDO,

## PHILOSOPHICORUM I.

Academicorum, Libb. II.
De finibus bonorum & malorum Libb. V.
Tusculanarum questionum Libb. V.
De Natura Deorum Libb. III.

## TOMO TERTIO,

## PHILOSOPHICORUM II.

De Divinatione Libb. II.
De Fato.
De Legibus Libb. III.
De Officiis Libb. III.

Cato

Cato Major, seu de Senectute.  
Paradoxa.  
Philosophicorum Fragmenta.

## TOMO QUARTO,

## ORATIONUM I.

Pro Q. Quintio.
Pro Sex. Roscio Amerino.
Pro Q. Roscio Comcedo.
In Q. Cæciliam, Divinatio.
Actio prima in Verrem.
Actio secunda Libb. V.
Pro M. Fontejo.
Pro A. Cæcina.

## TOMO QUINTO.

## ORATIONUM II.

Pro lege Manilia.
Pro A. Cluentio Avito.
De Lege Agraria Libb. III.
Pro C. Rabirio, perduellionis reo.
In L. Catilinam Libb. IV.
Pro L. Murræna.
Pro L. Flacco.
Pro P. Sylla.
Pro A. Licinio Archia, Poeta.
Post reditum ad Quirites.
----- in Senatu.
Pro Domo sua.
De Haruspicum Responsis.
Pro Cn. Plancio.

TO.

## TOMO SEXTO.

## ORATIONUM III.

Pro P. Sextio.  
 In Vatinius.  
 Pro M. Caelio.  
 De Provinciis Consularibus.  
 Pro L. Cornelio Balbo.  
 In L. Calpurnium Pisonem.  
 Pro T. Annio Milone.  
 Pro C. Rabirio Postumo.  
 Pro M. Marcello.  
 Pro Q. Ligario.  
 Pro Rege Dejotaro.  
 Philippica XIV.  
 Orationum fragmenta.

## TOMO SEPTIMO,

## EPISTOLÆ AD FAMILIARES.

## TOMO OCTAVO,

Libb. XVI. Epistolar. ad Atticum, Antonium, Cæsarem, Capitonem, Cyprienum, Dolabellam, Plancum, Pompejum, & alios.

## TOMO NONO,

Epistolæ ad Quintum Fratrem & ad Brutum.  
 Fragmenta Ciceronis.  
 Historia Ciceronis.  
 IV. Indices locupletissimi.

M. TULLI-

M. TULLII  
CICERONIS

DE

## INVENTIONE RHETORICA

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

*Differit Tullius de eloquentiæ utilitate, principio, progressu, abusu, studio, & arte qua certis continetur præceptis.*

*De ejusdem officio, fine, materia, & partibus.*

*De inventione, que præcipua pars est; & qualis esse debeat in omni causarum constitutione, tum conjecturali, tum definitiva, tum generali.*

*De exordio, narratione, partitione, confirmatione, refutatione, conclusionem, earumque omnium orationis partium variis generibus, partibus, virtutibus, ac vitiis.* PRUSTEUS.

Tom. I.

A

SEPE



## TOMO SEXTO.

## ORATIONUM III.

Pro P. Sextio.  
 In Vatinius.  
 Pro M. Caelio.  
 De Provinciis Consularibus.  
 Pro L. Cornelio Balbo.  
 In L. Calpurnium Pisonem.  
 Pro T. Annio Milone.  
 Pro C. Rabirio Postumo.  
 Pro M. Marcello.  
 Pro Q. Ligario.  
 Pro Rege Dejotaro.  
 Philippica XIV.  
 Orationum fragmenta.

## TOMO SEPTIMO,

## EPISTOLÆ AD FAMILIARES.

## TOMO OCTAVO,

Libb. XVI. Epistolar. ad Atticum, Antonium, Cæsarem, Capitonem, Cyprienum, Dolabellam, Plancum, Pompejum, & alios.

## TOMO NONO,

Epistolæ ad Quintum Fratrem & ad Brutum.  
 Fragmenta Ciceronis.  
 Historia Ciceronis.  
 IV. Indices locupletissimi.

M. TULL-



M. TULLII  
 CICERONIS

DE  
 INVENTIONE RHETORICA

## LIBER PRIMUS.

## ARGUMENTUM.

*Differit Tullius de eloquentiæ utilitate, principio, progressu, abusu, studio, & arte qua certis continetur præceptis.*  
*De ejusdem officio, fine, materia, & partibus.*  
*De inventione, quæ præcipua pars est; & qualis esse debeat in omni causarum constitutione, tum conjecturali, tum definitiva, tum generali.*  
*De exordio, narratione, partitione, confirmatione, refutatione, conclusionem, earumque omnium orationis partium variis generibus, partibus, virtutibus, ac vitiis.* PRUSTEUS.

Tom. I.

A

SEPE

I.



**S**AEPÉ & multum hoc mecum cogitavi, bone, an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiae studium. Nam cum & nostrae republicae detrimenta considero, & maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines investam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex literarum monumentis repetere instituo: multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo tum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis & officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur: qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his pugnare possit, is mihi vir & suis, & publicis rationibus utilis, atque amicissimus civis fore videtur.

Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis,

## DELECTUS COMMENTARIORUM.

<sup>1</sup> De Arte Rhetorica, sere praescriptum his libris omnium editionum reperimus: sed alicubi tamen, De Inventionis, non De Arte Rhetorica, quod & Vaticanum exemplum locutum est. Aliqui autem veterem hanc vocant. De his omnibus nihil magnopere retulerit quodcumque retinere voluerimus. Nam & Rhetoricae certe artis praeccepta his libris traduntur, & ex Inventionis, non collocacionis, neque dispositionis, aut pronuntiationis. Ex ante alios libros rhetoricos hoc scriptum a Ciceroe compositum fuisse dubium non est. *Canerius.*

Tantus est in hisce de Inventionis commentariis, & libris ad Herennianum, tum praec-

ptionum & exemplorum, tum rerum populi omnium consensus, ut scriptorem utrumque, Ciceroem & Cornificium, non casu in eadem incurritis vestigia, sed praesentem alterum, Hermsagoram scilicet, dedita opera secutos esse, non temere possit affirmari. *Præstus.*

Quintilianus, lib. III. cap. 5. Ipse, ait, hoc librum Cicero improbat. Et cap. 6. Sicut enim videtur, quod adolescentem delectaverat scibla: & si qua est in his culpa, tradentis est. Sed Cicero quidem hic pulcherrimos illor de Oratore substituit; idcirco culpam tantquam falsa praecipiat, non potest.

3  
tis, sive studii, sive exercitationis eujusdam, sive facultatis a natura profecta considerare principium; reperimus id ex honestissimis causis natum, atque optimis rationibus profectum.

II. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias viderat legitimas: non certos quisquam inspexerat liberos: non jus equabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inscitiam, caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir & sapiens, cognovit, quae materia esset, & quanta ad maximas res opportunitas animis inesset hominum, si quis eam posset elicere, & praecipiendo meliorem reddere: qui dispersos homines in agris, & in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum, & congregavit, & eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atque orationem studiosus audientes, ex feris & immanibus, mites reddidit & mansuetos.

Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subdito converteret, & ad diversas vitae rationes traderet. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, & justitiam retinere discerent, & aliis parere sua voluntate confaescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent; qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere: ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari, & sua voluntate a jucundissima consuetudine recederet, quae praesertim jam natura vim obtineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic & nata & profect-

4  
 fa longius eloquentia videtur; & item postea maximis in rebus pacis & belli cum summis hominum utilitatibus esse veritata. Postquam vero commoditas quædam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consecuta est; tum ingenio freta malitia, pervertere urbes, & vitas hominum labefactare assuevit.

III. Atque hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes & insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnas ac disertos homines accedere: sed cum a summis viris maxima res administrarentur, arbitrator alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis cum sæpe a mendacio contra verum homines stare constiterent, dicendi assiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter injurias civium resistere audacibus, & opitulari suis quisque necessariis cogerentur. Itaque cum in dicendo sæpe par, nonnunquam etiam superior visus esset is, qui, omisso studio sapientia, nihil sibi præter eloquentiam comparasset, fiebat, ut & multitudinis & suo iudicio dignus, qui rempublicam gereret, videretur. Hinc nimirum non injuria, cum ad gubernacula rempublicæ temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii atque invidia suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa & tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quierum. Quare mihi videntur postea cætera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse: hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat regnandum, & studiosius adaugendum. Nam quo indignius rem honestissimam & rectissimam violabat stultorum & improborum temeritas & audacia, summo cum rempublicæ detrimento; eo studiosius & illis resistendum fuit, & rempublicæ consulendum.

IV. Quod nostrum illum non fugit Catonem, neque Laelium,

lium, neque horum (ut vere dicam) discipulum Africanum, neque Gracchos Africanæ nepotes: quibus in hominibus erat summa virtus, & summa virtute amplificata auctoritas, & quæ his rebus ornamento, & rempublicæ præsidio esset, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minus eloquentia studendum est, etsi ea quidam & privatim, & publice perverse abutuntur: sed eo quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium perniciæ plurimum possint: cum præsertim hoc unum sit, quod ad omnes res & privatas, & publicas maxime pertineat; hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita jucunda fiat. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certissimum ac tutissimum præsidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, cum multis rebus humiliores & infirmiores sint, hac re maxime bestiis præstare, quod loqui possint. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis præstent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur; non alienum est videre, quæ dicant ii, qui quædam ejus rei præcepta nobis reliquerunt. Sed antequam de præceptis oratoris dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius & expeditius uniuscujusque animus ipsam rationem ac viam artis considerare poterit.

V. Civilis quædam ratio est, quæ multis & magnis ex rebus constat. Ejus quædam magna & ampla pars est, artificio-

a Civillæ quædam ratio ] O' vnd. mede 22-  
 178. & vnd. mede 22-178. id est: Rei-  
 publicæ constituendæ & administrandæ scientia  
 vel ars, quam uno vocabulo Politicam  
 solemus appellare. Cicero *Civilem scientiam*  
*noxi dicit*. Quintilianus (*edit. Parisi. in fol.*  
*1725.*) lib. 2. cap. 15. pag. 123. not. 130.  
*Civilem* vocavit. *Capprenserius*. Quam  
 sit in Rhetoricis intelligendis artibus, Græ-

corum & Latinorum, Rudolphi utiliterque  
 veritatis, cognoscit ex ejus Quintilianæ præ-  
 ceptis. Quo sane libro vix quidem pronit  
 est. Quo sane libro vix quidem pronit  
 hæc ætas in Gallia excellens. De quo  
 bene mihi excipiam videntur, qui ajunt,  
 tum oportuit illum in locum venire, cum  
 libri excellentis hominum ingenio usu e-  
 rant, non porticibus exornandis. Hic igitur  
 cum earum sit arcium homo, convenit a  
 me,

tificioſa eloquentia, quam Rhetoricam vocant. Nam neque cum iis ſentimus, qui civilem ſcientiam eloquentia non putant indigere; & ab iis, qui eam putant omnem Rhetoris vi & artificio contineri, magnopere diſſentimus. Quare hæc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis ſcientiæ partem eſſe dicamus. Officium autem ejus facultatis videtur eſſe, dicere appoſite ad perſuaſionem: finis, perſuadere diſtione. Inter officium autem & finem hoc intereſt, quod in officio, quid fieri in fine, quid officio conveniat, conſideratur; ut medici officium dicimus eſſe, curare ad ſanandum appoſitè; finem, ſanare curatione. Item oratoris quid officium, & quid finem eſſe dicamus, intelligemus, cum id, quod facere debet, officium eſſe dicemus: illud, cujus cauſa facere debet, finem appellabimus.

Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conſicitur ex arte, verſatur. Ut ſi medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina verſetur: item, quibus in rebus verſatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoriæ nominamus. Has autem res, alii plures, alii pauciores exiſtimaverunt. Nam Gorgias Leontinus, antiquiſſimus fere rhetor, omnibus

me, non recuſavit, quin pro noſtra neceſſitudine, & conſtanti ſua voluntate promovendi bonas literas, mecum illa communi- carent, quæ ad Ciceronis libros de Inventione annotata habebat. Ne tamen plus æquo Commentariorum hæc delectus exerceceret, ſæpe indicavit tantum, quo ſui in Quintilianum Commentarii loco, Ciceronianum quemque nodum explicavit. *Orator.*

3 Gorgias Leontinus ] Charmantius filius, Rhetor, Empedoclis diſcipulus fuit. Cum Rhetoricam docere cepiſſet, non nimis, quam centum minas a ſanguis exigebat: unde tantum numerorum æquiſiſſe, ut Delphis in templo ſacram ſibi, & quidem auream poſuerit. Athenis, quo legatus cum Tiſia veniſſe dicitur, & Larifæ in Theſſalia diu commoratus eſt. Hunc purpureis velibus uſum fuiſſe teſtatur Elianus: nec deſunt, qui ſcribant ejus orationes Athenienſibus utique adeo admirabiles viſas fuiſſe, ut dies, quibus habitæ fuiſſent, *diebus*, & o-

rationes ipſas *Lampadas* vocariet. In hunc etiam tanquam patrem Philoſtratus artem ſophiſtarum referet. Hic, ut eſt apud Platonem & Ciceronem, de omni re, quæcumque in diſceptatione quaſtionemque vocaretur, ſe copioſiſſime dicturum proſtebatur. Vixit Gorgias annis centum & quinque, ut ait Pauſanias: centum & novem, ut Quintilianus, Diogenes, & Suidas ſcribunt: centum & octo, ut Plinius, Lucianus, & Philoſtratus arbitrantur: centum & ſeptem, ut vult Cicero: quanquam loquitur ita, (de Senecæ cap. 5.) *centum & ſeptem conſepit annos*, ut eum quaſi octendat ad centum & octo annos perveniſſe. Quo quidem tempore cum debilitate quadam correptus, aliquantulum ſomni cepiſſet, a neceſſario quodam rogatus, æquid ageret: *Somnus*, inquit, *venit, ut mi ſtrata commendet*; nec ita multo poſt in ælia vitam finiit. *Corradus*, in *Brut.* cap. 8.

de rebus oratorem optime poſſe dicere exiſtimavit. Hic infinitam, & immenſam huic artificio materiam ſubjicere videtur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adjumenta atque ornamenta ſubminiſtravit, tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium putavit, demonſtrativo, deliberativo, judiciali. Demonſtrativum<sup>4</sup> eſt, quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem, aut vituperationem. Deliberativum<sup>5</sup> eſt, quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione civili, habet in ſe ſententiæ diſtinctionem. Judiciali<sup>6</sup> eſt, quod poſitum in judicio; habet in ſe accuſationem & deſenſionem, aut petitionem & recuſationem. Et, quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars & facultas in hac materia tripartita verſari exiſtimanda eſt.

VI. Nam Hermagoras<sup>7</sup> quidem, nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur; qui oratoris materiam in cauſam & in quaſtionem dividat. Cauſam eſſe dicit<sup>8</sup> rem, quæ habeat in ſe controverſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione; quam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam. Nam ei tres partes, quas ante diximus, ſupponimus, judicialem, deliberativam, demonſtrativam. Quaſtionem autem<sup>9</sup> eam appellat, quæ habeat in ſe controverſiam in dicendo poſitam, ſine certarum perſonarum interpoſitione, ad hunc modum: *Ecquid ſit bonum præter honeſtatem. Verine ſint ſenſus. Quæ ſit mundi forma. Quæ ſit ſolis magnitudo.* Quas quaſtiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere exiſtimamus. Nam, quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimum cum

labo-

4 *Demonſtrativum* ] *Ti* *ἐπιμαρτυρία*, & idem tradit, *velut propriam* in oratoris inſtitutionibus *viam*, quam *πλατύνει* ſecuti ſunt. Hic ipſe eſt, quem corrupto, ut opinor, nomine, *Hermagoras* ſæpius vocat Cornificius ad Herennium, *Proſeque*. Vide Quintilianum, lib. 3. cap. 5. ubi ab Hermagora ſtat contra Tullium. *Muretus*.

5 *Deliberativum* ] *Ti* *ἐπιμαρτυρία*, quod aliquando etiam *ἐπιμαρτυρία* & *ἐπιμαρτυρία*, id eſt *conſonale*, appellatur. Lege Quintilianum, lib. 3. cap. 8. *Idem*.

6 *Judiciale* ] *Ti* *ἐπιμαρτυρία*, quod nequam confundendum eſt cum *τῷ* *judiciali* *ἐπιμαρτυρία*. Vide Quintilianum, lib. 3. cap. 9. *Idem*.

7 *Hermagoras* ] Floruit poſt Ariſtoſteli & Theophrati tempora, ut ex Quintiliano,

lib. 3. cap. 1. intelligi poſſet: *ſcitique*, ut idem tradit, *velut propriam* in oratoris inſtitutionibus *viam*, quam *πλατύνει* ſecuti ſunt. Hic ipſe eſt, quem corrupto, ut opinor, nomine, *Hermagoras* ſæpius vocat Cornificius ad Herennium, *Proſeque*. Vide Quintilianum, lib. 3. cap. 5. ubi ab Hermagora ſtat contra Tullium. *Muretus*.

8 *Cauſam eſſe dicit* ] Quam Græci Rhetores *καυſάν* appellant. *Copper*.

9 *Quaſtionem autem* ] Hanc Græci *πρόβλημα* vocant. *Idem*.



ciderint Ajacem Ulysses. Et quid fiat, hoc modo: Bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani. Et quid futurum sit, hoc modo: Si Carthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad rempublicam perventurum. Nominis controversia est, cum de facto convenit, & quaritur, id quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est ideo nominis esse controversiam, non quod de re ipsa non conveniat, non quod de facto non constet, sed quod id, quod factum sit, aliud alii videatur esse, & ideo alius alio nomine id appellet. Quare in hujusmodi generibus definienda res erit verbis, & breviter describenda: ut, si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur, an sacrilegus sit judicandus. Nam id cum quaritur, necesse erit definire utrumque, quid sit fur, quid sacrilegus, & sua descriptione ostendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque adversarii dicunt.

IX. Generis est controversia, cum & quid factum sit, convenit, & quo id factum nomine appellari oporteat, constat: & tamen, quantum, & cujusmodi, & omnino quale sit, quaritur; hoc modo: Justum, an injustum: utile, an inutile; & omnia, in quibus, quale sit id quod factum est, quaritur, sine ulla nominis controversia. Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, juridicalem<sup>23</sup>, negotialem. Quod ejus, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum videtur: verum brevi, ne, aut si taciti praterierimus, sine causa non secuti eum putemur; aut si diutius in hoc constiterimus, moram atque impedimentum reliquis præceptis intulisse videamur. Si deliberatio & demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicujus generis causæ putari. Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest: eidem genus esse & pars non potest. Deliberatio autem & demonstratio genera sunt causarum. Nam aut nullum causæ genus est, aut judiciale solum, aut & judiciale, & demonstrativum, & deliberativum. Nullum dicere

causæ

<sup>23</sup> Juridicalem, negotialem. Duo hæc vocabula Tullius ipse paulo post explicabit, & ad ipsius explicationem quædam annotabimus. Idem.

causæ esse genus, cum causas esse multas dicat, & in eas præcepta det, amentia est. Unum autem judiciale solum esse qui potest, cum deliberatio, & demonstratio, neque ipsæ similes inter se sint, & ab judiciali genere plurimum diffideant, & suum quæque finem habeat, quo referri debeat? Relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint causarum. Deliberatio igitur, & demonstratio non possunt recte partes alicujus generis causæ putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.

X. Quod si generis causæ partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causæ partes putabuntur. Pars autem causæ, constitutio est omnis. Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam accommodatur. Sed demonstratio & deliberatio, generis causæ partes non possunt recte putari, quod ipsa sunt genera. Multo igitur minus recte partis ejus, quod hic dicit, partes putabuntur. Deinde si constitutio, & ipsa, & pars ejus quælibet, intentionis depulsio est; quæ intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est. At si, quæ intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est; demonstratio, & deliberatio, neque constitutio, nec pars constitutionis est. Si igitur constitutio, & ipsa, & pars ejus, intentionis depulsio est; deliberatio, & demonstratio, neque constitutio, neque pars constitutionis est. Placeat autem ipsi, intentionis non esse depulsionem. Placeat igitur oportet, non esse constitutionem, nec partem constitutionis. Atque hoc eodem urgebitur, siue constitutionem, primam causæ accusatoris confirmationem dixerit, siue defensoris primam deprecationem. Nam eum eadem omnia incommoda sequentur.

Deinde conjecturalis causa non potest simul ex eadem parte, eodem in genere & conjecturalis esse, & definitiva. Rursus nec definitiva causa potest simul ex eadem parte, eodem in genere & definitiva esse, & translativa. Et omnino nulla constitutio, nec pars constitutionis potest simul & suam habere, & alterius in se vim continere: ideo quod unaquæque ex se, & ex sua natura simpliciter consideratur: altera assumpta,

numerus constitutionum duplicatur, non vis constitutionis augetur. At deliberativa causa simul ex eadem parte, eodem in genere & conjecturalem, & generalem, & definitivam, & translaticivam solet habere constitutionem, & unam aliquam, & plures nonnunquam. Ergo ipsa neque constituitur, nec pars constitutionis. Idem in demonstratione solet usu evenire. Genera igitur, ut ante diximus, hæc causarum putanda sunt, non partes alicujus constitutionis.

XI. Hæc ergo constitutio, quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, juridicalem, & negotialem. Juridicalis est <sup>24</sup>, in qua æqui & iniqui natura, aut præmii, aut poenæ ratio quaeritur. Negotialis <sup>25</sup> est, in qua, quid juris ex civili more, & æquitate sit, consideratur: cui diligentia præesse apud nos jurisconsulti existimantur.

Ac juridicalis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam, & assumptivam. Absoluta est <sup>26</sup>, quæ ipsa in se continet juris & injuriæ quaestionem. Assumptiva est <sup>27</sup>, quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem; foris autem aliquid defensionis assumit. Ejus partes sunt quatuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Concessio, cum reus <sup>28</sup> non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur, postulat. Hæc in duas partes dividitur, purgationem, & deprecationem. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa removetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, casum, ne-

<sup>24</sup> Juridicalis est ] Τὸ δικαιοσύνης, ἢ ἀνεπιεικείας εἶδος, cujus vocabuli varias significaciones vide apud Quintil. pag. 174. not. 311. Cave autem confundas τὸ δικαιοσύνης juridicalis cum τὸ δικαιοσύνης judicialis. Status ille juridicalis est de re jam facta, de actione jam perpetrata, ideoque præteritum tempus spectat. Idem.

<sup>25</sup> Iniqui & æqui ] Vid. Man. Lamb. æqui & recti natura.

<sup>26</sup> Negotialis est ] Τὸ πραγματικόν, ἢ πραγματικῶν εἶδος, cujus vocabuli varios exposu significatus in Quintil. pag. 174. not. 311. Status ille negotialis est de re faciendâ, siue que ad futurum tempus pertinet. Idem.

<sup>27</sup> Absoluta est ] Ἀπόλυτος, vel ἀπρόσθετος εἶδος. Lege Quintilian. pag. 181. not.

468. Idem.

<sup>28</sup> Assumptiva est ] Ἀσθενὴς, vel ἀσθενῶν εἶδος. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. A Nascimbenio fol. 11. perperam vocatur ἀσθενῶν, (ubi tamen mendium videtur esse typographicum pro τὸ ἀσθενῶν) idque ex depravata lectione Quintilianæ contextus lib. 7. cap. 4. pag. 437. ubi quidam codices MSS. habent ἀσθενῶν. Sed veram ac genuinam lectionem adstruimus ad Quint. pag. 437. not. 34. ubi excidendum curavimus, ἀσθενῶν εἶδος. Idem.

<sup>29</sup> Concessio, cum Reus ] Συγγνωμοσύνη. Alias dicitur venia & status venialis, itemque deprecatio. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. Idem.

cessitatem. Deprecatio est <sup>29</sup>, cum & peccasse, & consulto peccasse reus se confitetur, & tamen, ut ignoscatur, postulat: quod genus perraro potest accidere. Remotio criminis est <sup>30</sup>, cum id crimen, quod inferitur, ab se, & a sua culpa, vi, & potestate in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa, aut factum in alium transferetur. Causa transfertur, cum aliena dicitur vi & potestate factum. Factum autem, cum alius aut debuisse, aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis <sup>31</sup> est, cum ideo jure factum dicitur, quod alius ante injuria lacefferit. Comparatio est <sup>32</sup>, cum aliud aliquod factum rectum, aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.

In quarta constitutione, quam translaticivam nominamus, ejus constitutionis est controversia, cum aut quem, aut quicum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Hujus constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quia non usi sint ea veteres oratores sæpe multi, sed quia non animadverterint artis scriptores eam superiores, nec retulerint in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, (res enim perspicua est) quam invidia, atque obtrectatione quadam impediri.

XII. Et constitutiones quidem, & earum partes exposuimus: exempla autem cujusque generis tunc commodius exposituri videmur, cum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, cum & ad genus, & ad exemplum causa statim poterit accommodari.

Constitutione causæ reperta, statim placet considerare, utrum causa

<sup>29</sup> Deprecatio est ] Quam proprie συγγνωμοσύνη Græci Rhetores appellant. Hic autem τὸ deprecatῶν non idem significat, quod cap. 10. ubi usuratur pro depulsionem, siue restitutione accusationis. Idem.

<sup>30</sup> Remotio criminis est ] Ἡ ἀποστρέψις. Lege Quintil. pag. 181. not. 468. Nascim-

benius, fol. 104. perperam vocavit ἀποστρέψις, ut demonstravi ad Quintilian. pag. 439. not. 65. Idem.

<sup>31</sup> Relatio criminis ] Ἀντιπαράστασις. Vide Quintil. loco mox indicato. Idem.

<sup>32</sup> Comparatio est ] Ἡ ἀντιθέσις. Vide Quintilianum ibidem. Idem.

causa sit simplex, an conjuncta; & si conjuncta erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus juncta, an ex aliqua comparatione. Simplex est, quae absolutam in se continet unam quaestionem, hoc modo: Corinthiis bellum indicamus, an non? Conjuncta ex pluribus quaestionibus, in qua plura quaeruntur, hoc pacto: Utrum Carthago diruatur, an Carthaginensibus reddatur, an eo colonia deducatur. Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potissimum sit, quaeritur, ad hunc modum: Utrum exercitus in Macedoniam contra Philippum<sup>33</sup> mittatur, qui sociis sit auxilio; an teneatur in Italia, ut quam maximam contra Annibalem copiam sint.

XIII. Deinde considerandum est, an in ratione, an in scripto sit controversia<sup>34</sup>. Nam scripti controversia est ea, quae ex descriptionis genere nascitur. Ejus autem genera, quae sunt separata a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se duae leges, aut plures discrepare, tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare: tum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod non scriptum est, inveniri: tum vis verbi quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri. Quare primum genus, de scripto & sententia<sup>35</sup>; secundum, ex contrariis legibus<sup>36</sup>; tertium, ambiguum<sup>37</sup>; quartum,

<sup>33</sup> Carthaginensibus, ] Carthaginensibus in prolo dicendum, ut *ἀνακρίσει* evincit. Aldus tamen obtulit *Prisciani*, *Lapidum*, & *Pandecularum* auctoritatem. Sed decepti sic feribentes Ennii auctoritas, cujus est: *Hystem qui scribit, mihi erit Carthaginensis*. Nec cogitatum, sic Ennium scribere *multum* metri causa, quod non recipit *Carthaginensis*. Vossius, *Grammat.* lib. 1. cap. 43.

<sup>34</sup> Contra Philippum ] Non Alexandri Magni patrem, sed alium Macedoniam regem, qui tempore belli Punici secundi, sedus cum Annibale inerat; verum a Lavino pratore coercitus, cum jam Italiae immineret, in Macedoniam incensus ultro navibus se recipere coactus est. *Præstus*.

<sup>35</sup> An in ratione, an in scripto sit controversia ] Alludit hic Tullius ad celeberrimam veterum Rhetorum divisionem, qua oratoriarum quaestionum status dividitur in *Rationales res ratiōnis*, & *legales res ratiōnis*.

De his fute Quintilianus agit lib. 3. cap. 5. & ipse Cicero lib. 11. de Invent. cap. 12. & 15. Omnis autem quae in scripto posita est controversia, *status legalis* ideo vocatur, quia inter varii generis scripta precipuum quemdam locum *Lex* & *edicta* videntur obtinere. Lege etiam Quintil. pag. 181. not. 467. 468. *Cappetovner*.

<sup>36</sup> Primum genus de scripto, & sententia ] Hoc *scilicet* *verbi ipsius*, quem statim exponunt Tullius 11. de Invent. cap. 12. & Quintilian. lib. 7. c. 6. *Idem*.

<sup>37</sup> Secundum, ex contrariis legibus ] *Αντινομία*. quo de statu praeter ceteris legendi sunt Cicero 11. de Invent. cap. 15. & Quintil. lib. 7. cap. 7. *Idem*.

<sup>38</sup> Tertium, ambiguum ] *Αποβολία*. Legalem hunc statum pluribus explanant Tullius 11. de Invent. cap. 12. & Quintilian. lib. 7. cap. 9. *Idem*.

tum, ratiocinativum<sup>39</sup>; quintum, definitivum<sup>40</sup> nominatum.

Ratio autem est, cum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit. Ac tum considerato genere causae, & cognita constitutione, cum, simplexne, an conjuncta sit, intellexeris, & scripti, an rationis habeat controversiam, videris, deinceps erit videndum, quae quaestio, quae ratio, quae judicatio, quod firmamentum causae sit; quae omnia a constitutione proficiantur oportet. Quaestio est, quae ex constitutione causarum gignitur controversia, hoc modo: Non jure fecisti: jure feci. Causarum autem haec est constitutio, in qua constitutio constat. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, hoc modo: Jurene fecerit. Ratio est<sup>41</sup> ea, quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquetur, hoc modo, ut docendi causa in facili, & pervulgato exemplo consistamus: Orestes si accusetur matricidii, nisi hoc dicat, jure feci; illa enim patrem meum occiderat: non habet defensionem. Qua sublata, omnis quoque controversia sublata sit. Ergo ejus causae ratio est, quod illa Agamemnonem occiderit. Judicatio<sup>42</sup> est, quae ex infirmatione & confirmatione rationis nascitur controversia. Nam sit ea nobis exposita ratio, quam paulo ante exposuimus. Illa enim, inquit, patrem occiderat. At non, inquit adversarius, abs te filio matrem necari oportuit: potuit enim sine tuo scelere illius factum puniri.

XIV. Ex hac deductione rationis illa summa nascitur controversia, quam judicationem appellamus. Ea est hujusmodi: Rectumne fuerit ab Oreste matrem occidi, cum illa Orestis patrem occidisset. Firmamentum<sup>43</sup>, est firmissima argumentatio.

<sup>39</sup> Quintum, ratiocinativum ] *Τὸ καθόλου*, qui status legalis fufius explicatur a Tullio 11. de Invention. cap. 15. & a Quintiliano, lib. 7. cap. 8. *Idem*.

<sup>40</sup> Quintum, definitivum ] Alias definitionem legalem, *νόμον* vel *ἐπιτάχιν* vocant, qui status proprius ac specialis est Tullio 11. de Invent. cap. 16. & Herenniano Rhetorici lib. 1. cap. 11. Vide Quintilian. pag. 181. not. 468. *Idem*.

<sup>41</sup> Ratio est ] *Αἴτιον* vel *αἴτιον* ex parte *ἡ* Rei secundum Cicero nem, aut etiam ex parte Actoris vel Accusatoris secundum alios, de quibus Quintil. lib. 3. cap. 11. vide, & pag. 206. numer. 3. & 5. *Idem*.

<sup>42</sup> Judicatio ] *Τὸ κριτικόν*, hoc est, id ipsum de quo judices ferunt, aut saltem ferre debent sententiam. Lege Quintilian. pag. 206. numer. 4. *Idem*.

<sup>43</sup> Firmamentum est ] Quod alias vocatur





judicatione exordium est. Sin autem partem turpitudinis & partem honestatis habebit, benevolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur. Cum autem erit honestum causa genus, vel prateriti principium poterit, &, si commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dissonis: vel si uti principio placebit, benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur.

XVI. In obscuro causa genere, per principium dociles auditores efficere oportebit. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est; reliquum est, ut ostendatur, quibus quaeque res rationibus confici possit.

Benevolentia quatuor ex locis comparatur: ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, ab ipsa causa. Ab nostra, si de nostris factis, & officiis sine arrogantia dicemus: si crimina illata, & aliquas minus honestas suspiciones injectas diluimus: si, quae incommoda acciderint, aut quae infestent difficultates, proferemus: si prece, & obsecratione humiliter, ac suppliciter utemur. Ab adversariorum autem, si eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contumeliam adducemus. In odium adducuntur, si quid eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferatur. In invidiam, si vis eorum, potentia, divitiarum, cognatio, pecuniarum proferuntur, atque eorum usus arrogans, & intolerabilis; ut his rebus magis videantur, quam causae suae confidere. In contumeliam adducuntur, si eorum inertia, negligentia, ignavia, desidiosum studium, & luxuriosum otium proferatur. Ab auditorum persona benevolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestae proferuntur, ut ne qua assentatio nimia significetur: & si de his, quam honesta existimatio, quantaque eorum iudicii, & auctoritatis expectatio sit, ostendatur. Ab rebus ipsis, si causam nostram laudando extollemus, adversariorum causam per contumeliam deprimemus.

Attentos autem faciemus, si demonstrabimus, ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse, aut ad omnes, aut ad eos, qui audiunt, aut ad aliquos illustres homines, aut

aut ad deos immortales, aut ad summam reipublicae pertinere: & si pollicebimur, nos brevi nostram causam demonstraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, si plures erunt. Dociles auditores faciemus, si aperte & breviter summam causam exponemus; hoc est, in quo consistat controversia. Nam & cum docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire.

XVII. Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa causa quadam turpitudine; aut si ab iis, qui ante dixerunt, jam quiddam auditori persuasum videtur; aut eo tempore locus dicendi datur, cum jam illi, quos audire oportet, desessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratorem nonnunquam animus auditoris offenditur.

Si causae turpitudine contrahet offensionem; aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet: aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur: aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur: & dissimulare id te defensionem, quod existimeris defensus. Deinde, cum jam mitior factus erit auditor, ingredi poterit in defensionem, & dicere, ea, quae indignantur adversarii, tibi quoque indigna videri. Deinde, cum lenieris eum, qui audiet, demonstrare, nihil eorum ad te pertinere, & negare te quidquam de adversariis esse dicturum, neque hoc, neque illud: ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, & tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem: & aliquorum iudicium simili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Deinde aut eandem, aut consimilem, aut majorem, aut minorem agere in praesentia demonstrare.

Si oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse,

se, id quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod adversarii sibi firmissimi putarint, & maxime ii qui audierint, probarint, primum te dicturum polliceri, aut ab adversarii dicto exordiri, & ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione uti, quid primum dicas, aut cui potissimum loco respondeas, cum admiratione. Nam auditor cum eum, quem adversarii perturbatum putant oratione, videt animo fortissimo contra dicere paratum, plerumque se potius temere assensisse, quam illum sine causa confidere arbitratur. Sin auditoris studium defatigatio abalienavit a causa, te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum, commodum est polliceri; non imitaturum adversarium. Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova, aut ridicula incipere: aut ex tempore quæ nata sit; quod genus, \* strepitu, acclamatione: aut jam parata, quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irriptionem: aut, si rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile, statim non incommodum est injicere. Nam ut cibi fatietas, & fastidium aut subamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur: sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renovatur.

XVIII. Ac separatim quidem, quæ de principio, & infirmatione dicenda videbantur, hæc sere sunt. Nunc quiddam breviter, & communiter de utroque præcipiendum videtur. Exordium, sententiarum & gravitatis plurimum debet habere, & omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, continere in se, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendat: splendoris, & festivitatis, & concinnitatis minimum, propterea quod ex his suspicio quædam apparationis atque artificiosæ diligentiae nascitur: quæ maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.

Vitia vero hæc sunt certissima exordiorum, quæ summopere vitare oportebit; vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur,

\* Strepitu, acclamatione ] Viri. Man. Lamb. strepitum, acclamationem.

deatur. Commune est, quod nihilominus in hanc, quam in contrariam partem causa potest convenire. Commutabile, quod ab adversario potest, leviter mutatum, ex contraria parte dici. Longum est, quod pluribus verbis, aut sententiis, ultra quam satis est, producit. Separatum, quod non ex ipsa causa ductum est, nec, sicut aliquid membrum, annexum orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quam causa genus postulat: ut si quis docilem faciat auditorem, cum benevolentiam causa desideret: aut, si principio utatur, cum infirmationem res postulat. Contra præcepta est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis præcepta traduntur: hoc est, quod eum, qui audit, neque benevolam, neque attentum, neque docilem efficit: aut, quo profecto nihil pejus est, ut contra sit, facit. Ac de exordio quidem satis dictum est.

XIX. Narratio est rerum gestarum, aut ut gestarum, expositio. Narrationum tria sunt genera. Unum genus est, in quo ipsa causa, & omnis ratio controversiæ continetur. Alterum, in quo digressio aliqua extra causam, aut criminatio, aut similitudinis, aut delectationis non aliena ab eo negotio, de quo agitur, aut amplificationis causa, interponitur. Tertium genus est remotum a civilibus causis, quod delectationis causa, non inutiles cum exercitatione dicitur, & scribitur. Ejus partes sunt duæ, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quæ in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur. Cujusmodi est:

*Angues ingentes alites, juncti iugo* <sup>54</sup>.

Historia, est gesta res, ab ætatis nostræ memoria remota. Quod genus, Appius indixit Carthaginensibus bellum. Argumen-

54. *Angues ingentes alites.* ] Ita tamen a Cerere factum fuisse poetæ fidei fabulis memoria prodiderunt, Ovid. in 4. de Fastis: ..... frenatur curvibus angues. *Juncti.* & *angues sicæ necerat aquar.* Hic versus, jambicus fenarius, est ex aliquo poeta vetustissimo desumptus, & ut arbitror, ex Ennio, qui cum non Cereris, sed Medæ Tragediam scripserit, facile conjicio de Medæ potius quam de Cerere intelligendum esse. De curru Medæ meminit Euripides in tragedia ejus nominis, prope finem. *Nascentibus.*

mentum, est ficta res, quæ tamen fieri potuit. Hujusmodi apud Terentium:

*Nam is postquam excessit ex ephebis, Sofia* 55.

Illa autem narratio, quæ versatur in personis, ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones, & animi perspicui possint, hoc modo:

*Venit ad me sæpe, clamitans: Quid agis, Mirio?*

*Cur perdis adolescentem nobis? cur amar?*

*Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?*

*Vestitu nimio indulges: nimium inoptus es.*

*Nimium ipse durus est, præter æquum & bonum.*

Hoc in genere narrationis multa inesse debet festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, lenitate, spe, metu, suspitione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunæ commutatione, insperato incommodo, subita lætitia, jucundo exitu rerum. Verum hæc ex iis, quæ postea de elocutione præcipiuntur, ornamenta sumuntur. Nunc de narratione, ea, quæ causæ continet expositionem, dicendum videtur.

XX. Oportet igitur eam tres habere res, ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. Brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur, & non ab ultimo repetetur 57, & si cuius rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur. Nam sæpe satis est, quod factum sit, dicere, \* ut non enarres, quemadmodum sit factum: & si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur: & si nullam in rem aliam transibitur: & si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur: & si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest, nec adjuvat, præteribitur: & si semel unumquodque dicitur: &

55 *Nam is postquam* ] Terent. Andr. I. 1. 24.

56 *Venit ad me* ] Terent. Adelph. I. r. 35.

57 Brevis erit, si ... non ab ultimo repetitur ] Idem præcipit Horatius.

*Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*

Cave itaque, quod hic ultimum vocat Tul-

lius, extremum interpretaris: immo primum est. Quo sensu de primo Latini regis progenitore Saturno apud Virgilium dicitur: *Enceid. 7. 49.*

*Tu sanguinis ultimus autor. Privil.*

\* *Ut non enarret* ] Vult. Man. Grut. non ut enarret.

& si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipitur. Ac multos imitatio decipit brevitatibus, ut, cum se breves putent esse, longissimi sint: cum dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant, & non plures, quam necesse sit. Nam plerique breviter dicere videntur, qui ita dicit: Accessi ad ædes, puerum evocavi: respondit: quæsi dominum: domi negavit esse. Hic, tametsi tot res breviter non potuit dicere, tamen, quia satis fuit dixisse, Domi negavit esse, sit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatibus imitatio, & non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine superfluum est.

Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, & rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gesta res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeat, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereatur: & omnino, quæ præcepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam sæpe res parum est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est: quo de genere dicendum est in præceptis elocutionis.

XXI. Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quæ solent apparere in veritate: si personarum dignitates servabuntur; si causæ factorum exstant; si fuisse facultates faciendi videbuntur; si tempus idoneum; si spatii satis; si locus opportunus ad eandem rem, qua de re narrabitur, fuisse ostendatur; si res & ad eorum, qui agunt, naturam, & ad vulgi \* rumorem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse poterit.

Illud autem præterea considerare oportebit, ne, aut cum obsit narratio, aut cum nihil proficit, tunc interponatur: aut non

\* *Rumorem* ] Lamb. morem.

non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur. Obest tum, cum ipsius rei gesta expositio magnam excipit offensionem, quam argumentando, & causam agendo leniri oportebit. Quod cum acciderit, membratim oportebit partes rei gesta dispergere in causam, & ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulnere praesto medicamentum sit, & odium statim defensio mitiget. Nihil prodest narratio tunc, cum, ab adversariis re exposita, nostra nihil interest iterum, aut alio modo narrare: aut cum ab iis, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod cum acciderit, omnino narratione superfedendum est. Non loco dicitur, cum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat: quo de genere agemus tum, cum de dispositione dicemus; nam hoc ad dispositionem pertinet. Non quemadmodum causa postulat, narratur, cum aut id, quod adversario prodest, dilucide & ornate exponitur, aut id quod seipsum adjuvat, obscure dicitur, & negligenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suae causae; contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo; quae illius erunt, leviter attingendo; sua diligenter & enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum videtur. Deinceps ad partitionem transeamus.

XXII. Recte habita in causa partitio illustrem & perspicuam totam efficit orationem. Partes ejus duae sunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam, & constituendam pertinet controversiam. Una pars est, quae, quid cum adversariis conveniat, & quid in controversia relinquatur, ostendit: ex qua certum quiddam designatur auditori, in quo animus debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa: ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum.

Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur. Quae partitio, quid conveniat,

\* Seipsum ] Lamb. ipsam.

niat, aut quid non conveniat, ostendit; haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: Interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis. Item contra: Interfectum esse a Clytemnestra Agamemnonem, convenit. Nam hic uterque & id posuit, quod conveniebat, & tamen suae causae commodo consuluit. Deinde, quid controversiae sit, ponendum est in judicationis expositione: quae quemadmodum inveniretur, ante dictum est.

Quae autem partitio rerum distributam continet expositionem, haec habere debet breviter, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, cum, nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Haec in hoc genere idcirco utilis est, quod rebus ipsis, & partibus causae, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur. In qua partitione videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permiste cum partibus implicentur. Nam genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo, animalis pars est; Thebani, aut Trojani, genus.

XXIII. Haec ideo diligentius inducitur praescriptio, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur, Ostendam, propter cupiditatem, & audaciam, & avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad rempublicam pervenisse; is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas: ejus autem generis sine dubio pars est avaritia. Hoc igitur vitandum est, ne, cujus genus posueris, ejus secum aliquam, sicuti diversam ac dissimilem partem ponas in eadem partitione. Quod si quod in genus plures incident partes, id

Tom. I.

D

cum

<sup>58</sup> Haec igitur vitandum est ] Sic lego: sicuti partem ac dissimilem, ponas in eadem partitione. Becichemus. Haec igitur vitandum est, ne, cum genus posueris, ejus speciem, sicuti aliquam diversam

cum in prima partitione causæ erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, cum ad ipsum ventum erit explicandum in causæ dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam factis est, demonstratos nos dicamus, hoc modo: Ostendam, adversarios, quod arguimus, & potuisse facere, & voluisse, & fecisse. Nam fecisse, ostendere satis est. Aut, cum in causa partitiō nulla sit, & cum simplex quiddam agatur, tamen utamur distributione: idque petrarō potest accidere. Ac sunt alia quoque præcepta partitionum, quæ ad hunc usum oratorium non tantopere pertinent: quæ versantur in Philosophia, ex quibus hæc ipsa transtulimus, quæ convenire videbantur: quorum nihil in cæteris artibus inveniebamus.

Atque his de partitione præceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut & prima quæque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur: & omnibus explicatis, peroratum sit, hoc modo, ut ne quid posterius præter conclusionem inseratur. Partitur apud Terentium breviter & commode senex in Andria, quæ cognoscere libertum velit:

*Eo pacto & gnati vitam, & consilium meum  
Cognosces, & quid facere in hac re te velim.*<sup>59</sup>

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam:

*Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,  
Liberius vivendi fuit potestas.*

Deinde suum consilium: *Et nunc id operam do.* Deinde quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

*Nunc tuum est officium.*

Quemadmodum igitur hic & ad primam quamque partem primum accessit, & omnibus absolutis, finem dicendi fecit, sic nobis placet, & ad singulas partes accedere, & omnibus absolutis, perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipse postulat, præcipiendum videtur.

XXIV. Confirmatio est, per quam argumentando, nostræ causæ

<sup>59</sup> *Eo pacto* ] Terent. Andr. l. 1. 22.

causæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adjungit oratio. Hujus partis certa sunt præcepta, quæ in singula causarum genera dividuntur. Veruntamen non incommodum videtur, quandam silvam, atque materiam universam ante permittam, & consulam exponere omnium argumentationum: post autem tradere, quemadmodum unumquodque genus causæ, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmari oporteat. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen est, quod unicuique personæ datur, quo suo quæque proprio & certo vocabulo appellatur. Naturam ipsam definire difficile est: partes autem ejus enumerare eas, quarum indigemus ad hanc præceptionem, facilius est. Hæ autem partim divino, partim mortali in genere versantur. Mortalium autem pars in hominum, pars in bestiarum genere numeratur. Atque hominum genus & in sexu consideratur, virile, an muliebre sit: & in natione, patria, cognitione, ætate. Natione, Grajus, an Barbarus<sup>60</sup>; patria, Atheniensis, an Lacedæmonius; cognitione, quibus majoribus, quibus consanguineis: ætate, puer, an adolescens, natu grandior, an senex.

Præterea commoda, & incommoda considerantur ab natura data animo, aut corpori, hoc modo: Valens, an imbecillus; longus, an brevis; formosus, an deformis; velox, an tardus sit; acutus, an hebetior; memor, an obliviosus; comis, officiosus, pudens, patiens, an contra. Et omnino quæ a natura data animo & corpori considerabuntur, in natura consideranda sunt. Nam quæ industria comparantur, ad habitum pertinent, de quo posterius dicendum est.

XXV. In victu considerare oportet, apud quem, & quo more, & cujus arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberarium magistrōs, quos vivendi præceptores, quibus amicis utatur,

D 2 tur,

<sup>60</sup> *Barbarus* ] Dicitur, quisquis Græcus non erat, ut ait Festus. Hinc *barbare* pro *Phileno* scribitur, *Plautus* vocat *barbare*. Latine dixit Plautus in Prologo Trinummī: Idem fere in Prolog. *Afinarū*. *Profrons*.

tur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus: quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In fortuna quaeritur, servus sit, an liber: pecuniosus, an tenuis: privatus, an cum potestate: si cum potestate, jure, an injuria: felix, clarus, an contra: quales liberos habeat. Ac si de non vi-vo quaeretur, etiam quali morte sit affectus, erit considerandum.

Habitus<sup>61</sup> autem appellamus, animi, aut corporis constantem, & absolutam aliqua in re perfectionem; ut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio & industria partam. Affectio, est animi, aut corporis ex tempore, aliqua de causa, commutatio, ut letitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia, quae genere in eodem reperiuntur. Studium autem, est animi assidua, & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophia, poeſis, geometria, literarum. Consilium, est aliquid faciendi, aut non faciendi vere excogitata ratio. Facta autem, & casus, & orationes tribus ex temporibus considerabuntur: quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit: aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat: aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usus oratione. Ac personis quidem haec videntur esse attributa.

XXVI. Negotiis autem quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adjuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. Ex his prima est brevis complexio totius negotii, quae summam continet facti, hoc modo: Parentis occisio, patris proditio. Deinde causa ejus summa, per quam, & quomobrem, & cujus rei causa factum sit, quaeritur. Deinde ante rem gestam quae facta sunt, continenter usque ad ipsum negotium. Deinde in ipso gerendo negotio quid actum sit. Deinde, quid postea factum sit.

In

<sup>61</sup> Habitus ] rei, ipso eodem sensu Graeci dicunt. Vide Quintilian. pag. 619. not. 2. & 3. Capper.

In gestione autem negotii, qui locus secundus erat de iis, quae negotiis attributa sunt, quaeretur locus, tempus, modus, occasio, facultas. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, & vicinitate totius regionis. Ex his etiam attributionibus: facer, an profanus: publicus, an privatus: alienus, an ipſius, de quo agitur, locus sit, an fuerit.

Tempus autem est, id quo nunc utimur, (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est) pars quaedam aeternitatis cum alicujus annui, mensuram, <sup>62</sup> diurni, nocturnum spatii certa significatione. In hoc & quae praeterierunt, considerantur, & eorum ipsorum, quae propter vetustatem obsoleverunt, ut incredibilia videantur, & jam in fabularum numerum reputantur: & quae jam diu gesta, & a memoria nostra remota, tamen faciant fidem, vere tradita esse, quod eorum monumenta certa in literis essent: & quae nuper gesta sint, quae scire plerique possint: & item quae insent in praesentia, & quae maxime fiant, & quae consequantur. In quibus potest considerari, quid ocyus, & quid serius futurum sit. Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas ejus est consideranda. Nam saepe oportet committi cum tempore negotium, & videre, potueritne aut magnitudo negotii, aut multitudo rerum in eo transigi tempore. Consideratur autem tempus & anni, & mensis, & diei, & noctis, & vigiliae, & horae, & in aliqua parte alicujus horum.

XXVII. Occasio autem est pars temporis, habens in se alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt. Nam genere quidem utrumque idem esse intelligitur: verum in tempore spatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte spectatur: in occasione, ad spatium temporis, faciendi quaedam opportunitas intelligitur adjuncta. Quare cum genere

<sup>62</sup> Mensuri ] Pisciannum si audias, non tus-taciturnus, mensis mensuram. Sic enim mensuri, sed mensuram loquaris. Quercus, Cicero in primo Rhetor. Muretus. nit, etiam quercus, corylus colurnus, taci-

genere idem sit, sit aliud, quod parte quadam, & specie, ut diximus, differat. Hæc distribuitur in tria genera, publicum, commune, singulare. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. Commune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut metus, vindemia, calor, frigus. Singulare autem est, quod aliqua de causa privatim solet alicui accidere, ut nuptiæ, sacrificium, funus, convivium, somnus.

Modus autem est, in quo, quemadmodum, & quo animo factum sit, quaritur. Eius partes sunt, prudentia & imprudentia. Prudentiæ autem ratio quaritur ex iis, quæ clam, palam, vi, persuasione fecerit. Imprudentia autem in purgationem confertur, cujus partes sunt inscientia, casus, necessitas: & in affectionem animi, hoc est, molestiam, iracundiam, amorem, & cætera, quæ in simili genere versantur.

Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.

XXVIII. Adjunctum autem negotio id intelligitur, quod majus, & quod minus, & quod simile erit ei negotio, quo de agitur, & quod æque magnum, & quod contrarium, & quod disparatum, & genus, & pars, & eventus.

Majus, & minus, & æque magnum, ex vi, & ex numero, & ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur. Simile autem ex specie comparabili: comparabile autem ex conferenda, atque assimilanda natura judicatur. Contrarium est, quod positum in genere diverso, ab eodem, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, vitæ mors. Disparatum <sup>63</sup> autem est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo: sapere, & non sapere. Genus est, quod partes aliquas amplectitur, \* ut cupiditas. Pars est, quæ subest generi, ut amor, avaritia. Eventus, est alicujus

<sup>63</sup> Disparatum autem est id [ Disparata vocat Tullius quæ hujus ætatis Dialectici contradietoria vocantur, id est, ea quæ cum negationis oppositione enunciantur. Nostri autem Logici ea disparata dicunt, quæ cum nec relativa sint, nec privativa, nec contraria, nec contradictoria, tamen inter se

discrepant; ut homo & lapis. Tullianam locutionem usum suo comprobavit Quintilianus, lib. 5. cap. 21. pag. 212. ubi vide Turnebianum commentatoris notam 156. Caput.

\* Ut cupiditas [ Lamb. Ut cupiditas amorem, avaritiam. Pars est ..... avaritia cupiditatis.

alicujus exitus negotii, in quo quæri solet, quid ex quaque re venerit, eveniat, eventurumque sit. Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: Ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia.

Quarta autem pars est ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio. In hac eæ res quaruntur, quæ gestum negotium consequuntur. Primum, quod factum est, quo id nomine appellari conveniat. Deinde, ejus facti qui sint principes & inventores, qui denique auctoritatis ejus, & inventionis comprobatores, atque æmuli. Deinde eque ea de re, aut ejus rei sit lex, consuetudo, actio, judicium, scientia, artificium. Deinde natura ejus evenire vulgo soleat <sup>64</sup>, an insolenter ac raro. Postea homines id sua auctoritate comprobare, an offendi in his consueverint; & cætera, quæ factum aliquid similiter confestim, aut ex intervallo solent consequi. Deinde postremo attendendum est, num quæ res ex iis rebus, quæ sunt positæ in partibus honestatis, aut utilitatis, consequantur: de quibus in deliberativo genere causa distinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res eæ, quas commemoravimus, sunt attributæ.

XXIX. Omnis autem argumentatio, quæ ex iis locis, quos commemoravimus, sumetur, aut probabilis, aut necessaria debet esse. Etenim, ut breviter describamus, argumentatio videtur esse inventum aliquo ex genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie demonstrans. Necessarie demonstratur ea, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maxime tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem.

Complexio est <sup>65</sup>, in qua, utrum concesseris, reprehendetur, ad hunc modum: Si improbus est, cur uteris? si probus, cur

<sup>64</sup> Deinde natura ejus evenire vulgo solet [ Vislorinus Rhetor, ut ex vetusto illius codice intellexi, legebat; Deinde quid ea natura ejus evenire vulgo soleat. Optime, & Servius ad lib. 2. Muretus.

<sup>65</sup> Complexio est [ Quod argumentandi ge-

mus vulgo dilectus; *ἄλογος*, dicitur. Tullianam loquenti formulam secuti sunt Alconius Padianus, Anonymus Ciceronianarum orationum interpres, & Servius ad lib. 2. Enclid. 627. Cap.



cur accusas? Enumeratio est, in qua, pluribus rebus expositis, & ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur, hoc pacto: Necessè est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut metu, aut spe, aut alicujus amici gratia; aut si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium susceptum esse non potest. Sed neque inimicitiae fuerunt, nec metus ullus, nec spes, ex morte illius, alicujus commodi, neque ad amicum hujus alicujus mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus. Simplex autem conclusio ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo: Si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui: relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter videre oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, & ne confirmatio modum in se argumentationis solum habeat, & quandam similitudinem necessariae conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

Probabile autem est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hæc quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere, quod fere solet fieri, probabile hujusmodi est: Si mater est, diligit filium: si avarus est, negligit jusjurandum. In eo autem, quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia: Impiis apud inferos poenas esse preparatas; Eos, qui philosophia dent operam, non arbitrari deos esse.

XXX. Similitudo autem in contrariis, & paribus, & in iis rebus, quæ sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur. In contrariis, hoc modo: Nam si iis, qui imprudentes læserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari, sic: Nam ut locus sine portu navibus esse non potest tutus; sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse. In iis rebus, quæ sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur: Nam si Rhodiis turpe <sup>66</sup> non est portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe

<sup>66</sup> Si Rhodiis turpe non est | Locum ex A. quis Diomedo publicanus accusans, quod ribotele, Rhet. lib. 11. cap. 25. ubi nescio relinendis publicis vestigalibus rem familiarem

pe est conducere. Hæc tum vera sunt, hoc pacto: Quoniam cicatrix est, fuit vulnus; tum verisimilia, hoc modo: Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat. Omne autem, <sup>67</sup> (ut certas quasdam in partes distribuamus,) probabile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut judicatum, aut comparabile.

Signum est, <sup>68</sup> quod sub sensum aliquem cadit, & quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, & tamen indiget testimonii, & gravioris confirmationis; ut eruer, fuga, pallor, pulvis, & quæ his sunt similia. Credibile est, quod sine ullo teste, auditoris opinione firmatur, hoc modo: Nemo est, qui non liberos suos incolumes & beatos esse cupiat. Judicatum, est res assensione aut auctoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. Religiosum est, quod jurati legibus judicant. Commune est, quod omnes vulgo probantur, & secuti sunt, hujusmodi: ut majoribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur <sup>69</sup>. Approbatum est, quod homines, cum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: velut Gracchi patris factum, <sup>70</sup> quem populus Romanus ob id, quod insciente collega in censura nihil gessit, post censuram consulem fecit.

Tom. I.

E

Com-

liarem amplificaret, ita causam peroravit: Si vobis turpe non est vestigalia vendere, neque publicanis ea redimere turpe fuerit. Prætere.

<sup>67</sup> Omne autem ..... probabile | De probabilibus quæ supra dicuntur, agit Quintilianus, lib. 5. cap. 10. pag. 284. & seq. Cap. præsumptios.

<sup>68</sup> Signum est quod | Equities. De signis hæc habet Quint. lib. 3. cap. 9. pag. 278. Eorum (nempe signorum) alia sunt quæ necessaria sunt, quæ Greci vocant *κατάλογος*, aliis non necessaria, quæ *τιμω*. Idem.

<sup>69</sup> Ut supplicum misereatur | Misereatur populum passivè & impersonaliter, quod rarum est. Lambinus.

<sup>70</sup> Velut Gracchi patris factum | C. Claudius Appius Pulcher, & T. Sempronius Gracchus Censores, cum, in Equitibus recensentibus

dis, multis equos ademissent, publica indigna, amittentibus Tribunis plebis, flagrant. Odiosus omnibus Appius populi sententia unus damnandus erat. Gracchus conceptis verbis juravit, si quid in Collegam decerneretur, non expectato de se judicio, comitem exiti futurum. Confians Gracchi integritas populum ad abolendum Appium commovit, anno U. C. DLXXXV. Pighius, ex asteriscis, qui in antiquis libris notantur, locum hunc truncum arbitratur, & sic fere supplendum conjicit. Velut Gracchi patris factum, Collegam reum non deserentis, sed utriusque causam unam esse volentis. Quæso populus Romanus ob id factum, & quod insciente Collega in censura nihil gessit, post Censuram iterum Consulatum fecit. Præulæ.

Comparabile autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Ejus partes sunt tres; imago, collatio, exemplum<sup>71</sup>. Imago est oratio demonstrans corporum, aut naturarum similitudinem. Collatio est oratio, rem cum re ex similitudine confrens. Exemplum est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla, & descriptiones in præceptis elocutionis cognoscuntur.

Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus est, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonstratus est. Quemadmodum autem quaque constitutio, & pars constitutionis, & omnis controversia, siue in ratione, siue in scripto versetur, tractari debeat, & qua in quasque argumentationes conveniant, singillatim in secundo libro de unoquoque genere dicemus. In præsentia tantummodo numeros, & modos, & partes argumentandi confuse, & permixte dispersimus. Post descripte & electe in genus quodque causæ, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus.

Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit: inventam exornari, & certas in partes distingui, & suavissimum est, & summe necessarium, & ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare & de ea præceptione nobis in hoc loco dicendum visum<sup>72</sup> est, ut ad inventionem argumenti, ab solutio quoque argumentandi adjungeretur. Et magna cum cura, & diligentia locus hic omnis considerandus est, quod non solum rei magna utilitas est, sed præcipiendi quoque summa difficultas.

XXXI. Omnis igitur argumentatio, aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Inductio est oratio<sup>73</sup>, qua rebus non dubiis captat assensionem ejus, quicum instituta est: quibus

<sup>71</sup> Imago, collatio, exemplum ] *Εἰκόνη, ὁμοιωσιμὴ, ἢ ἐξέμπλησις*, vel *ἐξέμπλησις, ἢ ὁμοιωσιμὴ*, de quibus lege Quintil. lib. 5. cap. 11. pag. 307. 312. & quæ libi annotata sunt. Cappon.

<sup>72</sup> Visum ] Hanc vocem omisit Græterus, non omnitemerè tamen. Meminerit vero lector, non hanc ante disororum repetitionem esse, sed propositionem mox dicendam.

Cum enim locos exposuerit Cicero, ex quibus omnis inveniri possit argumentatio, confert se jam ad explicandum, quibus modis tractari quamque oporteat. Olivæ.

<sup>73</sup> Inductio est oratio, quæ ] *Ἐνδύξις* de qua Quint. lib. 5. cap. 10. pag. 297. Capponianus.

quibus assensionibus facit, ut illi dubia quadam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur: velut apud Socraticum Æschinem<sup>74</sup> demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, & cum ipso Xenophonte Aspasia locutam. Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quod si vestem, & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne, an illius malis? Illius vero, respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit.<sup>75</sup>

Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quæso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus meliorem equum habeat, quam tuus est, tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quod si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quod si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: Quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam & tu mulier optimum virum mavis habere, & tu Xenophon uxorem habere lætissimam maxime vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lætior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut & tu maritus sis quam optimæ mulieris, & hæc quam optimo viro nupta sit.

Hic cum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis separatim quæreret, id pro certo, propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates utilis est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed

E 2 ex

<sup>74</sup> Apud Socraticum Æschinem ] Exemplum hoc sive *Ἐνδύξις* adduxit etiam Quintilian. lib. 5. cap. 11. pag. 308. & 313. Item.

<sup>75</sup> Hic mulier erubuit ] Quintilianus, eodem loco: Mulier erubuit merito; male enim responderat, se male alienum aurum, quæsum suum: nam id est improbum. Et si responderat, melius se aurum suum velle esse, aurum illud esse, potuisse pudice respondere, male se virum suum velle esse, qualis mulier esset.

ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet.

XXXII. Hoc in genere præcipiendum nobis videtur, primum, ut illud quod inducemus per similitudinem, ejusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi; dubium esse id ipsum, quod inducimus, non oportebit. Deinde illud, cujus confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse nihil proderit, si ei dissimile erit id, cujus causa illud concedi primum voluerimus. Deinde non intelligatur, quo spectent illæ primæ inductiones, & ad quem sint exitum perventurae. Nam qui videt, si ei rei, quæ primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quæ sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est.

Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quæ ante concessæ sunt, aut alia utendum inductione. Si concedatur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars ex similitudine constat una, pluribusve. Altera ex eo, quod concedi volumus, cujus causa similitudines adhibita sunt. Tertia ex conclusione, quæ aut confirmat concessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit.

XXXIII. Sed quia non satis videbitur alicui dilucide demonstratum, nisi quod ex civili causarum genere exemplum subjecerimus: videtur hujusmodi quoque utendum exemplo, non quo præceptio differat; aut aliter hoc in sermone, atque in dicendo fit utendum: sed ut eorum voluntati satisfiat, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi demonstratum est,

est, nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa, quæ apud Græcos est pervagata, quod Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege prator successerat, exercitum non tradidit, & cum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset, Lacedæmonios funditus vicit, poterit accusator argumentatione uti per inductionem, cum scriptum legis contra sententiam defendat, ad hunc modum: Si, Judices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, & addat exceptionem hanc, EXTRA QUAM SI QUIS REIPUBLICÆ CAUSA EXERCITUM NON TRADIDERIT, patiemi? non opinor. Quod si vosmetipsi, quod a vestra religione & sapientia remotissimum est, istius honoris causa hanc eandem exceptionem, injussu populi, ad legem adscribi jubeatis, populus Thebanus patienter id fieri? profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem nefas est, id sequi, quasi adscriptum sit, rectum vobis videatur? Novi vestram intelligentiam, non potest ita videri, Judices. Quod si literis corrigi neque ab illo, neque a vobis scriptoris voluntas potest; videte ne multo indignus sit, id re & judicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest.

Ac de inductione quidem satis in præsentia dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinationis vim, & naturam consideremus.

XXXIV. Ratiocinatio, <sup>76</sup> est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum & per se cognitum, sua se vi & ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, cum idem ulu dicendi sequerentur, paulum in præcipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque ejus partes esse dixerunt; partim non plus, quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommo- dum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam & brevis est, & non ejusmodi, ut alteri protius nihil dicere putentur, & locus hic nobis in dicendo minime negligendus videtur.

Qui putant in quinque distribui partes oportere, ajunt primum

<sup>76</sup> Ratiocinatio, est oratio ] Ratiocinationis nomine complectitur hic Tullius omnia quæ Græci ῥητορικῆς, ἔργησιον, ἔλεχθῆος vocant, quæquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiamvis eodem sece tendit. Verbis utor Quintilianus, qui de his copiose agit lib. 5. cap. 10. Cap. p. 100.

mun convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum: Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. Hanc primam partem numerant. Eam deinceps rationibus variis, & quam copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructor est rebus, & apparatus, quam ea, quæ temere, & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia, & temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est: nam navis optime cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur.

Cum propositio sit <sup>77</sup> hoc pacto approbata, & duæ partes transferint ratiocinationis, tertia in parte ajunt, quod offendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere, hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur.

Hujus assumptionis <sup>78</sup> quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo: Nam & signorum ortus & obitus definitum quandam ordinem servant, & annuæ commutationes, non modo quadam ex necessitate semper eodem modo sunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, & diurnæ, nocturnaque vicissitudines, nulla in re unquam mutata quidquam nocuerunt. Quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari.

Quinto inducunt loco complexionem eam, <sup>79</sup> quæ aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Consilio igitur mundus administratur: aut unum in locum cum conduxerit breviter propositionem & assumptionem, id adjungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum: Quod si melius

<sup>77</sup> Cum propositio sit etc. ] Propositionis vocabulo Tullius eam intelligit, quam in scholis vulgo *Majorem* vocant: eandem Quintilianus *intentioni*: nomine designat lib. 5. cap. 14. pag. 337. ubi vide Notas. *Idem.*

<sup>78</sup> Hujus assumptionis ] Quam *Minorem* appellare solent scholastici, & Quintilianus aliquando *Rationem* vocat. Ipsam lege lib.

5. cap. 14. *Idem.*

<sup>79</sup> Complexionem eam ] In præcedentibus complexio Ciceroni erat ea ratiocinandi formula, cui nomen dilectum, *Diavosa*. Sed hoc in loco complexionis nomine argumenti conclusionem, ut nunc loquimur, intelligit; quam & connexionem appellat Quintil. loco mox indicato. *Idem.*

lius geruntur ea, quæ consilio, quam quæ sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur, Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem.

XXXV. Qui autem tripartitam esse dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione, neque ab assumptione approbationes earum separari oportere; neque propositionem absolutam, neque assumptionem sibi perfectam videri, quæ approbatione confirmata non sit. Quare quas illi duas partes numerant, propositionem & approbationem, sibi unam partem videri, propositionem: quæ si approbata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quæ ab illis assumptio, & assumptionis approbatio dicitur, eandem sibi assumptionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripartita, aliis quinquepartita videatur. Quare eventit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quam ad rationem præceptionis.

Nobis autem commodior illa partitio videtur esse, quæ in quinque partes distributa est, quam omnes ab Aristotele & Theophrasto profecti maxime secuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates, & Socratici tractaverunt: sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele, atque a Peripateticis, & Theophrasto frequentatum; deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi, atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere secuti putemur: & breviter dicendum, ne in hujusmodi diutius, quam ratio præcipiendi postulat, commoremur.

XXXVI. Si quadam in argumentatione fati est uti propositione, & non oportet adjungere approbationem propositioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adjuncta sit approbatio; separatim quiddam est a propositione approbatio. Quod enim adjungi & separari ab aliquo potest, id

id non potest idem esse, quod est id, ad quod adiungitur, & a quo separatur. Est autem quædam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; & quædam, in qua nihil valet absque approbatione, ut ostendimus. Separata est igitur a propositione approbatio. Ostendimus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: Quæ propositio in se quiddam continet perspicuum, eo quod constare inter omnes necesse est, hanc velle approbare & firmare nihil attinet. Ea est huiusmodi: Si, quo die ista cædes Romæ facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in cæde non potui. Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet, hoc modo: Fui autem Athenis eo die. Hoc si non constat, indiget approbationis: qua inducta, complexio consequetur: Igitur in cæde interesse non potui. Est igitur quædam propositio, quæ non indiget approbatione. Nam esse quidem quædam, quæ indigeat, quid attinet ostendere, quod cuius facile perspicuum est? Quod si ita est, ex hoc, & ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatim esse quiddam a propositione approbationem. Si autem ita est, falsum est non esse plus, quam argumentationem.

Simili modo liquet alteram quoque approbationem separatam esse ab assumptione. Nam si quædam in argumentatione satis est uti assumptione, & non oportet adiungere approbationem assumptioni; quædam autem in argumentatione infirma est assumptio, nisi adjuncta sit approbatio: separatim quiddam est extra assumptionem approbatio. Est autem argumentatio quædam, in qua assumptio non indiget approbationis; quædam autem, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendimus. Separata est igitur ab assumptione approbatio.

Ostendimus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: Quæ perspicuum omnibus veritatem continet assumptio, nihil indiget approbationis. Ea est huiusmodi: Si oportet sapere, dare operam Philosophiæ convenit. Hæc propositio indiget approbationis. Non enim perspicua est, neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur. Assumptio perspicua est hæc: Opor-

Oportet autem sapere. Hoc autem quia ipsum ex re perspicitur, & verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare statim concludenda est argumentatio: Igitur dare operam philosophiæ convenit. Est ergo assumptio quædam, quæ approbationis non indiget. Nam quædam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripartitam argumentationem.

XXXVII. Atque ex his illud jam perspicuum est, esse quædam argumentationem, in qua neque propositio, neque assumptio indigeat approbationis. Huiusmodi, ut certum quiddam, & breve, exempli causa, ponamus: si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia vitanda est. Summo autem opere sapientia petenda est: summo igitur opere stultitia vitanda est. Hic & assumptio, & propositio perspicua est: quare neutra quoque indiget approbatione. Ex his omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adungi, tum non adungi. Ex quo cognoscitur, neque in propositione, neque in assumptione contineri approbationem, sed utramque suo loco positam, vim suam, tanquam certam & propriam obtinere. Quod si ita est, commode partiti sunt illi, qui in quinque partes distribuerunt argumentationem.

Quinque sunt igitur partes ejus argumentationis<sup>80</sup>, quæ per ratiocinationem tractatur. Propositio, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis. Propositionis approbatio, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilibus & apertius fit. Assumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis approbatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus affirmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quæ plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus. Secunda est quadripartita. Tertia tripartita. Dein bipartita, quod in controversia est. De

Tom. I.

<sup>80</sup> Quinque sunt partes argumentationis  
A Cicero, quod rarum & mirum est, hoc quidem in loco dissentit Quintilianus, cujus

ratiouum momenta lege & expendo, lib. 5.  
cap. 14. pag. 337. & sequent. Idem.

una quoque parte potest alicui videri posse argumentationem consistere.

XXXVIII. Eorum igitur, quæ constant, exempla ponemus: horum, quæ dubia sunt, rationes afferemus. Quinquem-partita argumentatio est huiusmodi: Omnes leges, iudices, ad commodum reipublicæ referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quæ in literis est, interpretari. Ea enim virtute & sapientia majores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem, atque utilitatem reipublicæ proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant: & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublicæ, quod ex legibus omnes reipublicas optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari convenit: hoc est, quoniam reipublicæ servimus, ex reipublicæ comodo atque utilitate leges interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectat, quoniam ejus causa est instituta; sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicæ conducatur, proficisci, quoniam ejus causa sunt comparata. Ergo in hoc quoque judicio definite literas legis percurtari; & legem, ut æquum est, ex utilitate reipublicæ considerate. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedæmonios opprimi? Quid magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriæ Thebanorum consulere decuit? Quid hunc tantæ Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropæo carius, atque antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Atque hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem, nisi reipublicæ causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset reipublicæ salutis causa, id non ex reipublicæ salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem reipublicæ referri convenit, hic autem saluti reipublicæ profuit, profecto non potest eodem

\* Considerate ] Man. Lamb. *considerate*: quod hic fecit. Quid enim

facto & communibus fortunis consuluisse, & legibus non obtemperasse.

XXXIX. Quatuor autem partibus constat argumentatio, cum aut proponimus<sup>81</sup>, aut assumimus<sup>82</sup> sine approbatione. Id facere oportet, cum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio perspicua est, & nullius approbationis indiget. Propositionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Iudices, qui ex lege jurati judicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi quod scriptum est in lege, sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suæ relinquere potuit, quam quod ipse magna cura, atque diligentia scripsit? Quod si literæ non exstarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur: nec tamen Epaminonda permetteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istud patiamur, cum præsto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suæ causæ convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quod si vos, Iudices, legibus obtemperare debetis, & id facere non potestis, nisi quod scriptum est in lege, sequamini, quid causæ est, quin istum contra legem fecisse judicetis?

Assumptionis autem approbatione præterita, quadripartita sic fiet argumentatio: Qui sæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter nosmetipsos, quem jure accusare possimus. Ac primum quidem decipi incommodum est: iterum, stultum: tertium, turpe. Carthaginenses autem persæpe jam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est in eorum fide spernere, quorum perfidia toties deceptus sis.

Utraque approbatione præterita tripartita fit, hoc pacto: Aut metuamus Carthaginenses oportet, si incolumes eos reli-

F 2

queri-

<sup>81</sup> Proponimus ] Hoc est, eam propositionem efformamus; que vulgo *Majore* in schoiis appellatur. *Idem*.

<sup>82</sup> Assumimus ] Id est, eam propositionem conficimus; quam ætatis nostræ Logici *Minorem* vocant. *Idem*.

querimus; aut eorum urbem diruamus. Ac metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.

XL. Sunt autem qui putant nonnunquam posse complexione & oportere superledei, cum id perspicuum sit, quod conficiatur ex rationatione. Quod si fiat, bipartitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: Si peperit, virgo non est. Peperit autem. Hic satis esse dicunt proponere, & assumere: quoniam perspicuum sit, quod conficiatur, complexionis rem non indigere. Nobis autem videtur & omnis ratiocinatio concludenda esse; & illud vitium, quod illis displicet, magno pere vitandum, ne, quod perspicuum sit, id in complexionem inferamus.

Hoc autem fieri poterit, si complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem, & assumptionem<sup>83</sup>, hoc modo: Quod si leges omnes ad utilitatem reipublica referri convenit, hic autem saluti reipublica profuit; profecto non potest eodem facto, & saluti communis consuluisse, & legibus non obtemperasse. Aut ita, ut ex contrario sententia conficiatur, hoc modo: Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum peridia toties deceptus sis. Aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum: Urbem igitur diruamus. Aut ut id, quod eam rem, que conficitur, sequatur, necesse est. Id est huiusmodi: Si peperit, cum viro concubuit. Peperit autem. Conficitur hoc: Concubuit igitur cum viro. Hoc si nolis inferre, & inferas id, quod sequitur, Fecit igitur incestum: & concluseris argumentationem, & perspicuam fugeris complexionem.

Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complexi<sup>84</sup> oportet: in brevibus id solum, quod

<sup>83</sup> Ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem & assumptionem. Id est, ut usitato nostris in scholis more loquar, argumenti nostri conclusio erit huiusmodi, ut ambas premissas, sive majorem & minorem, in unam periodum conducamus. Item.

<sup>84</sup> Ex conductionibus... complexi. Hoc est, argumentum ita concludere, ut amba

premissas, sive major & minor, unam in periodum conducantur. A qua explicatio non multum abdidit Marius Victorinus, vni Tullianum illud ex conductionibus exponit *per res conuersas vel contrarias*; id est, per rerum congregationem ( ut loquitur Quintilian. lib. 6. cap. 11. ) & enumerationem per summa capita. Item.

quod conficitur, exponere: in iis, in quibus exitus perspicuus est, consecutione<sup>85</sup> uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt dicere, sepe satis esse hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum viro concubuit. Nam hoc nullius neque approbationis, neque assumptionis, vel ejus approbationis, neque complexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas significat, ideo quod & inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium, argumentatio vocatur, & ejus inventi artificiosa expositio. Quando igitur proferent aliquid huiusmodi: Quoniam peperit, cum viro concubuit: inventum proferent, non expositionem. Nos autem de expositionis partibus loquimur.

XLI. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit: atque hac distinctione, alia quoque, que videbuntur officere huic partitioni, propulsabimus, si qui aut assumptionem aliquando tolli posse putent, aut propositionem. Quae si quid habet probabile, aut necessarium, quoquo modo commoveat auditorem necesse est. Quod si solum id, quod inventum est, spectaretur, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod esset excogitatum, referret; nequaquam tantum inter summos oratores, & mediocres interesse existimaretur.

Variare autem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus similitudo est sauetatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit orationem, hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipsa argumentatione non semper a propositione incipere; nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione partitiones expolire: sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Id ut perspicuatur, aut scribamus, aut in quolibet exemplo de iis, que

<sup>85</sup> Consecutione. Quae illas complexio, connexio, conclusio dicitur. Vulgo Consequencia. Item.

quæ propofita sunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile fit factu.

Ac de partibus quidem argumentationis fatis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis, & obfcuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorreere ab usu oratorio videntur. Quæ pertinere autem ad dicendam putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendisse non affirmamus, sed perquisitius & diligentius conscripisse pollicemur. Nunc, ut instituiamus, proficisci ordine ad reliqua pergemus.

XLII. Reprehensio est<sup>86</sup>, per quam argumentando adversariorum confirmatio<sup>87</sup> diluitur, aut infirmatur, aut levatur. Hæc fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari. Nihil enim considerandum est in his omnibus inventionibus, nisi id, quod personis, aut negotiis attributum est. Quare inventionem, & argumentationum expolitionem ex illis, quæ ante præcepta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quædam præceptio detur hujus quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quæ contra dicentur, diluere, aut infirmare poterunt.

Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquod unum, plurave: aut, his concessis, complexio confici ex his negatur: aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur: aut si contra firmam argumentationem, alia æque firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quæ sumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, quod credibile dicunt, negatur esse ejusmodi: aut quod comparabile putant; dissimile ostenditur: aut judicatum aliam in partem traducitur, aut omnino judicium improbat: aut, quod signum esse adversarii dixerunt, id ejusmodi negatur esse: aut si complexio, aut una, aut utraque ex parte reprehenditur.

<sup>86</sup> Reprehensio est ] Alias infirmatio & refutatio, *ἀνακράσις*. Idem.

<sup>87</sup> Confirmatio ] *Κατακράσις*, quam Quintilianus probationem passim vocat. Idem.

henditur: aut si enumeratio falsa ostenditur: aut si simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum, sive pro probabili, sive pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus.

XLIII. Quod pro credibili sumptum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo: Nemo est, qui non pecuniam; quam sapientiam malit. Aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: Quis est, qui non officii cupidior sit, quam pecuniæ? Aut erit omnino incredibile, ut si quis, quem constat esse avarum, dicat, alicujus mediocris officii causa, se maximam pecuniam neglexisse. Aut si, quod in quibusdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur usu evenire, hoc pacto: Qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est. Qui locus desertus est, in eo eadem factam esse oportet. In loco celebri homo occidit qui potuit? Aut si id, quod raro fit, fieri omnino negatur; ut Curio<sup>88</sup> pro Fulvio: Nemo potest uno aspectu, neque præteriens, in amorem incidere.

Quod autem pro signo sumetur, id ex iisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in signo, primum verum esse ostendi oportet: deinde ejus esse rei signum proprium, quæ de re agitur, ut cruorem cordis: deinde factum esse, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit: postremo scisse eum, de qua quæritur, ejus rei legem & consuetudinem. Nam ex res sunt signo attributæ: quas diligenter aperiemus, cum separatim de ipsa conjecturali constitutione<sup>89</sup> dicemus. Ergo horum unumquodque in reprehensione, aut non esse signum, aut parum magno esse, aut a se potius, quam ab adversariis stare, aut omnino falso dici, aut in aliam quoque suspicionem duci posse demonstrabitur.

XLIV. Cum autem pro comparabili aliquid induceretur, quoniam

<sup>88</sup> Curio ] Vulgo Curius: sed manifestum est hic legendum esse Curio. Nam hæc verba, *Nemo potest*, sunt ex Curionis oratione pro Fulvio de incestu, quam existisse suis temporibus Cicero in *Bruto*, cap. 32, dicit, nobilemque habitam esse. *Ernestus*.

<sup>89</sup> Conjecturali constitutione ] *ὑποκρίσει* *σέθεν*. Status est Oratorie questionis, quam vulgo *falsi* vel *de falso* questionem appellamus. Vide quæ annotavimus ad cap. 8. not. 19. *Capper*.



niam id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conveniet simile id negare esse, quod conferetur, ei quicum conferetur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione: ac si, quo in numero illud, quod per similitudinem afferetur, & quo in loco hoc genus, cuius causa afferetur, haberi conveniat, ostendetur. Deinde quid res cum re differat, demonstrabitur. Ex quo docebimus, aliud de eo, quod comparabitur, & de eo, quicum comparabitur, existimari oportere. Hujus facultatis maxime indigemus, cum ea ipsa argumentatio, quæ per inductionem tractatur, erit reprehendenda. Si iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur; laude eorum, qui iudicaverunt; similitudine ejus rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum est; commemorando non modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus approbatum; & demonstrando, difficilius, & majus fuisse id iudicatum, quod afferatur, quam id, quod infertur: ex contrariis locis, si res aut vera, aut verisimilis permittet, infirmari oportebit. Atque erit observandum diligenter, ne nihil ad id, quod agatur, pertineat id, quod iudicatum sit: & videndum est, ne ea res profertur, in qua sit offensum, ut de ipso, qui iudicavit, iudicium fieri videatur.

Oportet autem animadvertere, ne, cum aliter multa sint iudicata, solitariam aliquod, aut rarum iudicatum afferatur: nam his rebus auctoritas iudicati maxime potest infirmari. Atque ea quidem argumenta, quæ quasi probabilia sumuntur, ad hunc modum tentari oportebit.

XLV. Quæ vero sicuti necessaria inducentur, ea si forte imitabuntur modo necessariam argumentationem, neque erunt ejusmodi, sic reprehenduntur. Primum complexio.<sup>90</sup> quæ, utrum concesseris, debet tollere, si vera est, nunquam reprehenditur; si falsa, duobus modis, aut conversione, aut alterius partis infirmatione. Conversione<sup>91</sup>, hoc modo:

Nam

<sup>90</sup> Complexio ] Quæ vox hoc in loco non argumenti conclusionem, ut supra, sed eam argumentandi formulam, cui nomen De-

lemma λέξις, significat. Vide notam ad cap. 26. n. 65. Idem.

<sup>91</sup> Conversione ] Quæ voce Tullius hoc re-

futa-

Nam si veretur<sup>92</sup>, quid eum accuset, qui est probus?

Sin inverecundum animi ingenium possidet,

Quid eum accuset, qui id parvi auditu aestimet?

Hic, si vereri dixeris<sup>93</sup>, si vereri non vereri, concludendum hoc putat, ut neget esse accusandum. Quod conversione sic reprehenditur: Immo vero accusandus est. Nam si veretur, accuset: non enim parvi auditu aestimabit. Sin inverecundum animi ingenium possidet, tamen accuset. Non enim probus est. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehenditur: Verum si veretur, accusatione tua correctus, ab errato recedet.

Enumeratio vitiosa intelligitur, si aut præteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici possit, aut causa non sit quare non honeste possimus concedere. Præteritum quiddam in ejusmodi enumerationibus: Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut, si horum nihil est, surripueris necesse est. Sed neque emisisti, neque hereditate venit, neque domi natus est, neque donatus est: necesse est ergo surripueris. Hoc commode reprehenditur, si dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius prædæ sectio non venierit<sup>94</sup>: quo illato, infirmatur enumeratio, quoniam id sit inductum, quod præteritum sit in enumeratione.

Tom. I.

G

XLVI. AL-

ferendi genus imprimis firmum intelligit, quod Græci ἀσπίγος ( id est convertens, contra vertens, retorquens ) appellant, atque id ipsum est quod in Scholis vulgo dicimus *retorqueere argumentum*. Hanc resellendi formulam memorat Aulus Gellius lib. 5. Noct. Attic. cap. 9. & 11. ubi & illustre profert ejus exemplum. Idem.

<sup>92</sup> Nam si veretur ] Iamblicus senarii sum, ex Ennio sumpti. Nam auctor ad Florentinum hos versus ipse quoque citat ex Ennio, lib. 2. cap. 16. Nescimus.

<sup>93</sup> Si vereri ] Ita legendum: non si vereri, ut ediderunt Lamb. & Grut. Quis vero nesciat hoc fuisse scriptoribus librariis familiare erratum, ut quæ syllaba bis eodem in contextu legeretur, eam semel tan-

tum describerent? Obscure.

\* Prædæ sectio ] Man. prædæ sectione venierit. Lamb. sectio venierit.

<sup>94</sup> Quæ prædæ sectio non venierit ] Ita Veneti libri, id quod veram esse existimo: nam sectio vendi dicta. Ea autem erat pars bonorum vel damnatorum vel hostium, quæ veluti ressecta esset de reliquis. Quid enim vetat hinc etiam vocabulum deducere, quoniam Alconii interpretationem non ignorem, quæ vulgo adfertur. Ille igitur equus, qui in publicam prædam non esset deductus, jure belli acquiri potuit. Deducti autem non fuit necesse, non proposita prædæ sectione. Canter. Gothofredus legendum censet qui prædæ sectione venierit, aut potius quæ prædæ sectione venierit. Ego autem melius videtur

XLVI. Altero autem modo reprehenditur, si aut contra aliquid dicitur: hoc est, si, exempli causa, ut in eodem verlemur, poterit ostendi hereditate venisse. Aut si extremum illud non erit turpe concedere; ut si quis, cum dixerint adversarii: Aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es; amico se morem gessisse fateatur.

Simplex autem conclusio reprehenditur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, coherere. Nam hoc quidem, Si spiritum ducit, vivit: Si dies est, lucet: ejusmodi est, ut cum priore necessario posterius coherere videatur. Hoc autem, Si mater est, diligit: Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur: sic conveniet reprehendi, ut demonstraretur non necessario cum priore posterius coherere. Hoc genus, & cetera necessaria, & omnino omnis argumentatio, & ejus reprehensio majorem quandam vim continet, & latius patet, quam hic exponitur: sed ejus artificii cognitio hujusmodi est, ut non ad hujus artis partem aliquam adjungi possit, sed ipsa separatim longi temporis, & magna atque ardua cognitionis indigeat. Quare illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Nunc his præceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit. Cum igitur ex iis, que sumuntur, aliquid non conceditur, sic infirmabitur.

XLVII. Cum autem, his concessis, complexio ex his<sup>95</sup> non conficitur, hæc erunt consideranda; num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo: Si, cum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contraque eum quis velit hæc argumen-

deor mihi intelligere quid voluerit dicere Cicero, quam quibus id verbis dixerit. Nempe equus pervenit ad possessorem, neque istis modis, quos accusator enumeravit, neque etiam furto, sed quodam modo, qui in enumeratione non erat; qui est, equum ex hostibus esse captum & apud possessorem mansisse, quoniam prædæ, cujus pars erat equus, scilicet non venierat. Nec minus Latine dicitur venire scilicet, quam Cæsar ipse videre universi oppidi sectionem, loco satis

noto apud eum de B. G. lib. 2. c. 33. Præterea igitur refert quomodocumque locis conficiatur, quoniam de sensu, ut credo, nobis securus esse licet. Ceterum gaulico meæ sententiæ assentiri Camerarium, cujus adnotatione mihi demum lecta fuit, postquam huic loco jam adscripta erant superiora. Verburg. Vide P. Nannii Miscellan. lib. 9. cap. 1.  
<sup>95</sup> Complexio ex his ] Quod vocabulum hoc in loco & in sequentibus argumenti conclusionem significat. Capperonarius.

gumentatione uti: Si venisses ad exercitum, a tribunis militariis visus esses. Non es autem ab his visus. Non es igitur profectus<sup>96</sup> ad exercitum. Hic cum concesseris propositionem, & assumptionem<sup>97</sup>, complexio est infirmanda. Aliud enim, quam cogebatur, illatum est.

Ac nunc quidem, quo facilius res cognosceretur, perspicuo & grandi vitio præditum posuimus exemplum: sed sæpe obcurius positum vitium pro vero probatur, cum aut parum memineris quod concesseris, aut ambiguum aliquod pro certo concesseris. Ambiguum si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si adversarius ad aliam partem per complexionem velit accommodare; demonstrare oportebit, non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille fumpserit, confici complexionem, ad hunc modum: Si pecuniæ indigetis, pecuniam non habetis. Si pecuniam non habetis, pauperes estis. Indigetis autem pecuniæ: mercaturæ enim, nisi ita esset, operam non daretis. Pauperes igitur estis. Hoc sic reprehenditur: Cum dicebas, Si indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis; hoc intelligebam, Si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis: & idcirco concedebam. Cum autem hoc sumebas, Indigetis autem pecuniæ; illud accipiebam, Vultis autem pecuniæ plus habere. Ex quibus concessionibus non conficitur hoc, Pauperes igitur estis. Conficeretur autem, si tibi primo quoque hoc concessissem, Qui pecuniam majorem vellet habere, eum pecuniam non habere.

XLVIII. Sæpe autem oblitum putant, quid concesseris, & idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusione infertur, hoc modo: Si ad illum hereditas veniebat, verisimile est ab illo esse necatum. Deinde hoc approbat pluri-

<sup>96</sup> Non ex igitur profectus ] Concludi debuit: Igitur ad exercitum non venisti. Aliud est ad exercitum profectus, sive itineri se committere ad exercitum; aliud est venire, sive pedem inferre in ipsa castra. Vitiosissima igitur conclusio, qua colligitur id quod nullatenus positum fuit sive in propositione; sive in assumptione. Nota est hæc

Logicorum regula: Nihil debet esse in conclusione, quod non fuerit in antecedente. Præterea.

<sup>97</sup> Propositionem & assumptionem ] Id est, ambas præmissas; sive Majorem & Minorem, ut in scholis nunc loqui amant. Capperonarius.

plurimis verbis. Post assumunt, Ad illum autem hereditas veniebat. Deinde infertur, Ille igitur occidit. Id ex iis, quæ sumpserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, & quid sumatur, & quid ex his conficiatur. Ipsum autem genus argumentationis, vitiosum his de causis ostenditur, si aut in ipso vitium erit, aut si non ad id, quod infertur, accommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitio, si controversum, si perspicuum, <sup>98</sup> si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversum.

Falsum est, in quo perspicue mendacium est, hoc modo: Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. Non igitur sapiens erat. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit, hoc modo: Iecireo, Iudices, quia veram causam habebam, brevi peroravi. Vulgare est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, hoc modo: Si veram causam non haberet, vobis se, Iudices, non commississet. Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem venisset, non commississet: aut perspicue rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:

*Cum te expetebant omnes, florentissimo  
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,  
Summo periculo, sola ut vestitum, paro.* <sup>99</sup>

XLIX. Remotum est, quod ultra quam satis est, petitur, hoc modo: Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Tib. Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tanta seditionis natæ non essent. Quare hoc incommodum Scipioni adscribendum videtur. Huiusmodi est illa quoque conquestio:

*Uri.*

<sup>98</sup> Si perspicuum ] Quomodo ipso in argumento, si perspicuum erit, vitium tamen esse possit, magna cum perspicuitate docebit infra Tullius. Capper.

<sup>99</sup> Cum te expetebant, &c. ] Verba Atrii

ad Thyestem, ex Ennio in tragedia Thyeste. Aut levis, aut nulla est defensio. Omnes te suffragiis adjuvabant; mea opera non erat adeo utilis: te deserui. Præf.

*Utinam ne in nomine Pelio securibus*

*Cæsa cecidisset abiugua ad terram trabes!* <sup>100</sup>

Longius enim repetita est, quam res postulabat. Mala definitio est, cum aut communia describit, hoc modo: Seditio est is, qui malus atque inutilis est civis. Nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicujus improbi hominis vim describit. Aut falsum quiddam dicit, hoc pacto: Sapientia est pecunia acquirenda intelligentia. Aut aliquid non grave, nec magnum continens, sic: Stultitia est immensæ gloriæ cupiditas. Est hæc quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. Controversum est, in quo ad dubium demonitrandum, dubia causa affertur <sup>101</sup>, hoc modo:

*Eboru, dii, quibus est potestas motus superum atque inferum,*

*Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.*

Perspicuum est, de quo non est controversia: ut, si quis, cum Orestem accuset, planum faciat, ab eo matrem esse occisam. Non concessum est, cum id, quod augetur, in controversia est, ut, si quis, cum Ulysses accuset, in hoc maxime commoretur: Indignum esse, ab homine ignavissimo virum fortissimum, Ajacem, necatum. Turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur; aut eo homine, qui dicat; aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt; aut ea re, de qua agitur, indignum, propter inhonestam rem, videtur. Offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem lædit: ut, si quis apud equites Romanos, cupidos judicandi, Cæpionis legem <sup>102</sup> judicariam laudet.

L. Contrarium est, quod contra ea dicitur, quæ ii, qui audiunt, fecerunt: ut, si quis apud Alexandrum Macedonem con-

<sup>100</sup> Utinam ut in nomine, &c. ] Versus ex Ennio Medea. Vide longiorem præf., lib. 2. ad Heren. cap. 22.

<sup>101</sup> Dubia causa affertur ] Argumentatio: Mihi succensere non debes: nam ut Dii inter se conveniunt, ita neque inter nos dissidium esse debeat. Rem dubiam confirmaturus, adducit rem maxime dubiam; De-

orum scilicet concordiam. Versus Ennii sunt, ex Euripidis Chresphonte. Murer. <sup>102</sup> Cæpionis legem ] Q. Servilius Cæpio, Consul anno U. C. 648. legem tulit, qua judicia quæ ad solos Equites C. Gracchus transulerat, cum Senatoribus communicarentur. Præfatus.

contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil esse crudelius, quam urbes diruere, cum ipse Alexander Thebas diruisset. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re, diverse dicitur: ut, si quis, cum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivere: aut se amico adesse propter benevolentiam; sperare enim aliquid commodi ad se perventurum. Adversum est, quod ipsi cause aliqua ex parte officit, ut si quis hostium vim, & copias, & felicitatem augeat, cum ad pugnam milites hortetur.

Si non ad id, quod institutum est, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur. Si plura pollicitus, pauciora demonstrabit; aut si, cum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: Mulierum genus avarum est; nam Eriphyle auro viri vitam vendidit. Aut, si non id, quod acculabitur, defendet: ut, si quis, cum ambitus acculabitur, manu se fortem esse defendet; ut Amphion apud Euripidem: <sup>103</sup> item apud Pacuvium, qui, vituperata musica, sapientiam laudat. Aut si res ex hominis vitio vituperabitur, ut, si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. Aut si quis, cum aliquem volet laudare, de felicitate ejus, non de virtute dicat. Aut si quis rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit: aut si alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem. Aut si, cum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio: ut, si quis, cum aliqui deliberent, bellum geratur, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstrat. Aut, si ratio alicujus rei reddetur falsa, hoc modo: Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam efficiat. Aut si infirma, ut Plautus:

<sup>103</sup> Ut Amphion apud Euripidem ] Ad dicit similitudinem. Non enim Amphion apud Euripidem acculatur de ambitu, manu se fortem esse defendit. Sed Amphion apud Euripidem in tragedia, que non extat, & apud Pacuvium, cum sermonem de Musica cum Zerho institueret, non in eo, quod ceperat, desinit, sed ipsorum disputatione in

sapientia laudem consumitur. Quod autem Zerhus cum Amphionis fratre apud Euripidem de Musica disputet, Athenas testis est, lib. 8. Huc fortasse spectant Horatiani versus, Epist. 18. lib. 1. ad Lollium. 41. *Nescimus. Distingue igitur sic, apud Pacuvium: qui...* ut referat *qui*, non ad Pacuvium, sed ab Amphionem.

*Amicum castigare ob meritam noxiam,  
Immune est facinus; verum in ætate utile  
Et conducibile. Nam ego amicum hodie meum  
Concastigabo pro commerta noxia,  
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.* <sup>104</sup>

Aut eadem, hoc modo: Maximum malum est avaritia; multos enim <sup>105</sup> magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. Aut parum idonea, hoc modo: Maximum bonum est amicitia; plurimæ enim delectationes sunt in amicitia.

LI. Quartus modus erat reprehensionis, per quem contra firmam argumentationem, æque firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in deliberationibus maxime versatur, cum aliquid, quod contra dicatur, æquum esse concedimus; sed id, quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus. Aut cum id, quod illi defendant, utile esse fateamur; quod nos dicamus, demonstremus esse honestum. Ac de reprehensione hæc quidem existimavimus esse dicenda. Deinceps nunc de conclusionione ponemus.

Hermagoras digressionem deinde, tum postremam conclusionionem ponit. In hac autem digressionem ille putat oportere quandam inferri orationem, a causa, atque a judicatione ipsa remotam, quæ aut sui laudem, aut adversarii vituperationem contineat, aut in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehensionis, non argumentando, sed augendo per quandam amplificationem. Hanc si quis partem putarit orationis, sequatur Hermagoram licebit. Nam & augendi, & laudandi, & vituperandi præcepta a nobis partim data sunt, partim suo loco dabuntur. Nobis autem non placet hanc partem in numero reponi, quod de causa digredi, nisi per locum communem <sup>106</sup>, displicet: quo de genere posterius est dicendum. Laudes autem, & vituperationes non sepa-

<sup>104</sup> Amicum castigare, &c. ] In Trinummo; Actu I. Sc. I. versu 1.

<sup>105</sup> Aut eadem. Malum est avaritia: multos enim ] *ἄσχετος*. Muretus.

<sup>106</sup> Nisi per locum communem ] Locus communis hic significat orationis particulam, aut etiam oratiunculam, quæ habetur de

virtutibus, aut in vitiis, personis non nominatis, & pertinet ad quoddam Rhetorices *προγενήσιον*, quod Hermogeni sextum est. Tres alios loci communis significatus exposuimus ad Quintil. lib. 5. cap. 1. p. 263. not. 15. & cap. 13. pag. 326. not. 103. Cap. peronnerius.



ex auctoritate indignatio fumitur, quod indignissimum est; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est; an ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam sit eventurum, si idem cæteri faciant: & simul ostendimus, huic si concessum sit, multos æmulos ejusdem audaciæ futuros: ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. Quartus locus est, per quem demonstramus, multos alacres expectare, quid statuatur, ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat, intelligere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus, cæteras res perperam constitutas, intellecta veritate, commutatas corrigi posse: hanc esse rem, quæ si sit semel judicata, neque alio commutari judicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto, & de industria factum esse demonstratur, & illud adjungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere: imprudentiæ concedi nonnuquam convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum esse dicamus, per vim, per manum opulentam, quæ res ab legibus, & ab æquabili jure remotissima sit.

LIV. Octavus est locus, per quem demonstramus, non vulgare, neque factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur. Atque id a feris quoque hominibus, & a barbaris gentibus, & immanibus bestis remotum esse. Hæc erunt, quæ in parentes, liberos, conjuges, consanguineos, supplices, crudeliter facta dicuntur; & deinceps si qua proferantur in majores natu, in hospites, in vicinos, in amicos; in eos, quibuscum vitam egeris; in eos, apud quos educatus sis; in eos, a quibus eruditus; in mortuos, in miseros, & misericordia dignos, in homines claros, nobiles, & honore usos; in eos, qui neque lædere alium, nec se defendere potuerunt, ut in pueros, senes, mulieres: quibus omnibus acriter excitata indignatio, summum in eum, qui violarit horum aliquid, odium commovere poterit. Nonus locus est, per quem cum aliis, quæ constat esse peccata, hoc quo de quaestio est, comparatur; & ita per contentio-

nem,

nem, quanto atrocius, & indignius sit illud, de quo agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæque post negotium consecuta sunt, cum uniuscujusque indignatione, & criminatione colligimus, & rem verbis quam maxime ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum est, perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac præsens viderit. Undecimus locus est, per quem ostendimus, ab eo factum, a quo minime oportuerit, & a quo, si alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit, nec alicui unquam usu evenerit. Tertiusdecimus locus est, si cum injuria contumelia juncta demonstratur, per quem locum in superbiam & arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus est, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad suas res nostras injurias referant: si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent: si ad mulieres, de uxoribus: si ad senes, de patribus, aut parentibus. Quintusdecimus locus est, per quem dicimus, inimicis quoque & hostibus ea, quæ nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio quidem his fere de locis gravissime fumetur.

LV. Conquestionis autem hujusmodi de rebus partes petere oportebit. Conquestio est oratio auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, & misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunæ vis in omnes, & hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita graviter, & sententiose, maxime demittitur animus hominum, & ad misericordiam comparatur; cum in alieno malo suam infirmitatem considerabit.

Deinde primus locus est misericordiæ, per quem quibus in bonis fuerint, & nunc, quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, & sint, & futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiæ delectatio, amor, spes, solarium, educatio,

& , si qua simili in genere , quolibet de incommodo per con-  
 questionem dici poterunt . Quartus , per quem res turpes , &  
 humiles , & illiberales proferentur , & indigna atate , genere ,  
 fortuna , pristino honore , beneficiis ; quas passi , perpeffurive  
 sint . Quintus est , per quem omnia ante oculos singillatim  
 incommoda ponentur , ut videatur is , qui audit , videre , &  
 re quoque ipsa , quasi adfit , non verbis solum , ad misericor-  
 diam ducatur . Sextus , per quem , præter spem in miseris  
 demonstratur esse ; & , cum aliquid exspectaret , non modo id  
 non adeptum esse , sed in fummas miserias incidisse . Septi-  
 mus , per quem ad ipsos , qui audiunt , similem casum con-  
 vertimus , & petimus , ut de suis liberis , aut parentibus , aut  
 aliquo , qui illis carus debeat esse , nos cum videant , recorde-  
 rentur . Octavus , per quem aliquid dicitur esse factum , quod  
 non oportuerit : aut non factum , quod oportuerit , hoc mo-  
 do : Non affui , non vidi , non postremam ejus vocem audi-  
 vi , non extremum ejus spiritum excepi . Item , Inimicorum  
 in manibus mortuus est , hostili in terra turpiter jacuit inse-  
 pulsus , a feris diu vexatus , communi quoque honore in mor-  
 te caruit . Nonus , per quem oratio ad mutas & expertes ani-  
 mi res refertur ; ut , si ad equum , domum , vestem , ser-  
 monem alicujus accommodes , quibus animus eorum , qui au-  
 diunt , & aliquem dilexerunt , vehementer commovetur . De-  
 cimus , per quem inopia , infirmitas , solitudo demonstratur .  
 Undecimus , per quem aut liberorum , aut parentum , aut sui  
 corporis sepeliendi , aut alicujus ejusmodi rei commendatio fit .  
 Duodecimus , per quem disjunctio deploratur ab aliquo , cum  
 deducaris ab eo , quicum libentissime vixeris , ut a parente ,  
 filio , fratre , familiari . Tertiusdecimus , per quem cum indi-  
 gnatione conquerimur , quod ab iis , a quibus minime conve-  
 niat , male tractemur , propinquis , amicis , quibus benefecerim-  
 us , quos adjutores fore putaverimus , aut a quibus indignum  
 est , ut servis , libertis , clientibus , supplicibus .

LVI. Quartusdecimus , qui per obsecrationem sumitur : in  
 quo orantur modo illi , qui audiunt , humili & supplici ora-  
 tione , ut misereantur . Quintusdecimus , per quem non no-  
 stras ,

stras , sed eorum , qui cari nobis debent esse , fortunas conque-  
 ri nos demonstramus . Sextusdecimus est , per quem animum  
 nostrum in alios misericordem esse ostendimus ; & tamen am-  
 plum , & excelsum , & patientem incommodorum esse , & fu-  
 turum , si quid acciderit , demonstramus . Nam sæpe virtus ,  
 & magnificentia , in qua gravitas & auctoritas est , plus pro-  
 ficat ad misericordiam commovendam , quam humilitas , &  
 obsecratio . Commotis autem animis , diutius in conquestione  
 morari non oportebit . Quemadmodum enim dixit rhetor A-  
 pollonius , *lacryma nihil citius avescit* . Sed quoniam & satis ,  
 ut videmur , de omnibus partibus orationis diximus ; & hu-  
 jus voluminis magnitudo longius processit ; quæ sequuntur de-  
 inceps , in secundo libro dicemus .



## INVENTIONE RHETORICA

## LIBER SECUNDUS.

## ARGUMENTUM.

*Tullius ab eleganti narratiuncula exorsus, deinceps disserit  
De judiciali genere, & constitutione conjecturali, huiusque tra-  
sanda locis tum ab alore, tum a reo.*

*De constitutione definitiva.*

*De translativa constitutione.*

*De generali constitutione, cujus duæ partes, negorialis & juridi-  
cialis explicantur.*

*De scripti controversiis.*

*De genere deliberativo, deque honesto & virili.*

*De genere demonstrativo. PRUSTEUS.*



ROTONIATÆ quondam, cum florerent omni-  
bus copiis, & in Italia cum in primis beati  
numerarentur, templum Junonis, quod reli-  
giosissime colebant, egregiis picturis locupletare  
voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxim, qui  
tum longe cæteris excellere pictoribus existima-  
batur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & cæteras  
complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad no-  
stram memoriam propter sani religionem remansit: & , ut  
excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in sese ima-  
go contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit.  
Quod Crotoniatæ, qui eum muliebris in corpore pingendo  
plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt.

Putat-

<sup>1</sup> Templum Junonis ] Junonis Lacinia  
templum, prope Crotonem urban, sanctum  
omnibus circa populis, ex Livio, lib. 24.  
Rucus, in Æneid. III. 552.  
Attollit se diva Lacinia &c.

Putaverunt enim si, quo in genere plurimum posset, in  
eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano re-  
licturum. Neque tum eos illa opinio fefellerit. Nam Zeuxis  
illico quesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent.  
Illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atque ei  
pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate. Etenim  
quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viri-  
bus & dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gym-  
nico certamine victorias domum cum maxima laude retule-  
runt. Cum puerorum igitur formas, & corpora magno hic  
opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud  
nos virgines: quare, qua sint illæ dignitate, potes ex his  
suspiciari. Præbete igitur mihi, quaeso, inquit, ex istis vir-  
ginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vo-  
bis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas  
transferatur. Tunc Crotoniatæ publico de consilio virgines u-  
num in locum conduxerunt, & pictori, quas vellet, eligen-  
di potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum  
nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quod ejus essent  
judicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere judi-  
cium debuisset. Neque enim putavit, omnia, qua quæretet  
ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod  
nihil simpliciter in genere omnibus ex partibus perfectum natu-  
ra expolivit. Itaque, tanquam cæteris non sit habitura quod  
largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii comodi aliquo  
adjuncto incommodo muneratur.

II. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut ar-  
tem dicendi percriberemus, non unum aliquod proposuimus  
exemplum, cujus omnes partes, quocumque essent in genere,  
exprimendæ nobis necessario viderentur: sed, omnibus unum  
in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime  
præcipere videbatur, excerpimus, & ex variis ingenis excel-  
lentissima quaque libavimus. Ex iis enim, qui nomine &  
memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia præclarif-  
sime

<sup>2</sup> Cum puerorum igitur formas, & corpo-  
ra magno ] Est versus longus, quem destruen-  
dum putabat Gualtelmus fide libri Grecenhi.  
capera, & formæ. Pall. adhuc vulgus  
ta. Græc.



sime quisquam dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia nobis visa est, aut a bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur; aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bene præcepto duceremur.

Quod si in cæteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent; non tantopere in vitiis perseverarent; aliquanto levius ex inscitia laborarent. Ac si par in nobis hujus artis, atque in illo picturæ, scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam ille in sua pictura nobilis eniteret. Ex majore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, & ex eo numero virginum, quæ tum erant, eligere potuit: nobis omnium, quicumque fuerint, ab ultimo principio hujus præceptionis, usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit.

Ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia<sup>3</sup> repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles, & nominatim cujusque præcepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit: ac tantum inventoribus ipsis suavitate & brevitate dicendi præstitit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quandam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipse, & sese ipsum nobis, & eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut cæteros, & seipsum per se cognosceremus. Ab hoc autem qui profecti sunt, quanquam in maximis philosophiæ partibus operæ plurimum consumplerunt, sicut & ipse, cujus instituta sequebantur, fecerunt; tamen permulta nobis præcepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitu-

<sup>3</sup> Tisia ] Cum hoc Tisia, Coracis discipulo, legatum Gorgiam Leontinum Athenas profectum scribit Pausanias, lib. 6. Hic multa in orationem contriuit, & persuadendi

peritissimus omnium suo tempore habitus est. Hunc in Phædro Platonis Socrates deridet: cujus tamen auditiorem Hocratem fuisse scribit Plutarchus. Corradus, in Brut. cap. 12.

opitulati sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus & nobilis rhetor Hocrates: cujus ipsius quam constat esse artem, non invenimus. Discipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte præcepta reperimus.

III. Ex his duabus diversis sicuti familiis<sup>4</sup>, quarum altera cum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricæ quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio & præceptione occupata; unum quoddam est constatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quæ commode dici videbantur, in suas artes contulerunt: quos ipsos simul, atque illos superiores, nos nobis omnes, quoad facultas ruli, proposuimus, & ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus.

Quod si ea, quæ in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt, profecto neque nos, neque alios industria nostræ poenitebit. Sin autem temere aliquid alicujus præterisse, aut non satis eleganter secuti videbimur: docti ab aliquo, facile & libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognoscere, sed in parum cognito stulte & diu perseverasse, turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum. Quare nos quidem sine ulla affirmatione, simul quærentes, dubitanter unumquodque dicemus, ne, dum parvulum hoc consequimur, ut satis commode hæc perscripisse videamur; illud amittamus, quod maximum est, ut ne cui rei temere atque arroganter assenserimus. Verum hoc quidem nos, & in hoc tempore, & in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur: nunc autem, ne longius oratio progressa videatur, de reliquis, quæ præcipienda videntur esse, dicemus.

Igitur primus liber exposito genere hujus artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controversiarum, & inventiones<sup>5</sup>, & constitutiones, & judicationes continebat.

Tom. I.

I

Dein-

<sup>4</sup> Ex his duabus diversis sicuti familiis ]

<sup>5</sup> Et inventiones ] Videlicet explicans hunc locum, Nam, inquit, de quinque partibus

Deinde partes orationis, & in eas omnes omnia præcepta. Quare cum in eo cæteris de rebus distinctius dictum sit, distulse autem de confirmatione, & de reprehensione: nunc certos confirmandi & reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, hic tantum ipsa inventa unamquamque in rem exponuntur simpliciter sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum petatur. Quare hæc, quæ nunc præcipiuntur, ad confirmationis & reprehensionis partes referre oportebit.

IV. Omnis & demonstrativa, & deliberativa, & judicialis causa, necesse est in aliquo eorum, quæ ante exposita sunt, constitutionis genere uno, pluribusve letetur. Hoc quamquam ita est, tamen cum communiter quædam de omnibus præcipi possint, separatim quoque aliæ sunt cujusque generis, & diversæ præceptiones. Aliud enim laus, aut vituperatio, aliud sententiæ dictio, aliud accusatio, aut recusatio, conficere debet. In judiciis, quid æquum sit, quæritur: in demonstrationibus, quid honestum: in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit, & quid utile. Nam cæteri utilitatis modo finem in suadendo & in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt.

Quorum igitur generum fines & exitus diversi sunt, eorum præcepta eadem esse non possunt. Neque nunc hoc dicimus, non easdem incidere constitutiones: verumtamen oratio quædam ex ipso fine & genere causæ nascitur, quæ pertineat ad vitæ alicujus demonstrationem, aut ad sententiæ<sup>b</sup> dictionem.

Quare

*hæc orationis solam inventionem tractat. Quibus verbis quid sibi velit, non intelligo: fatique apparet, vim hujus loci ignorasse. Ego vero crediderim inventionem, non argumentum, ut quidam falso existimant, sed intentionem in primis, & depulsionem esse intelligendam. Nam proposita controversia, considerandum est primum, an causa consistat; quod ex intentione, & depulsionis cognoscitur. Intentio est prima pars, cum Actor proponit & facit litem. Depulsio, est*

*responsio Rei. Cum igitur ex intentione & depulsionem omnis controversia, id est constitutio, sive questio fiat, merito inventionem appellantur. Hoc autem ita esse, facile ex textu intelligi potest: nam sequitur, & constitutiones. Nascimbenius.*

*a Non easdem ] Lamb. non easdem in unamquamque generi causæ incidere.*

*b Dictionem ] Lamb. dictionem, aut ad judicium. Quare*

Quare nunc in exponendis controversiis, in judiciali genere causarum & præceptorum versabimur. Ex quo pleraque in cætera quoque causarum genera simili implicata controversia, nulla cum difficultate transferentur: post autem separatim de reliquis dicemus.

Nunc a conjecturali constitutione proficiscemur, cujus exemplum sit hoc expositum: In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quandam, & secum aliquantum nummorum ferentem, est comitatus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit, ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare cum in quandam tabernam divertissent, simul coenare, & in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, cum in alio maleficio deprehensus esset) cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animadvertisset: noctu, postquam illos arctius jam, ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit, & alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit, & illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse sese in lectum suum recepit. Ille autem, cujus gladio occiso erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel & sæpius. Illum somno impeditum non respondere existimavit: ipse gladium, & cætera, quæ secum attulerat, sustulit; solus profectus est. Caupo non multo post conclamavit, hominem esse occisum, & cum quibusdam diversoribus illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium ejus e vagina educit; reperit cruentum: homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit. In hac intentio est criminis, Occidisti. Depulsio. Non occidi. Ex quibus constitutio est. Questio eadem in conjecturali, quæ judicatio, Occideritne.

V. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem conjecturalem incidit controversiam. Hoc autem & in horum locorum expositione, & in cæterorum, oportebit attendere, non omnes in omnem causam convenire. Ut enim omne no-

*a Nunc a conjecturali ] Lamb. Nunc ad conjecturalem constitutionem proficiscemur.*

men ex aliquibus, non ex omnibus literis scribitur: sic omnem in causam non omnis argumentorum copia, sed eorum necessaria pars aliqua conveniet. Omnis igitur, ex causa, ex persona, ex facto ipso, conjectura capienda est.

Causa distribuitur in impulsivem, & in ratiocinationem. Impulsio est, quæ sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, vinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio & cura non poterit: & id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit. Ratiocinatio autem, est diligens & considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur tum interfuisse, cum aliquid faciendum, aut non faciendum, certa de causa vitasse, aut secutus esse animus videtur, ut, si amicitia quid causa factum dicitur, si inimici ulciscendi, si merus, si gloria, si pecuniæ, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicujus retinendi, augendi, adipiscendive commodi; aut contra rejiciendi, diminuendi, devitandive incommodi causa. Nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquid majoris vitandi incommodi causa, aut majoris adipiscendi commodi suscipitur: aut commodum aliquid majoris adipiscendi commodi, aut majoris vitandi incommodi, præteritur.

Hic locus sicut aliquid fundamentum est hujus constitutionis: nam nihil factum esse cuiquam probatur, nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur. Ergo accusator, cum aliquid impulsione factum esse dicit, illum impetum, & quandam commotionem animi, affectionemque verbis & sententiis amplificare debet, & ostendere, quanta vis amoris sit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua causa earum, qua impulsum aliquem id fecisse dicit. Hic & exemplorum commemoratione, qui simili impulsu aliquid commiserint, & similitudinum collatione, & ipsius animi affectionis explicatione, curandum est, ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus animus accesserit.

VI. Cum

VI. Cum autem non impulsione, verum ratiocinatione aliquem commississe quid dicit; quid commodi sit secutus, aut quid incommodi fugerit, demonstrabit, & id augebit quam maxime poterit, ut, quoad ejus fieri possit, idonea quam maxime causa ad peccandum hortata videatur. Si gloria causa; quantum gloriam consecuturam existimavit. Item si dominationis, si pecuniæ, si amicitia, si inimicitiarum; & omnino quidquid erit, quod causa fuisse dicit, id summe augere debet. Et hoc eum magnopere considerare oportebit, non quid in veritate modo, verum etiam vehementius, quid in opinione ejus, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert non fuisse, aut non esse aliquid commodi, aut incommodi, si ostendi potest ei visum esse, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines: cum aut res aliusmodi est, ac putatur, aut non is eventus est, quem arbitrati sunt: Res aliusmodi est tum, cum aut id, quod bonum est, malum putant: aut contra, quod malum est, bonum: aut quod nec malum est, nec bonum, malum, aut bonum: aut quod malum, aut bonum est, nec malum, nec bonum. Hoc intellecto, si quis negabit, ullam esse pecuniam, fratris, aut amici vita, aut denique officio suo antiquiorem, aut suaviorem, non erit hoc accusatori negandum. Nam in eum culpa, & summum odium transferetur, qui id, quod tam vere, & pie dicitur, negabit. Verum illud dicendum erit, illi non esse ita visum: quod sumi oportet ex iis, quæ ad personam pertinent, de quo post dicendum est.

VII. Eventus autem tum fallit, cum aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur: ut, si quis dicatur alium occidisse, ac voluerit, quod aut similitudine, aut suspitione, aut demonstratione falsa deceptus sit: aut eum necesse, cuius testamento non sit heres, quod ejus testamentum se heredem arbitratus sit. Non enim ex eventu cogitationem spectari oportet, sed qua cogitatione, animo, & spe ad maleficium profectus sit, considerare: & quo animo quid quisque faciat, non quo casu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco, caput illud erit accusatori, si demonstrare pote-

poterit, alii nemini causam fuisse faciendi. Secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur: aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas. Potestas, si aut nescisse, aut non affuisse, aut conficere aliquid non potuisse dicitur. Facultas, si ratio, adjuutores, adjumenta, & cætera, quæ ad rem pertinebunt, defuisse alicui demonstrabuntur. Voluntas, si animus a talibus factis vacuus, & integer esse dicitur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, iis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id brevi faciendum est, & in unum multa sunt conducenda, ut ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed hujus accusandi causa defendere alterum videatur.

VIII. Atque accusatori quidem hæc fere sunt in causa faciendi, & consideranda. Defensor autem ex contrario primum impulsionem aut nullam fuisse dicit, aut, si fuisse concedet, extenuabit, & parvulam quandam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere hujusmodi facta nasci docebit. Quo erit in loco demonstrandum, quæ vis & natura ejus sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commississe dicitur: in quo & exempla, & similitudines erunt proferenda, & ipsa diligenter natura ejus affectionis quam levissime quietissimam ad partem explicanda, ut & res ipsa a facto crudeli & turbulento ad quoddam mitius & tranquillius traducatur, & oratio tamen ad animum ejus, qui audiet, & ad animi quandam intimum sensum accommodetur.

Ratiocinationis autem suspiciones infirmabit, si aut commodum nullum fuisse, aut parvum, aut aliis magis fuisse, aut nihilo sibi magis, quam aliis, aut incommodum sibi magis, quam commodum dicit: ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicitur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeat, comparanda: qui omnes loci similiter in incommodi quoque vitatione tractabuntur.

Sin accusator dixerit, eum id esse secutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum,

modum, quamquam in falsa fuerit opinione: demonstrandum rite defensori, neminem tantæ esse stultitiæ, qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur, illud non concessum iri; ne dubitasse quidem hunc quid ejus juris esset, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro falso; quod verum, pro vero probasse. Quod si dubitaverit, summa fuisse amentia, dubia spe impulsus, certum in periculum se committere.

Quemadmodum autem accusator, cum ab aliis culpam dimovebit, defensoris locis utetur: sic iis locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, cum in alios ab se crimen volet transferre.

IX. Ex persona autem conjectura capietur, si ea res, qua personis attributa sunt, diligenter considerabuntur, quas omnes in primo libro exposuimus. Nam & de nomine nonnunquam aliquid suspicionis nascitur. Nomen autem cum dicimus, <sup>a</sup> cognomen quoque intelligatur oportet. De hominis enim certo, & proprio vocabulo agitur: ut si dicamus, idcirco aliquem *Caldum* vocari, quod temerario & repentino consilio sit: aut si ea de re hominibus <sup>b</sup> Græcis imperitis verba dedisse, quod *Clodius*, <sup>c</sup> aut *Cæcilius*, aut *Mutius*, vocentur.

Et de natura licet aliquantulum ducere suspicionis. Omnia enim hæc, vir, an mulier; hujus, an illius civitatis sit; quibus sit majoribus <sup>d</sup>, quibus consanguineis, qua ætate, quo animo, quo corpore, quæ naturæ sunt attributa, ad aliquam conjecturam faciendam pertinebunt. Et ex victu multæ trahuntur suspiciones, cum, quemadmodum, & apud quos, & a quibus educatus & eruditus sit, quaeritur, & quibuscum vivat, qua ratione vitæ, quo more domestico vivat. Et ex fortuna

<sup>a</sup> Cognomen ] Lamb. cognomen quoque & *is* modum vericulum fuit? Præterea.

<sup>b</sup> Græcis ] Vid. Man. Græcor.

<sup>c</sup> Quod *Clodius* ] *Clodius*, quod claudicet, vel corpore, vel animo. *Cæcilius*, quod caecus est. *Mutius*, quod mutus. Has vero nomen in Oratore quis ferat? *Muretus*. Proderit tamen ad ridiculum: quo modo *Tullius* in *Verrem*, IV. 24. *Quod unquam lo-*

<sup>d</sup> Quibus sit majoribus ] Ita *Demosthenes* in Oratione pro *Corona* accusatus ab *Æschine* se defendit a genere, & indicium facit se virum optimum esse, quod optimus majoribus sit natus: *Æschinem* vero pessimum, quod infimo genere sit natus. *Nescimus*.

fortuna saepe argumentatio nascitur, cum servus, an liber; pecuniosus, an pauper; nobilis, an ignobilis; felix, an infelix; privatus, an cum potestate sit, aut fuerit, aut futurus sit, consideratur: aut denique aliquid eorum quaritur, quæ fortuna esse attributa intelliguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua & perfecta & constanti animi, aut corporis absolute consistit; quo in genere est virtus, scientia, & quæ contraria sunt, res ipsa, causa posita, docebit, ecquid hic quoque locus suspitionis ostendat. Nam affectionis quidem ratio perspicua solet præ se gerere conjecturam, ut, amor, iracundia, molestia: propterea quod & ipsorum vis intelligitur, & quæ res harum aliquam rem consequantur, faciles cogniti sunt.

Studium autem quoniam est assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desiderabit in causa. Item ex consilio sumetur aliquid suspitionis. Nam consilium est, aliquid faciendi, non faciendive excogitata ratio. Item facta, & casus, & orationes, quæ sunt omnia (ut in confirmationis præceptis dictum est) in tria tempora distributa, facile erit videre, ecquid afferant ad conjecturam confirmandam suspitionis.

X. Ac personis quidem res ea sunt attributa, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accusatoris erit improbatione hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi animus ejus qui insimulatur, in eam suspitionem adducetur, ut a tali culpa non videatur abhorruisse. Ut enim animus alicujus improbare nihil attinet, cum causa, quare peccaverit, non intercesserit: sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestæ rationi affinis ostenditur. Quare vitam ejus, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debet, & ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit. Si id non poterit; si quam in similem ante suspitionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere ejusdem modi causa aliqua commotum peccasse, aut in æque magna re, aut in majore, aut in minore;

nore: ut si, quem pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare, aliqua in re, ejus aliquod factum avarum.

Item in omni causa naturam, aut victum, aut studium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quæ personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adjungere, atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animum adversarii oportebit: ut si avaritia inductum arguas fecisse, & avarum eum, quem accusas, demonstrare non possis; aliis affinem esse vitis doceas, & ex ea re non esse mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse. Quantum enim de honestate & auctoritate ejus, qui arguitur, detractum est, tantum de facultate totius est defensionis diminutum.

Si nulli affinis poterit vitio reus ante admissio demonstrari: locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere. Nam eum ante celasse, nunc manifesto teneri. Quare non oportere hanc rem ex superiori vita spectari, sed superiorem vitam ex hac re improbari, & aut potestatem ante peccandi non fuisse, aut causam. Aut, si hæc dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non esse mirum, si nunc primum deliquerit. Nam necesse est, eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Sin vita ante acta ignorabitur, hoc loco præterito, & cur præteatur, demonstrato, argumentis accusationem statim confirmare oportebit.

XI. Defensor autem primum, si poterit, debet vitam ejus, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua ejus nota, & communia officia: quod genus, in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios: etiam quæ magis rara, & eximia sunt, si ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, cum necesse non esset, officii causa, aut in rempublicam, aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, facta esse dicet. Deinde si nihil deliquisse, nulla cupiditate impeditum ab officio recessisse. Quod eo confirmatius erit, si, cum

cum potestas impune aliquid faciendi minus honeste fuisse dicitur, voluntas ei faciendi demonstrabitur abfuisse.

Hoc autem ipsum genus erit eo firmitus, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer antea fuisse demonstrabitur: ut si, cum avaritiæ causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniæ cupidus fuisse doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, junctâ conquestioni, per quam miserum facinus esse, & indignum demonstrabitur, cum animus omni in vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere: aut iniquum esse, & optimo cuique perniciosissimum, non vitam honeste actam tali in tempore quam plurimum professe, sed subita ex criminatione, quæ confingi facile possit, non ex ante acta vita, quæ neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari possit, facere iudicium.

Sin autem in ante acta vita aliqua turpitudines erunt; aut falso venisse in eam existimationem dicitur, aut ex aliquorum invidia, aut obreftatione, aut falsa opinione: aut imprudentiâ, necessitudinî, aut persuasione, adolescentiâ, aut alicui non malitiôsæ animi affectiõni attribuentur, aut dissimili in genere vitiorum, ut animus non omnino integer, sed a tali culpa remotus esse videatur. Ac si nullo modo vitæ turpitudinî, aut infamiæ leniri poterit oratione; negare oportebit de vita ejus, & moribus quærî, sed de eo crimine, quo de arguatur: quare, ante factis omissis, illud, quod infert, agi oportere.

XII. Ex factis autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotiî ex omnibus partibus pertentabitur: atque hæc suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis, atque ex negotio proficiuntur.

Ex negotio duci poterunt, si eas res, quæ negotiis attributa sunt, diligenter considerabimus. Ex iis igitur in hanc constitutionem convenire videntur genera eorum omnia, partes generum pleraque. Videre igitur primum oportebit, quæ sunt continentia cum ipso negotio, hoc est, quæ ab re separari

rari non possunt. Quo in loco satis erit diligenter considerare, quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata, & faciendi facultas quaesita videatur; quid in ipsa re gerenda; quid postea consecutum sit. Deinde ipsius est negotiî gestio pertractanda: nam hoc genus earum rerum, quæ negotio attributæ sunt, secundo in loco nobis est expositum. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas: quorum uniuscujusque vis diligenter in confirmationis præceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse, aut ne eadem iterum dixisse videamur, breviter demonstrabimus, quid quaque in parte considerari oporteat. In loco igitur oportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia & potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, considerata est.

Deinde videndum est, quid adjunctum sit negotio, hoc est, quid majus, quid minus, quid æque magnum sit, quid simile: ex quibus conjectura quadam ducitur, si, quemadmodum res majores, minores, æque magna, similesque agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus quoque videndus erit: hoc est, quid ex unaquaque re soleat evenire, magnopere considerandum est; ut metus, lætitiâ, timoribus.

Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio. In ea quærantur ea, quæ gestum negotium confestim, aut ex intervallo consequuntur. In qua videbimus eequæ consuetudo sit, eequæ actio, eequod ejus rei artificium sit, aut usus, aut exercitatio hominum, aut approbatio, aut offensio; ex quibus nonnunquam elicitur aliquid suspiciones.

XIII. Sunt autem aliqua suspiciones, quæ committere & ex negotiorum, & ex personarum attributionibus sumuntur. Nam & ex fortuna, & ex natura, & ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio, & ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad easdem res, quæ rem credibilem, aut incredibilem facere possunt, & cum facti suspicio-

ne junguntur. Maxime enim queri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri: deinde cequo ab alio potuerit: deinde facultas, de qua ante diximus: deinde utrum id facinus sit, quod ponere fuerit necesse: item quod spem celandi haberet: deinde necessitudo, in qua, num necesse fuerit id aut fieri, aut ita fieri, queritur. Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut in ea causa, quam exposuimus. Ante rem erit, quod in itinere se tam familiariter applicaverit, quod sermonis causam quasiverit, quod simul diverterit, coenarit. In re, nox, somnus. Post rem, quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitarum tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit.

Horum pars ad consilium pertinet. Queritur enim, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita & excogitata, an ita temere, ut non verisimile sit, quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo queritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, vel a fortuna administrari. Nam saepe si pecunia adjumenta, si adjutores desint, facultas fuisse faciendi non videtur. Hoc modo si diligenter attendamus, apta inter se esse intelligimus haec, quae negotiis, & illa, quae personis sunt attributa.

Hic neque facile est, neque necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, & quo modo defensorem tractare oporteat. Non necessarium, propterea quod, causa posita, quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, sed ad ea, quae praecipua sunt, comparationis modo quandam in commune mediocre intelligentiam conferent. Non facile autem, quod & infinitum est, tot de rebus utramque in partem singillatim de unaquaque explicare, & alias aliter haec in utramque partem causae solent convenire.

XIV. Quare considerare haec, quae exposuimus, oportebit. Facilius autem ad inventionem animus incedet, si gesti negotii, & adversarii narrationem saepe & diligenter per-

\* Habere ] Lamb. non habere.

tractabit, & quid quaeque pars suspicionis habeat, eliciens, considerabit. Quare, quo consilio, qua spe perficiendi quidque factum sit: cur hoc modo potius, quam illo: cur ab hoc potius, quam ab illo: cur nullo adjutore, aut cur hoc: cur nemo sit conscius, aut cur sit, aut cur hic sit: cur hoc ante factum sit: cur hoc ante factum non sit: cur hoc in ipso negotio: cur hoc post negotium: aut quid factum de industria: aut quid rem ipsam consecutum sit: constet oratio aut cum re, aut ipsa secum: hoc hujus rei sit signum, an illius, an hujus & illius, & utrius potius: quid factum sit quod non oportuerit, aut non factum quod oportuerit.

Cum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium<sup>8</sup> conservati loci procedent, de quibus ante dictum est: & cum ex singulis, tum ex conjunctis argumenta certa nascentur. Quorum argumentorum pars probabilis, pars necessario in genere versabitur. Accedunt autem ad conjecturam saepe quaestiones<sup>9</sup>, testimonia, rumores: quae contra omnia uterque simili via praceptorum torquere ad suam causam commodum debet. Nam & ex quaestione suspensiones, & ex testimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, ut ex causa, & ex persona, & ex facto duci oportebit.

Quare nobis & ii videntur errare, qui hoc genus suspicionum artificii non putant indigere, & ii, qui aliter hoc de genere ac de omni conjectura praecipuum putant. Omnis enim iisdem ex locis conjectura sumenda est. Nam & ejus, qui in quaestione aliquid dixerit, & ejus, qui in testimonio, & ipsius rumoris causa, & veritas ex iisdem attributionibus reperietur. Omni autem in causa pars argumentorum est adjuncta ei causae solum, quae dicitur, & ab ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes ejusdem generis causas transferri non satis commode possit: pars autem est pervagatior, & aut

<sup>8</sup> Tum illi ipsi in medium ] Sensus est: Tum reconditi loci conjecturarum essent se in lucem; & cum ex iis separatim sumptis, tum ex iis simul sumptis fient argumenta. Præfatus.

<sup>9</sup> Quaestiones ] Id est, tormenta quae ad-

hibito corporis cruciatu veritatem expriment. De quaestionibus his sive tormentis, itemque de testimoniis & rumoribus agit ex professo Quintilian. lib. 5. cap. 3. 4. 7. pag. 265. 266. & seq. Cap.

are ut omnes ejusdem generis, aut in plerisque causis accommodata.

XV. Hac ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis aut certe rei<sup>10</sup> quandam continet amplificationem: ut si quis hoc velit ostendere, eum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum: quo loco, nisi perorata, & probata causa, non est utendum. Aut dubie<sup>11</sup>, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi: ut suspitionibus credi oportere, & contra, suspitionibus credi non oportere.

Ac pars locorum communium, aut per indignationem, aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est: pars, per aliquam probabilem utraque ex parte rationem.

Distinguitur autem oratio, atque illustratur maxime, raro inducendis locis communibus, & aliquo loco jam certioribus illis argumentis confirmatis. Nam & tum conceditur commune quiddam dicere, cum diligenter aliquis proprius causa locus tractatus est; & auditoris animus, aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus jam dictis exsuscitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus & suavitatis, & gravitatis plurimum consistit, & omnia, quae in inventione verborum, & sententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur.

Quare, non ut causarum, sic oratorum quoque multorum communes loci sunt: nam nisi ab iis, qui multa exercitatione magnam sibi & verborum, & sententiarum copiam comparaverint, tractari non poterint ornate, & graviter, quemadmodum natura ipsorum desiderat. Atque hoc fit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.

XVI. Nunc exponemus, in conjecturalem constitutionem<sup>12</sup> qui loci communes incidere soleant: suspitionibus credi oportere,

<sup>10</sup> Locus communis, aut certe rei Soc. ] Hunc communis loci significatum supra exposuimus ad cap. 27. lib. 1. n. 106. Idem.  
<sup>11</sup> Aut dubie ] Alterum hunc communis loci significatum exposuimus in Quintil. pag.

263. not. 15. ubi quatuor 77. communis loci significationes explanavimus. Idem.

\* Illi ] Vid. Gru. illi auditoribus, & argumentis.

tere, & non oportere: rumoribus credi oportere, & non oportere: testibus credi oportere, & non oportere: quæstionibus credi oportere, & non oportere: vitam ante actam spectari oportere, & non oportere: ejusdem esse, qui in illa re peccavit, & hoc quoque admisisse, & non esse ejusdem: maxime spectari causam oportere, & non oportere. Atque hi quidem, & si qui ejusmodi ex proprio argumento communes loci nascuntur, in contrarias partes diducuntur.

Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem; & alter, per quem negat malorum misereri oportere. Defensoris, per quem calumnia accusatorum cum indignatione ostenditur; & per quem cum conquestione misericordia captatur. Hi & ceteri omnes loci communes ex iisdem præceptis sumuntur, quibus cætera argumentationes: sed illa tenuius, & acutius, & subtilius tractantur: hi autem gravius, & ornatus, & cum verbis, tum etiam sententiis excellentibus. In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur: in his, tamen hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo. Nunc ad aliam constitutionem transeamus.

XVII. Cum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva<sup>13</sup> dicitur. Ejus generis exemplo nobis posita sit hæc causa: C. Flaminius is, qui consilium rempublicam male gessit bello Panico secundo, cum tribunus plebis esset, invito senatu, & omnino contra voluntatem omnium optimatum, per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit: arcessit majestatis. Intentio est<sup>14</sup>: Majestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti. Depulsio est<sup>15</sup>: Non minui majestatem. Quæstio est: Majestatem minuerit. Ratio<sup>16</sup>: In filium enim quam habebam pote-

<sup>12</sup> In conjecturalem constitutionem ] De qua vide quæ annotavimus ad lib. 1. cap. 8. n. 19. Idem.

<sup>13</sup> Constitutio definitiva ] De qua vide ad cap. 8. n. 20. Idem.

<sup>14</sup> Intentio est ] Hoc est, accusatio, si ve accusatoris alio. Idem.

<sup>15</sup> Depulsio est ] Id est, accusationis re-futatio, sive rei defensio. Idem.

<sup>16</sup> Ratio ] Actus vel actus, id est, causa quam Reus ad sui defensionem profert. Vide quæ annotavimus ad lib. 1. cap. 23. n. (47) Idem.



potestatem, ea usus sum. Rationis infirmatio: At enim, qui patria potestate, hoc est, privata quadam, tribunitiam potestatem, hoc est, populi potestatem infirmat, minuit is majestatem. Judicatio<sup>17</sup> est, Minuatne is majestatem, qui in tribunitiam potestatem patria potestate utatur. Ad hanc judicationem argumentationes omnes afferri oportebit.

Ac, ne quis forte arbitretur nos non intelligere aliam quoque incidere constitutionem in hanc causam, eam nos partem solam sumimus, in qua praecepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quibusvis in causa, si diligenter attendet, omnes videbit constitutiones, & earum partes, & controversias, si quae forte in eas incident. Nam de omnibus perscribemus. Primus ergo accusatoris locus est, ejus nominis, cujus de vi quaritur, brevis, & aperta, & ex hominum opinione definitio, hoc modo: Majestatem minuere, est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. Hoc sic breviter expositum, pluribus verbis est & rationibus confirmandum, & ita esse, ut describeris, ostendendum. Postea ad id, quod definiris, factum ejus, qui accusabitur, adungere oportebit; & ex eo, quod ostenderit esse, verbi causa, majestatem minuere, docere, adversarium majestatem minuisse; & hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur.

Post erit infirmanda adversariorum descriptio<sup>18</sup>. Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur, cum, quemadmodum, & quibus in rebus homines in consuetudine scribendi, aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Item infirmabitur, si turpis, aut inutilis esse ostendatur ejus descriptionis approbatio, & si, quae incommoda consecutura sint, eo concesso, ostendatur. Id autem ex honestatis & utilitatis partibus sumetur, de quibus in deliberationis praeceptis exponemus. Et si cum definitione nostra

<sup>17</sup> Judicatio ] *Tē agitur*, id est, hoc ipsum de quo iudices laturi sunt sententiam. Vide ad cap. 13. n. 42. *Idem*.

<sup>18</sup> Descriptio ] Hoc est, definitio ejus vocabuli, cujus vis inquiritur & significatio venit in controversiam. *Idem*.

nostra adversariorum definitionem conferemus, & nostram, veram, honestam, utilem esse demonstrabimus: illorum, contra. Quæremus autem res, aut majori, aut minori, aut pari in negotio similes, ex quibus affirmetur nostra descriptio.

XVIII. Jam si res plures erunt definiendæ: ut, si quaratur, fur sit, an sacrilegus, qui vasa ex privato sacra surripuerit; erit utendum pluribus definitionibus: deinde simili ratione causa tractanda. Locus autem communis in ejus malitiam, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi arrogare conetur, ut & faciat quod velit, & id, quod fecerit, quo velit nomine appellet. Deinde defensoris primus locus est, item nominis brevis, & aperta, & ex opinione hominum descriptio, hoc modo: Majestatem minuire, est aliquid de republica, cum potestatem non habeas, administrare. Deinde hujus confirmatio similibus, & exemplis, & rationibus. Postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honestas adaugetur.

Deinde<sup>a</sup> sequitur adversariorum definitionis reprehensio, quæ iisdem ex locis omnibus, quos accusatori præscripsimus, conficitur: & cætera post eadem præter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defensoris is, per quem indignabitur, accusatorem sui periculi causa, non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumnia accusatorum demonstrandæ, aut misericordiae captandæ, aut facti indignandi, aut a misericordia deterrendi causa sumuntur, ex periculi magnitudine, non ex causæ genere, ducuntur.<sup>b</sup> Quare non in omnem causam, sed in omne causæ genus incidunt. Eorum mentionem in conjecturali constitutione fecimus. Inductionem autem eorum, cum causa postulabit, utemur.

XIX. Cum autem actio, translationis, aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua

Tom. I.

L

pcena,

<sup>a</sup> Sequitur ] Lamb. Sequitur

<sup>b</sup> Quare ] Lamb. Quare non in omne causa genus incidunt. Eorum

pœna, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio translativa<sup>19</sup> appellatur. Hujus nobis exempla permulta opus sunt, si singula translationum genera quæramus: sed quia ratio præceptorum similis est, exemplorum multitudine superfluum est. Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes. Nam & prætoris exceptionibus<sup>20</sup> multæ excludantur actiones, & ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.

Quare in jure plerumque versantur. Ibi enim & exceptiones postulantur, & quodammodo agendi potestas datur, & omnis conceptio<sup>21</sup> privatorum judiciorum constituitur. In ipsis autem judiciis rarius incidunt, & tamen si quando incidunt, ejusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis: confirmantur autem assumpta alia aliqua constitutione<sup>22</sup>. Ut in quodam judicio, cum venefici cujusdam nomen esset delatum, &, quia parricidii causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum, cum in accusatione alia quædam crimina testibus & argumentis confirmarentur, parricidii autem solum mentio facta esset: defensor in hoc ipso multum oportet, ut diu consistat: cum de nece parentis nihil demonstratum sit, indignum facinus esse ea pœna afficere eum, qua parricida afficiuntur. Id autem, si damnaretur, fieri necesse esset, quoniam & id causa subscriptum, & ex ea re nomen extra ordinem sit acceptum. Ea igitur pœna si affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea pœna damnationem necessario consequatur. Hic defensor pœnæ commutationem ex translativo genere inducendo, totam infirmabit accusationem. Verumtamen cæteris quoque criminibus

<sup>19</sup> *Constitutio translativa* ] De qua vido que annotavimus ad lib. 1. cap. 8. n. ( 22. ) Idem.

<sup>20</sup> *Prætoris exceptionibus* ] Excipere, proprie est detrahere: & inde dicta exceptio est, quod partem aliquam de universo Actoris jure detrahit vulgari formula *Nisi si vel si non*, vel *Extra quam*; quasi defensor aliqua ex parte veram esse actoris intentio-

nem fateretur, sed tamen cum exceptione. Prætoris exceptiones erant, quia Prætor exposita causa actionis formulam præscribat. *Prætoris*.

<sup>21</sup> *Conceptio* ] A jureconsultis dicitur formula. *Idem*.

<sup>22</sup> *Assumpta alia aliqua constitutione* ] Id est, assumendo quendam alium statum questionis. *Cæpper*.

nibus defendendis conjecturali constitutione translationem confirmabit<sup>23</sup>.

XX. Exemplum autem translationis in causa nobis positum sit hujusmodi: Cum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra prætor fuerunt, & cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti, gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, a prætor exceptionem, *Extra quam*<sup>24</sup> *in reum capitis præjudicium fiat*. Hic is, qui agit, judicium purum postulat. Ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quæstio est, Excipiendum sit, an non. Ratio<sup>25</sup>, Non enim oportet, in recuperatorio judicio<sup>26</sup>, ejus maleficii, de quo inter sicarios quaritur, præjudicium fieri. Infirmatio rationis, Ejusmodi sunt injuriæ, ut de his indignum sit non primo quoque tempore judicari. Judicatio<sup>27</sup>, Atrocitas injuriarum satisne causa sit, quare, dum ea judicetur, de aliquo majore maleficio, de quo judicium comparatum sit, præjudicetur. Atque exemplum quidem hoc est. In omni autem causa ab utroque quarri oportebit, a quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore aut agi, aut judicari, aut quid statui, de ea re conveniat.

Id ex partibus juris, de quibus post dicendum est, sumi oportebit, & ratiocinari, quid in similibus rebus fieri soleat, & videre, utrum malitia quod aliud agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, quod alio modo agi non possit, an occasione agendi sic sit judicium, aut actio constituta, an recte sine ulla re ejusmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet, fugere judicium ac pœnam, quia causa diffidat. A translatione autem,

L 2

<sup>23</sup> *Conjecturali constitutione translationem confirmabit* ] Id est, confirmabit translative illam causæ constitutionem, movendo questionem facti, vel de facto. *Id*.

<sup>24</sup> *Extra quam* ] Vid. P. Nannii Miscellan. lib. 9. cap. 6. ut & Brissonium de Formulis.

<sup>25</sup> *Ratio* ] Vide que notavimus ad lib. 2. cap. 17. n. 16. *Cæpper*.

<sup>26</sup> *In recuperatorio judicio* ] Recuperato-

rium-judicium dicebatur, quod ferebant Recuperatores. Hi porro judices quidam erant a Prætoro privati in controversiis de re quælibet dati; quos etiam a recuperando ita vocatos ajunt, quod per eos suum quisque jus recuperare possit, vel quod de honorum inique ablatorum recuperatione, æstimandis que injuriis cognoscere. *Idem*.

<sup>27</sup> *Judicatio* ] Vide que notata sunt ad lib. 2. cap. 17. n. 17. *Idem*.

tem, omnium fore perturbationem, si non ita res agatur, & in iudicium veniat, quo pacto oporteat: hoc est, si aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore: atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur eae constitutiones, quae partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem constitutionem, & partes eius consideremus.

XXI. Cum & factio, & facti nomine concessio, neque ulla actionis illata controversia<sup>28</sup>, vis, & natura, & genus negotii ipsius quaritur; constitutionem generalem<sup>29</sup> appellamus. Hujus primas esse partes duas nobis videri diximus, negotialem & iudicialem. Negotialis est<sup>30</sup>, quae in ipso negotio juris civilis habet implicitam controversiam. Ea est huiusmodi: Quidam pupillum heredem fecit; pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam veniret<sup>31</sup>. De hereditate ea, quae pupillo venit, inter eos qui patris pupilli heredes secundi sunt, & inter agnatos pupilli controversa est. Possessio heredum secundorum est. Intentio est<sup>32</sup> agnatorum: Nostra pecunia est, de qua is, cuius agnati sumus, testatus non est. Depulsio<sup>33</sup> est: Immo nostra, qui heredes secundi testamento patris sumus. Quaestio est: Utrorum sit. Ratio est<sup>34</sup>: Pater enim & sibi & filio testamentum scripsit, dum is pupillus esset. Quare, quae filii fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est. Infirmatio est rationis: Immo pater sibi scripsit, & secundum heredem non filio, sed sibi iussit esse. Quare, praeferquam quod ipsius fuit in testamento, ulius vestrum esse non potest. Judicatio<sup>35</sup>: Possitne quisquam

<sup>28</sup> *Alienis illata controversia* ] Ea ipsa est quae alias *translatio* & *translativa causa* constitutio appellatur, & *translativa*, & *translativa*, de qua vide cap. 8. lib. 1. n. 22. *Idem*.

<sup>29</sup> *Constitutionem generalem* ] De hac vide quae notavimus ibid. *Idem*.

<sup>30</sup> *Negotialis est* ] De qua lege quae supra notata sunt ad cap. 11. lib. 1. n. 25. *Idem*.

<sup>31</sup> *Quam in suam tutelam, &c.* ] Id est antequam pubes factus esset, & testari posset: in *suam* enim tutelam venire, vel *suam*

*tutelam fieri*, nihil aliud est quam ad pubertatem venire. *g. l. si filiofamilias 51. ff. de legat. 3. l. 5. §. 2. ff. quibus ex causis in possessionem*. Gothofredus.

<sup>32</sup> *Intentio est* ] Hoc est, petitio, sine postulatio. *Capperonarius*.

<sup>33</sup> *Depulsio* ] Id est, recusatio, refutatio, denegatio. *Idem*.

<sup>34</sup> *Ratio est* ] Vide quae notata sunt ad cap. 17. lib. 2. n. 16. *Idem*.

<sup>35</sup> *Judicatio* ] Vide supra ibid. n. 17. *Idem*.

de filii pupilli re testari. An heredes secundi, ipsius patrisfamilias, non filii quoque ejus pupilli heredes sint.

Atque hoc non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut usquequaque dicatur, hic admonere. Sunt causa, quae plures habent rationes in simplici constitutione<sup>36</sup>: quod fit, cum id, quod factum est, aut quod defenditur, pluribus de causis restum, aut probabile videri potest, ut in hac ipsa causa. Supponatur enim ab heredibus haec ratio: Unius enim pecuniae plures dissimilibus de causis heredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut ejusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esset. Infirmatio autem haec erit: Non est una pecunia, propterea quod altera jam erat pupilli adventitia: cuius heres non, illo tempore, in testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset: & de altera, patris etiam nunc mortui voluntas plurimum valebat, quae jam mortuo pupillo suis heredibus concedebat. Judicatio est: Unane pecunia fuerit. Aut, si haec erunt usi infirmatione, Possit plures esse unius heredes pecuniae dissimilibus de causis; de eo ipso judicatio nascitur: Possintne ejusdem pecuniae plures dissimilibus generibus esse heredes.

XXII. Ergo una in constitutione intellectum est, quomodo & rationes, & rationum infirmationes, & praeterea iudicaciones plures fiant. Nunc huius generis praecipua videamus. Utrisque, aut etiam omnibus, si plures ambigent, jus ex quibus rebus constet, est considerandum. Initium ergo ejus ab natura ductum videtur: quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis, aut obscura, in consuetudinem venisse: post autem, approbata quaedam a consuetudine, aut vero utilia visa, legibus esse firmata. Ac natura quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem.

Religionem, eam, quae in metu & caeremonia deorum fit, appell-

<sup>36</sup> *Constitutione* ] *Ti. edru.* Vulgo dicuntur systemata, fufius exposuimus ad Quintilian. lib. 3. cap. 6. pag. 181. not. 468. *Idem*. Et quam varia sint de his veterum Rhetorum

appellat. Pietatem, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine conjunctos officium conservare moneat. Gratiâ, quæ in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum, observantiam teneat. Vindictionem, per quam vim & contumeliam, defendendo aut ulciscendo, propulsumus a nobis, & a nostris, qui nobis esse cari debent, & per quam peccata punimus. Observantiam, per quam ætate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur, & colimus.

Veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat, aut factum, aut futurum sit.

Ac natura quidem jura minus ipsa quarantur ad hanc controversiam, quod neque in hoc civili jure versantur, & a vulgari intelligentia remotiora sunt: ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda. Consuetudinis autem jus esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobavit. In ea autem jura sunt quedam ipsa jam certa propter vetustatem. Quo in genere & alia sunt multa, & eorum multo maxima pars, quæ prætores edicere consueverunt. Quædam autem genera juris, jam certa consuetudine facta sunt. Quod genus, pactum, par, judicatum.

Pactum est, quod inter aliquos convenit, quod jam ita justum putatur, ut juri præstare dicatur. Par, quod in omnes æquabile est. Judicatum, de quo jam ante sententia alicujus, aut aliquorum constitutum est. Jam jura legitima ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus juris, quidquid aut ex ipsa re, aut ex simili, aut ex majore, aut ex minore, nasci videbitur, quisque attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem juris debet. Locorum autem communium, quoniam (ut ante dictum est) duo sunt genera, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ <sup>37</sup> continet amplificationem, quid ipsa causa det, & quid augeri per communem locum possit, & oporteat, considerabitur. Nam

<sup>37</sup> Locorum communium... duo sunt genera. Vide que de his notavimus ad cap. 15. lib. 2. n. 10. Idem.

certi, qui in omnes incidant, loci præscribi non possunt: in plerisque fortasse ab auctoritate jurisconsultorum, & contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum est autem & in hac, & in omnibus, num quos locos communes, præter eos, quos exposuimus, ipsa res ostendat. Nunc juridiciale genus, & partes ejus consideremus.

XXIII. Juridiciale est <sup>38</sup>, in qua æqui & iniqui natura, & præmii aut pœnæ ratio quaritur. Hujus partes sunt duæ, quarum alteram absolutam, assumptivam alteram nominamus. Absoluta est <sup>39</sup>, quæ ipsa in se, non ut negotialis implicite & abscondite, sed patentius & expeditius recti & non recti questionem continet. Ea est hujusmodi: Cum Thebani Lacedæmonios bello superavissent, & fere mos esset Graiis, cum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropæum aliquod in finibus statuerent, victoria modo in præsentia declarandæ causa, non ut in perpetuum belli memoria maneret; æneum statuerunt tropæum. Accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Græciæ concilium.

Intentio est <sup>40</sup>, Non oportuit. Depulsio est <sup>41</sup>, Oportuit. Quæstio est, Oportueritne. Ratio est <sup>42</sup>: Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut ejus æterna insignia posteris nostris relinquere vellemus. Infirmatio est: Attamen æternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis statuere non oportet: Judicatio est <sup>43</sup>: Cum summæ virtutis celebrandæ causa Graii de Graiis æternum inimicitiarum monumentum statuerint, rectene, an contra fecerint. Hanc ideo rationem subjecimus, ut hoc causæ genus ipsum, de quo agimus, cognosceret. Nam si eam supposuissimus, qua fortasse usi sunt: Non enim juste, neque pie bellum gessistis; in relationem criminis <sup>44</sup> dilaberemur; de qua post loquemur.

## Utrum-

<sup>38</sup> Juridiciale est ] De qua vide que supra notavimus ad cap. 11. lib. 1. n. 24. Idem.

<sup>39</sup> Absoluta est ] Vide ibid. n. 26. Idem.

<sup>40</sup> Intentio est ] Id est, accusatio, accusatoris actio, qua cupiam crimen intent. Idem.

<sup>41</sup> Depulsio est ] Id est, accusationis refuta-

tio, seu Rei defensio. Idem.

<sup>42</sup> Ratio est ] Vide cap. 17. lib. 2. n. 16. Idem.

<sup>43</sup> Judicatio ] Vide ibid. n. 17. Idem.

<sup>44</sup> Relationem criminis ] Το ἀντιθέσπον. Herennianus Rhetor statum hunc vocat Translationem criminis. Vide Quintil. pag. 181. not. 408. Vide etiam Ciceronem ipsum hoc in libro, cap. 26. Idem.

Utramque autem causæ genus in hanc causam incidere perpicuum est. In hanc argumentationes ex iisdem locis sumendæ sunt, atque in causam negotialem, de qua ante dictum est. Locos autem communes & ex causa ipsa, si quid inerit indignationis aut conquestionis, & ex juris utilitate, & natura multos & graves sumere licebit, & oportebit, si causæ dignitas videbitur postulare.

XXIV. Nunc assumptivam partem judicialis consideremus. Assumptiva 45 igitur tunc dicitur, cum ipsum ex se factum probari non potest: aliquo autem foris adjuncto argumento defenditur. Ejus partes sunt quatuor; comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio 46.

Comparatio est 47, cum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex eo, cuius id causa factum est, defenditur. Ea est hujusmodi: Quidam imperator, cum ab hostibus circumfereretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma & impedimenta relinqueret, milites educeret, itaque fecit: armis & impedimentis amissis, præter spem milites conservavit. Accusatur majestatis 48. Incurrit huc definitio 49. Sed nos hunc locum, de quo agitur, consideremus.

Intentio est, Non oportuit arma & impedimenta relinquere. Depulsio est, Oportuit. Quæstio est, Oportueritne. Ratio est, Milites enim omnes periissent. Infirmatio est, aut conjecturalis 50, Non periissent: aut altera conjecturalis, Non ideo fecisti. Ex quibus sunt judicationes, Periissentne; &, Ideone fecerit: aut hæc comparativa, cuius nunc indigemus, At enim satius fuit amittere milites, quam arma & impedimenta hostibus concedere. Ex qua judicatio nascitur: Cum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent, utrum

45 Assumptiva ] *Αποδεικτική*, vel *ἀποδεικτική* vocat. Lege Quintilian, pag. 181. not. 468. *Idem*.

46 Comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio ] De horum vocabulorum sensu, vide supra cap. 11. lib. 1. n. 28. & ipsum Ciceronem hic cap. 24. 26. 29. & 31. *Idem*.

47 Comparatio est ] *Αἰτιολογία*. Græci Rhetores

vocant. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. *Idem*.

48 Majestatis ] Subauditur *lesæ*. *Idem*.

49 Definitio ] Id est, questionis oratoricæ status, cui nomen *Definitivæ* constitutio, *ἔκδοξις*, *ἐξορισμός*. Vide supra cap. 8. lib. 1. n. 20. *Idem*.

50 Conjecturalis ] Id est, movendo questionem facti vel de facto. *Idem*.

utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem venire. Hoc causæ genus ex his locis tractari conveniet.

Oportebit adhibere cæterarum quoque constitutionum rationem, atque præcepta, ac maxime conjecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accusabuntur, comparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum esset, quo de facto judicium est, futurum fuisse negabitur: aut si alia ratione, & aliam ob causam, ac dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum. Ejus rei confirmatio, & item contraria de parte infirmatio, ex conjecturali constitutione 51 sumetur. Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in iudicium, sicut in hac causa (nam majestatis accessit, ) definitione & definitionis præceptis uti oportet.

XXV. Atque 52 hæc quidem plerumque in hoc genere incidunt, ut conjectura & definitione 53 utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, ejus generis præcepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandum, ut id ipsum factum, propter quod sibi reus concedi putat oportere, quam plurimis infirmet rationibus. Quod facile est, si quam plurimis constitutionibus 54 aggrediatur id improbare.

Ipsa autem comparatio separata a cæteris generibus controversiarum sic ex sua vi considerabitur, si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut non utile, aut non necessarium fuisse, aut non tantopere utile, aut non tantopere honestum, aut non tantopere necessarium fuisse demonstrabitur. Deinde oportet accusatorem, illud, quod ipse arguit, ab eo, quod defensor comparat, separare. Id autem faciet, si demonstrabit non ita fieri solere, neque oportere, neque esse ra-

## Tom. I.

51 Ex conjecturali constitutione ] Id est, ex eo questionis oratoricæ statu, quem vulgo vocamus facti vel de facto questionem. Græci Rhetores *ἐξορισμός*, *ἐξορισμὸς* vocant. Alia ejusdem nomina vide supra cap. 8. lib. 1. n. 12. *Idem*.

52 Hæc ] *ἢ* Græc. hoc quidem plerumque in genere accidit.

53 Conjectura & definitio ] Hoc est,

his questionum oratoriarum statibus, quorum alter vocatur *conjecturalis*, *ἐξορισμός*, vulgo facti *questio*; alter definitivus, *ἔκδοξις*, *ἐξορισμός*; de quibus vide ut sup. n. 19. & 20. *Idem*.

54 Constitutionibus ] Id est, oratoriarum questionum statibus in genere judiciali. *Idem*.

tionem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter salutem militum ea, quæ salutis causa comparata sunt, hostibus tradantur. Postea comparare oportebit cum beneficio maleficium, & omnino id quod arguitur, cum eo quod factum ab defensore laudatur, aut faciendum fuisse demonstratur, contendere, & hoc extenuando, maleficii magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si demonstrabitur, honestius, utilius, magis necessarium fuisse illud quod vitari reus, quam illud quod fecerit. Honesti autem, & utilis, & necessarii vis & natura in deliberationis præceptis cognoscetur. Deinde oportebit ipsam illam comparativam judicationem exponere, tanquam causam deliberativam, & de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere. Sit enim hæc judicatio, quam ante exposuimus: Cum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent, utrum satius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem venire. Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquam in consultationem res veniat, tractari oportebit.

XXVI. Defensor autem, quibus in locis ab accusatore alie constitutiones erunt inductæ, in iis ipse quoque ex iisdem constitutionibus defensionem comparabit: ceteros autem omnes locos, qui ad ipsam comparisonem<sup>54</sup> pertinebunt, ex contrario tractabit. Loci autem communes erunt, Accusatoris, in eum, qui cum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque fateatur, querat tamen aliquam defensionem, & facti inutilitatem, aut turpitudinem cum indignatione proferre. Defensoris est, nullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honestum putari oportere, nisi, quo animo, quo tempore, qua de causa factum sit, intelligatur. Qui locus ita communis est, ut bene tractatus in hac causa, magno ad persuadendum momento futurus sit. Et alter locus, per quem magna cum amplificatione, beneficii magnitudo ex utilitate, aut honestate, aut facti necessitudine demonstratur. Et tertius, per quem res expressa verbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipsi se quoque idem facturos fuisse arbitrentur, si sibi

<sup>54</sup> Ad ipsam comparisonem ] Hoc est, nomen comparativæ, demonstrat. Vide cap. 11. ad eum qualitatis assumptivæ statum, cui lib. 1. n. 31. Idem.

si sibi illa res, atque ea faciendi causa per idem tempus accidisset.

Relatio criminis<sup>55</sup> est, cum reus id, quod arguitur, confessus, alterius se inductum peccato, jure fecisse demonstrat. Ea est hujusmodi: Horatius occisis tribus Curiatii, & duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem: sponi autem nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu & lamentatione. Indigne passus, virginem occidit. Accusatur. Intentio est, Injuria sororem occidisti. Depulso est, Jure occidisti. Quæstio est, Jurene occiderit, fratrum negligebat; me & populum Romanum vicisse moleste ferebat. Infirmatio est: Tamen a fratre indemnatum necari non oportuit. Ex qua judicatio fit: Cum Horatia fratrum mortem negligeret, hostium lugeret, de fratre & populi Romani victoria non gauderet, oportuitne eam a fratre indemnatum necari.

XXVII. Hoc in genere causæ, primum si quid ex cæteris dabitur constitutionibus, sumi oportebit, sicut in comparatione præceptum est. Postea si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transfertur, defendere. Deinde levius esse illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipse susceperit. Postea translationis<sup>56</sup> partibus uti, & ostendere a quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore aut agi, aut judicari, aut statui de ea re venerit: ac simul ostendere, non oportuisse ante supplicium, quam judicium, interponere. Tum leges quoque & judicia demonstranda sunt, per quæ potuerit id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit, moribus & judicio vindicari. Deinde negare debet, audiri oportere id, quod in eum criminis confertur, de quo is ipse, qui confertur, judicium fieri noluerit: & id, quod judicatum non sit, pro infecto haberi oportere.

M 2

<sup>55</sup> Relatio criminis ] Græci vocant ἀπολογία, quasi dicens iustificacionem. Vide ut sup. n. 31. Idem.

<sup>56</sup> Translationis ] Quam Tullius alibi vocat translationem causæ constitutionem, Græci ἀπολογία, & aliquando παραγωγή. Tunc

autem locum habet hic questionis oratoricæ status, cum litigantium alter contendit non apud hos iudices, aut non hoc tempore, aut non hac lege secum agi oportere. Vide supra cap. 8. lib. 1. n. 22. Cappæcon-  
teritur.

tere. Postea impudentiam demonstrare eorum, qui cum nunc apud iudices accusent, quem sine iudicibus ipsi condemnarint: & de eo iudicium faciant, de quo jam ipsi supplicium sumpserint. Postea perturbationem iudicii futuram dicemus, & iudices longius, quam potestatem habeant, progressuros, si simul & de reo, & de eo, quem reus arguat, iudicarint. Deinde, hoc si constitutum sit, ut peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequatur. Ac si idem facere ipse, qui nunc accusat, voluisset; ne hoc quidem ipso quidquam opus fuisset iudicio: si vero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. Postea demonstrabitur, ne, si iudicio quidem illa damnata esset; in quam id crimen ab reo conferatur, potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere. Quare esse indignum, eum, qui ne de damnata quidem poenas sumere potuisset, de ea supplicium sumpserit, quae ne adducta quidem sit in iudicium. Deinde postulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde quemadmodum in comparatione praecipiebamus, ut illud quod comparabatur, extenuaretur ab accusatore quam maxime: sic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum huius maleficio, qui se jure fecisse dicat, comparare. Postea demonstrandum est, non esse illud eiusmodi, ut ob id hoc fieri conveniret. Extrema est, ut in comparatione, assumptio iudicationis, & de ea per amplificationem ex deliberationis <sup>57</sup> praecipis distinctio.

XXVIII. Defensor autem, quae per alias constitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi sunt, infirmabit. Ipsam autem relationem <sup>58</sup> comprobabit, primum augendo ejus, in quem refert crimen, culpam & audaciam, & quam maxime per indignationem, si res feret, juncta conquestione, ante oculos ponendo. Postea levius demonstrando reum punitum, quam sit ille promeritus, & suum supplicium cum illius injuria

<sup>57</sup> Deliberationis ] Id est, earum orationum, quae versantur in genere deliberativo. Vide supra cap. 5. lib. 2. n. 5. Idem.

<sup>58</sup> Relationem ] Id est, eum qualitatis assumptivae statum, quem Cicero relationem

crimini, Herennianus Rhetor translationem criminis, Graeci ἀναγωγὴν (quasi recriminationem) appellant. Vide supra cap. 11. lib. 1. n. 31. & cap. 26. lib. 2. n. 55. Idem.

injuriam conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accusatore tractati, ut refelli, & contrariam in partem converti possint, quo in genere sunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare.

Illam autem acerrima accusatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonstrant, si de indemnato supplicii sumendi potestas data sit, levabitur. Primum si eiusmodi demonstrabitur injuria, ut non modo viro bono, verum omnino homini libero videatur non fuisse toleranda. Deinde ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur. Deinde eiusmodi, ut in eam is maxime debuerit animadvertere, qui animadverterit: ut non tam rectum, non tam fuerit honestum, in iudicium illam rem pervenire, quam eo modo, atque ab eo vindicari, quo modo, & a quo sit vindicata. Postea sic rem fuisse apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hic demonstrandum est rationibus, & rebus similibus, permultas ita atroces, & perspicuas res esse, ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quin mox iudicium fiat, expectare. Locus communis accusatoris in eum, qui cum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei comparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonstratio, & de eo conquestio, qui supplicium dederit indemnatus; in ejus autem, qui sumpserit, audaciam & crudelitatem, indignatio.

Ab defensore, in ejus, quem ultus sit, audaciam \* conquestio: rem non ex nomine ipsius negotii, sed ex consilio ejus, qui fecerit, & causa, & tempore considerari oportere: quid mali futurum sit, aut ex injuria, aut ex scelere alicujus, nisi tanta, & tam perspicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram esse omnibus, aut necesse est, aut oportet esse, fuerit vindicata.

XXIX. Remotio criminis <sup>59</sup> est, cum ejus intentio facti, quod

\* Conquestio ] Vid. Man. Grut. sui conquestione.

<sup>59</sup> Remotio criminis ] Unus est e qualitatis assumptivae statibus, cui nomen

quod ab adverfario inferitur, in alium, aut in aliud dimove-  
rur. Id fit bipartito: nam tum caufa, tum res ipfa remo-  
vetur.

Cauſa remotionis hoc nobis exemplo fit: Rhodii quofdam  
legarunt Athenas. Legatis quaeftores ſumptum, quem oportebat  
dari, non dederunt. Legati profeſti non ſunt. Accuſantur.  
Intentio eſt, Proſiciſci oportuit. Depulſio eſt, Non o-  
portuit. Quaefio eſt, Oportueritne. Ratio eſt, Sumptus e-  
nim qui de publico dari ſolet, is ab quaefiore non eſt datus.  
Infirmatio eſt, Vos tamen id, quod publice vobis datum e-  
rat negotii, conficere oportebat. Judicatio eſt, Cum iis, qui  
legati erant, ſumptus, qui de publico debebatur, non dare-  
tur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem. Hoc  
in genere primum, ſicut in cæteris, ſi quid aut ex conjectu-  
rali, aut ex alia conſtitutione <sup>60</sup> ſumi poſſit, videri oportebit.  
Deinde pleraque ex comparatione <sup>61</sup>, & ex relatione  
criminis <sup>62</sup> in hanc quoque cauſam convenire poterunt.

Accuſator autem illum, cujus culpa id factum reus dicit,  
primum defendet, ſi poterit. Sin minus poterit, \* negabit,  
ad hoc iudicium, illius, ſed huius, quem ipſe accuſet, cul-  
pam pertinere. Poſtea dicit, Suo quemque officio conſulere  
oportere: nec, ſi ille peccaſſet, hunc oportuiſſe peccare.  
Deinde ſi ille deliquerit, ſeparatim illum, ſicut hunc, accu-  
ſari oportere, & non cum huius deſenſione conjungi illius ac-  
cuſationem. Deſenſor autem cum cætera, ſi qua ex aliis in-  
cident conſtitutionibus, pertractarit, de ipſa remotione ſic  
argumentabitur. Primum cujus acciderit culpa, demonſtrabit:  
Deinde, cum id aliena culpa accidiſſet, offendet ſe aut non  
potuiſſe, aut non debuifſe id facere, quod accuſator dicat o-  
portuiſſe. Quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in qui-  
bus eſt neceſſitudinis vis implicata, demonſtrabit. Quod non  
debuerit, ex honeſtate conſiderabitur. De utroque diſtinctus  
in

ſunt apud Græcos Rhetores. Lege ſis Quin-  
tilian. lib. 3. cap. 6. pag. 181. not. 468.  
Idem.

<sup>60</sup> Ex conjecturali... conſtitutione ] Vide  
hic cap. 24. lib. 1. n. 51. Idem.

<sup>61</sup> Ex comparatione ] Vide ibid. n. 47.

& cap. 26. n. 54. Idem.

<sup>62</sup> Ex relatione criminis ] Vide hic cap.  
26. n. 55; & cap. 18. n. 58. Idem.

\* Negabit ] Lamb. negabit hoc eſt iudicium  
illius, ſed ad huius... culpam perti-  
nere.

in deliberativo genere dicitur. Deinde omnia facta eſſe ab  
reo, quæ in ipſius fuerint poteſtate: quod minus, quam  
convenerit, factum ſit, culpa id alterius accidiſſe. Deinde in  
alterius culpa exponenda demonſtrandum eſt, quantum volun-  
tatis, & ſtudii fuerit in ipſo: & id ſignis confirmandum hu-  
juſmodi, ex cætera diligentia, ex ante factis, aut dictis; at-  
que hoc ipſi utile fuiſſe facere, inutile autem non facere; &  
cum cætera vita magis hoc fuiſſe conſentaneum, quam quod  
propter alterius culpam non fecerit.

XXX. Sin autem non in hominem certum, ſed in rem ali-  
quam cauſa dimovebitur, ut in hac eadem re, ſi quaefor  
mortuus eſſet, & idcirco legatis pecunia data non eſſet; ac-  
cuſatione alterius, & culpæ depulſione dempta, cæteris ſimili-  
ter uti locis oportebit, & ex conſeſſionis <sup>63</sup> partibus quæ  
convenient, aſſumere: de quibus poſt nobis dicendum erit.  
Locis autem communes, iidem utriſque fere, qui ſuperioribus  
aſſumptivis <sup>64</sup>, incident. Hi tamen certiffimi: accuſatoris,  
facti indignatio; deſenſoris, cum in alio culpa ſit, in ipſo  
non ſit, ſupplicio reum affici non oportere.

Ipius autem rei ſit remotio, cum id, quod datur crimi-  
ni, negat neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus perti-  
nuifſe: nec, ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui oportere.  
Id genus cauſæ eſt huiusmodi: In eo fœdere, quod fa-  
ctum eſt quondam cum Samnitibus, quidam adoleſcens nobi-  
lis porcam ſuſtinuit <sup>65</sup> jufſu imperatoris. Fœdere autem ab  
ſenatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito <sup>66</sup>, qui-  
dam

*Cæſa iungunt ſædera porca.*

<sup>63</sup> Conſeſſionis ] Conſeſſio unus eſt e  
qualitatis aſſumptivæ ſtatibus, cui apud Græcos  
nomen eſt *εὐχρησία*, venia; unde a Latinis  
dicitur etiam *ſtatus venialis*, & *deprecatio*.  
Vide ſupra cap. 11. lib. 1. n. 28. & cap.  
31. lib. 2. n. 67. Idem.

<sup>64</sup> Superioribus aſſumptivis ] Quatuor ſunt  
qualitatis aſſumptivæ ſtatus; comparatio,  
relatio criminis, remotio criminis, & con-  
ceſſio. Duos priores his verbis Tullius deſi-  
gnavit. Idem.

<sup>65</sup> Porcam ſuſtinuit ] Nam, ut ait Vir-  
gilius, *Æneid. VIII. 641.*

Mirifice hic locus illuſtratur denario quo-  
dam argenteo, quem ab Italicis populis,  
quo tempore bellum Marſicum motum eſt,  
cuſum, exſtitmare poſſumus de eo, quod I-  
TALIA inſcriptum in eo ſit, & in medio mi-  
litarum fœderum ſerientium vir inciuſus, qui por-  
cam huiusmodi ſuſtinuit. *Uſanus.* De hoc de-  
nario, & alio non diſſimilis typi conſulend-  
us eſt Spanhemius, Diſſert. x. de Uſu &  
Præſtantia Numiſm. *Verburg.*

<sup>66</sup> Imperatore Samnitibus dedito ] Si  
quando Imperator, præter S. P. Q. R. vo-  
luntate



dam in senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. Intentio est, Dedi oportet. Depulsio est, Non oportet. Quæstio est, Oporteatne. Ratio est, Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, cum & id ætatis, & privatus essem, & esset summa cum auctoritate & potestate imperator, qui videret, ut satis honestum fœdus feriretur. Infirmatio est, Attamen quoniam tu particeps es in turpissimo fœdere summe religionis, dedi te convenit. Judicatio est, Cum is, qui potestatis nihil habuerit, iussu imperatoris in fœdere, & in tanta religione interfuerit, dedenduse sit hostibus, necne. Hoc genus causa a superiore hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei, aut homini causam attribuit, quæ voluntati suæ fuerit impedimento sine concessionis partibus. Nam earum major quedam vis est; quod paulo post intelligetur.

In hoc autem non accusare alterum, nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare, eam rem nec ad se, nec ad potestatem, neque ad officium suum pertinuisse, aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quod accusator quoque sæpe ex remotione criminationem conficit. Ut si quis eum accuset, qui, cum prætor esset, in expeditionem ad arma populum vocarit, cum consules adessent. Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio, ac potestate factum dimovebat; sic in hoc ab ejus officio ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum removendo, hac ipsa ratione confirmat accusationem. In hac ab utroque ex omnibus honestatis, & utilitatis partibus, exemplis, signis, ratiocinando, quid cuiusque officii, juris, potestatis sit, quæri oportebit, & fueritne ei, quo de agitur, id juris, officii, potestatis attributum, necne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis, ac conquestionis habebit, sumi oportebit.

XXXI. Concessio est <sup>67</sup> per quam non factum ipsum probatur

lucratem ac sententiam, fœdus cum hostibus scripsit, ut populus Romanus ea fœderis religione solveretur. Imperator ipse in

hostium potestatem vincit tradebatur. Nam scribitur.

<sup>67</sup> Concessio est ] Alias dicitur venia, stantus

tur ab reo: sed ut ignoscatur, id petitur <sup>68</sup>. Cujus partes sunt duæ, purgatio, & deprecatio. Purgatio est, per quam ejus, qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, casum, necessitudinem.

Imprudencia est, cum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur: ut apud quosdam lex erat, Ne quis Dianæ vitulum immolaret. Nautæ quidam, cum adversa tempestate in alto jactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se vitulum immolatuos. Casu erat in eo portu fanum Dianæ ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cum existent, vitulum immolaverunt. Acculantur. Intentio est, Vitulum immolasti ei deo, cui non licebat. Depulsio est in concessione posita. Ratio est, Nescivi non licere. Infirmatio est, Tamen, quoniam fecisti quod non licebat, ex lege supplicio dignus es. Judicatio est, Cum id fecerit quod non oportuerit, & id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus.

Casus autem inferetur in concessionem, cum demonstrabitur aliqua fortunæ vis voluntati obstitisse, ut in hac: Cum Lacedæmonis lex esset, ut hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor præbisset, capitale esset; hostias is, qui redemerat, cum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro coepit agere. Tum subito magnis \* commotis tempestatibus fluvius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & vehemens factus est, ut eo traduci victimæ nullo modo possent. Redemptor, suæ voluntatis ostendendæ causa, hostias constituit omnes in litore, ut, qui trans flumen essent, videre possent. Cum omnes studio ejus subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam capitis arcesserunt. Intentio est, Hostias, quas debuisti, ad sacrificium

Tom. I.

venialis. Græce *εὐροταίαν*. Vide cap. 11. lib. 1. n. 28. & cap. 30. lib. 2. n. 63. Capite-  
ronerius.

<sup>68</sup> Per quam non factum ipsum improbat-  
tur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur ]  
Quem locum ne quidem gentium Deus Hæc-  
nes postea *εὐροταίαν*. Nam concessionem di-  
vidit Tullius in purgationem, & depreca-  
tionem: purgatio vero ei defigitur, per quam

N præ-  
ejus, qui accusatur, non factum, sed volun-  
tas defenditur. Pugnant autem hæc: in con-  
cessione voluntatem improbari; in purgatio-  
ne, quæ concessionis pars est, voluntatem de-  
fendi. Itaque concessio definitioem leui-  
ter, leviterque innuit, ac lego: per quam  
non factum ipsum probatur ab reo, &c. Paf-  
sus, Inst. Orat. l. 9.

\* Commotis ] Man. Lamb. commotus.

præsto non fuerunt. Depulsio est, concessio. Ratio, Flumen enim subito accrevit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio est, Tamen, quoniam, quod lex jubet, factum non est; supplicio dignus es. Judicatio est, Cum in ea re redemptor contra legem aliquid fecerit, qua in re studio ejus subita fluminis obstitit magnitudo, supplicio dignus sit.

XXXII. Necessitudo autem inferitur, cum vi quadam reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo: Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Cum magna in alto tempestas esset; vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coegit. Quæstor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere. Intentio est, Rostrata navis in portu deprehensa est. Depulsio est, concessio. Ratio, Vi & necessario sumus in portum coacti. Infirmatio est, Navim ex lege tamen populi esse oportet. Judicatio est, Cum rostratam navim in portu deprehensam lex publicavit, cumque hæc navis, invitis nautis, vi tempestatis in portum conjecta sit; oporteatne eam publicari.

Horum trium generum idcirco unum in locum contulimus exempla, quod similis in ea præceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, si quid res ipsa dabit facultatis, conjecturam <sup>69</sup> induci ab accusatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, consulto factum suspicionem aliqua demonstraret. Deinde inducere definitionem necessitudinis, aut casus, aut imprudentiæ, & exempla ad eam definitionem adungere, in quibus imprudentia fuisse videatur, aut casus, aut necessitudo, & ab his id quod reus inferat, separare, id est, ostendere dissimile, quod levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit. Postea demonstrare, potuisse vitari, & hac ratione provideri potuisse, si hoc aut illud <sup>70</sup> fecisset, aut nisi fecisset, præcaveri: & definitionibus ostendere, non hanc imprudentiam, aut casum, aut

<sup>69</sup> Conjecturam ] Id est, illum questionis oratoris statum, qui dicitur conjecturalis vel de facto. Vide cap. 8 lib. 1. n. 10. Copper. a Fecisset Lamb. Fecisset, ut in se faceret, præcaveri.

aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere.

Ac si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonstrare, quidvis perpeti, mori denique fatius fuisse, quam ejusmodi necessitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte <sup>70</sup> dictum est, juris & æquitatis naturam oportebit querere, & quasi in absoluta judiciali <sup>71</sup>, per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum: & contentione, magis illis ignoscendum fuisse: & ex deliberationis <sup>72</sup> partibus, turpe aut inutile esse concedi eam rem, quæ ab adversario commissa sit; permagnum esse, & magno futurum detrimento, si ea res ab iis, qui potestatem habent <sup>\*</sup> vindicandi, neglecta sit.

XXXIII. Defensor autem conversis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in voluntate defendenda commorabitur, & in ea re adaugenda, quæ voluntati fuerit impedimento: & se plus, quam fecerit, facere non potuisse: & in omnibus rebus voluntatem spectari oportere: & se convinci non posse, quod non absit a culpa: & ex suo nomine communem hominum infirmitatem posse damnari. Deinde nihil indignius esse, quam cum, qui culpa careat, supplicio non carere. Loci autem communes accusatoris, unus in confessione, & alter, quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto, sed de facti causa quaratur. Defensoris autem, conquestio calamitatis ejus, quæ non culpa, sed vi majore quadam acciderit, & de fortunæ potestate, & hominum infirmitate, & uti suum animum, non eventum considerent. In quibus omnibus conquestionem suarum eruna-

N 2 mna-

<sup>70</sup> Negotiali parte ] Quid sit pars negotialis, vide cap. 11. lib. 1. n. 25. Idem.

<sup>71</sup> Absoluta judiciali ] Quid sit pars judicialis absoluta, quæ opponatur allumptivæ, vide ibid. n. 24. Idem.

<sup>72</sup> Deliberationis ] Id est, generis deliberativi. Alludit enim ad celeberrimam orationum divisionem, secundum quam alie dicuntur esse in genere demonstrativo & descriptivo, alie in genere debilitativo & correptivo, vel reprehensivo, alie denique in genere judiciali & convictivo. Vide cap. 5. lib. 1. n. 5. Idem.

<sup>\*</sup> Vindicandi ] Vid. Man. judicandi.

mnarum, & crudelitatis adversariorum indignationem inesse oportebit.

Ac neminem mirari conveniet, si aut in his, aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam <sup>73</sup> adjunctam videbit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendum, propterea quod quædam genera causarum, simpliciter, & ex sua vi considerantur: quædam autem sibi aliud quoque aliquod controversiæ genus assumunt. Quare omnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque causam transferre, quod ex eo quoque genere conveniet: ut in his exemplis concessionis inest omnibus scripti controversia ea, quæ ex scripto & sententia nominatur <sup>74</sup>: sed quia de concessione loquebamur, in eam præcepta dedimus. Alio autem loco de scripto & sententia dicemus. Nunc in alteram concessionis partem considerationem intendemus.

XXXIV. Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari potest, ideo quod concessio peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat, impedire. Quare <sup>a</sup> parte ejus generis, cum causam non in eo constitueris, uti licebit. Ut si pro aliquo claro, aut forti viro, cujus in rempublicam multa sint beneficia, dixeris: possis, cum videaris non uti deprecatione, uti tamen ad hunc modum: Quod si, Judices, hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos habuit semper, tali suo tempore, multorum suorum recte factorum causa, uni delicto ut ignoscereis postularet, tamen dignum vestra mansuetudine, dignum virtute hujus esset, Judices, a vobis hanc rem, hoc postulante, impetrari. Deinde augere beneficia licebit, & iudices per locum communem ad ignoscendi voluntatem ducere.

#### Quare

<sup>73</sup> Scripti controversiam ] Considerandum est, ait Tullius pag. 33. an in ratione, an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia est ea, quæ ex scriptiōnis genere nascitur. Quintilian. lib. 3. cap. 5. Status alios rationales, alios legales vocat; idque Græcorum Rhetorum exemplo, qui *κατὰ νόμον* & *κατὰ δίκην* appellant. Vide cap. 23. lib. 1. n. 35. Idem.

<sup>74</sup> Controversia quæ ex scripto & sententia nominatur ] Ea Græce dicitur *πρωτὶ τῆς ἐξ ἔργων*, quasi dicas de dicto & sententia. Hoc controversia seu status legalis genus fuit exponitur Tullius hic, cap. 42. & Quintilian. lib. 7. cap. 6. Idem.

<sup>a</sup> Parte ] Lamb. parte eo genere, cum eorum iam in eo, ut deprecari, constituitur.

Quare hoc genus, quanquam in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte: tamen quia & pars ipsa inducenda nonnunquam est, & in senatu, aut concilio sæpe omni in genere tractanda, in id quoque præcepta ponemus. Nam in senatu, & in concilio de Syphace <sup>75</sup> diu deliberatum est; & de Q. Numitorio Pullo <sup>76</sup> apud L. Opimum <sup>77</sup>, & ejus concilium diu dictum est. Et magis in hoc quidem ignoscendi, quam cognoscendi postulatio valuit. Nam semper animo bono se in populum Romanum fuisse non tam facile probabat, cum conjecturali constitutione <sup>78</sup> uteretur, quam ut, propter posterius beneficium, sibi ignosceretur, cum deprecationis partes <sup>a</sup> adjungeret.

XXXV. Oportebit igitur eum, qui sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, si qua sua poterit beneficia, & si poterit, ostendere, ea majora esse, quam hæc, quæ deliquerit, ut plus ab eo boni quam mali profectum esse videatur. Deinde majorum suorum beneficia, si qua extabunt, proferre. Deinde ostendere, non odio, neque crudelitate fecisse quod fecerit, sed aut stultitia, aut impulsu alicujus, aut aliqua honesta, aut probabili causa. Postea polliceri, & confirmare, se & hoc peccato doctum, & beneficium eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore a tali ratione abstuturum. Deinde spem ostendere, aliquo se in loco, magno iis, qui sibi concesserint, usui futurum. Postea, si facultas erit, se aut <sup>b</sup> consanguineum, aut jam a majoribus in primis amicum esse demonstrabit; & amplitudinem suæ voluntatis, & nobilitatem generis eorum, qui se salvum velint, & dignitatem ostendere, & cætera ea, quæ personis ad honesta-

<sup>75</sup> De Syphace ] Syphax Massylorum in Numidia rex societatem primam inivit cum P. Scipione: fracta deinde fide, Masdrubali adhaesit: tandem devictus, captus, ac per triumphum a Scipione, si Polybium audias, circumductus, paulo post in custodia Tibure obiit, anno U. C. 553. Præfere.

<sup>76</sup> De Q. Numitorio Pullo ] Proditore in bello Fregellano: de quo Philipp. III. cap. 6. Idem.

<sup>77</sup> Apud L. Opimum ] Amicus meus adhibet, Prætorum. Recte, si ex libro aliquo

manuscripto. Consentit historia. Livius in Epitoma, Lib. 12. L. Opimius Prætor Fregellensium, qui desecratis, in delitionem accipit, Fregellas diruit, Urbinus.

<sup>78</sup> Conjecturali constitutione ] T. 50. x. x. x. edic. Vide cap. 32. n. 69. Capper.

<sup>a</sup> Adjungeret ] Lamb. adjungeret, peccat.

<sup>b</sup> Consanguineum ] Lamb. consanguineum majoribus in primis eorum, qui se salvum velint, aut amicum esse demonstrabit; & amplitudinem suæ voluntatis, & nobilitatem generis, & dignitatem ostendat.

nestatem, & amplitudinem sunt attributa, cum conuestione, sine arrogancia in se esse demonstrabit, ut honore potius aliquo, quam ullo supplicio dignus esse videatur. Deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta concessa sint. Ac multum proficiet, si se misericordem in potestate, & propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atque ipsum illud peccatum erit extenuandum, ut quam minimum obfuisse videatur; & aut turpe, aut inutile demonstrandum, tali de homine supplicium sumere. Deinde locis communibus misericordiam captare oportebit ex iis præceptis, quæ in primo libro sunt exposita.

XXXVI. Adversarius autem malefacta augebit: nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate & malitia facta dicet. Ipsum immisericordem, superbum fuisse, & si poterit, ostendet semper inimicum fuisse, & amicum fieri nullo modo posse. Si beneficia proferet: aut aliqua de causa facta, non propter benevolentiam demonstrabit; aut postea odium esse acre susceptum; aut illa omnia maleficiis esse deleta; aut leviora beneficia, quam maleficia; aut, cum beneficiis honos habitus sit, pro maleficio poenam sumi oportere. Deinde turpe esse, aut inutile, ignoscere. Deinde, de quo ut potestas esset, sæpe optarint, in eum potestate non uti, summam esse stultitiam: & cogitare oportere, quem animum in eum, vel quale odium habuerint. Locus autem communis \* erit, indignatio maleficii; & alter, eorum misereri oportere, qui propter fortunam, non propter malitiam in miseris sint.

Quoniam igitur in generali constitutione <sup>79</sup> tamdiu propter eorum partium multitudinem commoratur, ne forte varietate & dissimilitudine rerum deductus alicujus animus in quandam errorem deferatur: quid etiam nobis ex eo genere restet, & quare restet, admonendum videtur. Juridicalem <sup>80</sup> causam esse dicebamus, in qua æqui & iniqui natura, præmiis aut poena

\* *Er* ] Lamb. *erit hic, indignatio.*  
<sup>79</sup> *In generali constitutione* ] Id est, in eo questionis oratoris statu, qui & status qualitatibus, & qualitas *modis* appellari solet. Vulgo dicitur questionem juris, vel de

jure. Vide cap. 8. lib. 1. n. 21. *Idem.*  
<sup>80</sup> *Juridicalem* ] *ambrosianus* que *79* negotialis *opponitur*. De his vide supra, cap. 11. lib. 1. n. 24. *Idem.*

pœnæ ratio quareretur. Eas causas, in quibus de æquo & iniquo quaritur, exposuimus.

XXXVII. Restat nunc, ut de præmio, & de poena explicemus. Sunt enim multæ causæ, quæ ex præmiis alicujus petitione constant. Nam & apud iudices de præmio sæpe actorum quaritur, & a senatu, aut concilio aliquod præmium sæpe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari, nos, cum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, cum ad eam dictionem, sententiarum quoque ratio accommodetur, id non, si per sententiæ dictionem agitur, deliberativum est: sed quia de homine statuitur, iudiciale est habendum <sup>81</sup>. Omnino autem qui diligenter omnium causarum vim & naturam cognoverit, cum genere primo, tum etiam forma eas intelliget dissidere. Cæteris autem partibus aptas inter se omnes, & aliam in aliam implicatam videbit.

Nunc de præmiis consideremus. L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia, nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero præditos, ut digni essent qui hostes populi Romani esse dicerentur; quod tamen excursionibus, & atrocibus infestam provinciam redderent, consecratus est, & consecit: Romam rediit: triumphum ab senatu postulat. Hic, ut & in deprecatione, nihil ad nos attinet, rationibus & infirmationibus rationum supponendis, ad iudicationem pervenire: propterea quod, nisi alia quoque incidet constitutio <sup>82</sup>, aut pars constitutionis, simplex erit iudicatio <sup>83</sup>, & in questione ipsa continebitur. In deprecatione, huiusmodi: Oporteat poena affici: in hac, huiusmodi: Oporteat præmium dari. Nunc ad præmiis questionem appositos locos exponemus.

XXXVIII. Ratio igitur præmiis quatuor est in partes distributa:

<sup>81</sup> *Deliberativum est*.... *iudiciale est habendum* ] Greci dicunt *δικαστικόν* & *δικαστήριον*, de quibus vid. cap. 5. lib. 1. n. 4. *Idem.*  
<sup>82</sup> *Judicatio* ] *79* *agitur*. Vide cap. 17. lib. 1. n. 17. *Idem.*  
<sup>83</sup> *Constitutio* ] *Er* *erit*, questionis oratoris status. Vide cap. 8. lib. 1. n. 16. *Idem.*

buta : in beneficia , in hominem , in præmii genus , in facultates . Beneficia ex sua vi , ex tempore , ex animo ejus qui fecerit ; \* ex casu considerantur . Ex sua vi querentur , hoc modo : Magna , an parva ; facilia , an difficilia ; singularia sint , an vulgaria ; vera , an falsa quadam ex oratione honestentur . Ex tempore autem , Si tum , cum indigeremus ; cum cæteri non possent , aut nolent opulari ; si tum , cum spes deseruisset , opitulatus sit . Ex animo , Si non sui commodi causa , sed eo consilio fecit omnia , ut hoc conficere posset . Ex casu , Si non fortuna , sed industria factum videbitur , aut si industria fortuna obtulerit .

In hominem autem , Quibus rationibus vixerit , quid sumptus in eam rem , aut laboris insumpserit ; & si quid aliquando tale fecerit ; num alieni laboris , aut deorum bonitatis præmium sibi postulet ; num aliquando ipse talem ob causam præmio aliquem affici negarit oportere ; aut num jam satis pro eo , quod fecerit , honos habitus sit ; aut num necesse fuerit ei facere id , quod fecerit ; aut num hujusmodi sit factum , ut , nisi fecisset , supplicio dignus esset , non , quia fecerit , præmio ; aut num ante tempus præmium petat , & spem incertam certo venditet pretio ; aut num , quo supplicium aliquod vitet , eo præmium postulet , uti de se præjudicium factum esse videatur .

XXXIX. In præmii autem genere , quid , & quantum , & quamobrem postuletur , & quo , & quanto quæque res præmio digna sit , considerabitur . Deinde apud majores , quibus hominibus , & quibus de causis talis honos sit habitus , queretur . Deinde ne is honos nimium pervagetur . Atque hic ejus , qui contra aliquem præmium postulantem dicit , locus erit communis , Præmia virtutis & officii , sancta & casta esse oportere ; neque ea aut cum improbis communicari , aut in mediocribus hominibus pervulgari . Et alter , Minus homines virtutis cupidos fore , virtutis præmio pervulgato : quæ enim rara , & ardua sint , ea ex præmio pulchra , & jucunda hominibus videri . Et tertius , Si existant , qui apud majores

\* Ex casu ] Vid. Grut. ex causa.

jores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt , nonne de sua gloria , cum pari præmio tales homines affici videant , delibari <sup>84</sup> putent ? & eorum enumeratio , & cum eis , quos contra dicat , comparatio . Ejus autem , qui præmium petet , facti sui amplificatio , & eorum , qui præmio affecti sunt , cum suis factis contentio . Deinde cæteros a virtutis studio repulsam iri , si ipse præmio non sit affectus . Facultates autem considerantur , cum aliquod pecuniarium præmium postulatur : in quo utrum copiane sit agri , vectigalium , pecuniæ , an penuria , consideratur . Loci communes , Facultates augere , non minuere , oportere , & impudentem esse , qui pro beneficio non gratiam , verum mercedem postulet : contra autem de pecunia ratiocinari , sordidum esse , cum de gratia referenda deliberetur : & se non pretium pro facto , sed honorem , ita ut factitatum sit , pro beneficio postulare . Ac de constitutionibus quidem satis dictum est : nunc de iis controversiis , quæ in scripto versantur <sup>85</sup> , dicendum videtur .

XL. In scripto versatur controversia , cum ex scriptoris ratione aliquid dubii nascitur . Id fit ex ambiguo <sup>86</sup> , ex scripto & sententiæ <sup>87</sup> , ex contrariis legibus <sup>88</sup> , ex ratiocinatione <sup>89</sup> , ex definitione <sup>90</sup> . Ex ambiguo autem nascitur controversia , cum quid senserit scriptor , obscurum est , quod scriptum duas pluresve res significat , ad hunc modum : Paterfamilias .

Tom. I.

O

miliæ ,

<sup>84</sup> Delibari ] Vulgo delibari : pro quo Muretus in Ciceroniani , de quo in Praefatione dicebam , exempli marginibus , delibari , scripserat . Reposuit Lambinus , delibrari , quod interpretatur , detrahi , deceri : ut apud Lucretium III. 1101. nec delibrare valeamus Tempore de mortis . Quamquam & ibi apud Lucretium , delibrare , legi vult Tan. Faber . Judicium isto doctorum : neque enim hic ego me criticum , sed editorem debeo proficere . Olicentus .

<sup>85</sup> De constitutionibus satis . . . nunc de iis controversiis que in scriptis versantur ] Vide ut ipse Tullius constitutionum res dicitur , id est , oratoriæ questionum status propriè dictos & strictè sumptos legalibus questionibus quadantenus opponat . Vide varia Rhetorum systemata de statibus in Quintil. pag. 181. not. 468. Capper.

<sup>86</sup> Ex ambiguo ] Anaphoras Græci Rhetores vocant . Legalem hunc statum suffus explicat Quintil. lib. 7. cap. 9. Idem .

<sup>87</sup> Ex scripto & sententiæ ] Itaq; præter præmissa . Vide ipsum Ciceronem hic cap. 42. & Quintil. lib. 7. cap. 6. Idem .

<sup>88</sup> Ex contrariis legibus ] Anomolia . Legalem hunc statum ( vel potius questionem ) exponunt Tullius hic cap. 45. & Quintilian. lib. 7. cap. 7. Idem .

<sup>89</sup> Ex ratiocinatione ] Dreyeræ qui statum ( vel , si mavis , questio ) legalis pluribus explicatur a Cicerone hic , cap. 50. & a Quintil. lib. 7. cap. 8. Idem .

<sup>90</sup> Ex definitione ] G. S. . i . negatæ rationis , qui status ( aut questio ) legalis propriè de peculiari est Tullio hic , num. 51. & Hæcan. I. 18. 19. 24. Vide & Quintilian. pag. 181. num. 468. Idem .

miliis, cum filium heredem faceret, vasorum argenteorum pondo centum uxori suae sic legavit: *Heres meus uxori meae vasorum argenteorum pondo centum, quae volet, dato.* Post mortem ejus vasa magna, & pretiose calata petit a filio mater: ille se, quae ipse vellet, debere dicit. Primum, si fieri poterit, demonstrandum est, non esse ambigue scriptum, propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti solent eo verbo uno, pluribusve in ea sententia, in qua is, qui dicit, accipiendum esse demonstrabit. Deinde ex superiore, & ex inferiore scriptura docendum, id, quod quaeratur, fieri perspicuum. Quare si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque, ambigua visum iri. Quae autem ex omni considerata scriptura perspicua fiant, haec ambigua non oportere existimari. Deinde qua in sententia scriptor fuerit, ex ceteris ejus scriptis, factis, dictis, animo, atque vita ejus sumi oportebit, & eam ipsam scripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quaeritur, totam omnibus ex partibus pertentare, si quid aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adversarius intelligat, adverteatur. Nam facile, quid verisimile sit eum voluisse, qui scripsit, ex omni scriptura, & ex persona scriptoris, atque iis rebus, quae personis attributa sunt, considerabitur.

Deinde erit demonstrandum, si quid ex ipsa re dabitur facultatis, id, quod adversarius intelligat, multo minus commode fieri posse, quam id, quod nos accipimus, quod illius rei neque administratio, neque exitus ullus esset: nos quod dicamus, facile & commode transigi posse. Ut in hac lege, (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, quo facilius res intelligatur) *Meretricis coronam auream ne habeto. Si habuerit, publica esto.* Contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, posset dici, neque administrationem esse ullam publicae meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda: at in auro publicando & administrationem, & exitum facilem esse, & incommodi nihil inesse.

XXI. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adversarius intelligat, utilior res, aut

aut honestior, aut magis necessaria, a scriptore neglecta videatur. Id fiet, si id, quod nos demonstrabimus, honestum, aut utile, aut necessarium demonstrabimus: & si id, quod ab adversariis dicitur, minime ejusmodi dicemus esse. Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adversarius intelligat, alia in lege cautum esse doceatur.

Permultum autem proficiet illud demonstrare, quemadmodum scripsisset, si id, quod adversarius accipiat, fieri, aut intelligi voluisset: ut in hac causa, in qua de vasis argenteis quaeritur, possit mulier dicere, nihil attinuisse adscribi, *quae volet*, si heredis voluntati permitteret. Eo enim non adscripto nihil inesse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret. Amentiae igitur fuisse, cum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto, nihilominus heredi cavetur.

Quare hoc genere magnopere talibus in causis uti oportebit: si hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset, non isto loco verbum istud collocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime perspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quaerendum est, ut, quid eum voluisse in ejusmodi tempore verisimile sit, intelligatur. Post ex deliberationis partibus<sup>91</sup>, quid utilius, & quid honestius, & illi ad scribendum, & his ad comprobandum sit, demonstrandum: & ex his si quid amplificationis dabitur, communibus utrinque locis uti oportebit.

XLII. Ex scripto & sententia<sup>92</sup> controversia consistit, cum alter verbis ipsis, quae scripta sunt, utitur: alter ad id, quod scriptorem sensisse dicit, omnem adjungit dictionem. Scriptoris autem sententia, ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare, & idem velle demonstrabitur: tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod instituit, accommodabitur. Semper ad idem spectare, hoc modo:

O 2 modo:

<sup>91</sup> Ex deliberationis partibus ] Id est, quae pertinent ad genus orationis deliberativum, & ad modum. Vide cap. 5. lib. 1. n. 5. l. 400.

<sup>92</sup> Ex scripto & sententia ] Itaque factum est, ut id est, de dicto & sententia. Vide de Quimilian. lib. 7. cap. 6. Item.

modo: Paterfamilias cum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit: *Si mihi filius generus unus, pluresque, is mihi heres esto*. Deinde quæ assolent. Postea, *Si filius ante moritur, quam in tutelam suam venerit, tu mihi*, dicebat, *secundus heres esto*. Filius non est natus. Ambigunt agnati cum eo, qui est secundus heres, si filius ante, quam in tutelam veniat, mortuus sit. In hoc genere non potest hoc dici, ad tempus, aut ad eventum aliquem sententiam scriptoris oportere accommodari: propterea quod ea sola demonstratur, qua fretus ille, qui contra scriptum diceret, suam esse hereditatem defendit.

Alterum autem genus est eorum, qui sententiam inducunt: in quo non simplex voluntas scriptoris ostenditur, quæ in omne tempus, & in omne factum idem valeat; sed ex quodam facto, aut eventu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus judicialis assumptivæ<sup>93</sup> maxime sustinetur. Nam tum inducitur comparatio<sup>94</sup>, ut in eum, qui, cum lex aperiri portas noctu vetaret, aperuit quodam in bello, & auxilia quædam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros castra hostes haberent.

Tum relatio criminis<sup>95</sup>, ut in eo, qui, cum communis lex omnium hominem occidere vetaret, tribunum militum<sup>96</sup> suum, qui vim sibi inferre conaretur, occidit. Tum remotio criminis<sup>97</sup>, ut in eo, qui, cum lex, quibus diebus in legationem proficisceretur, præstituerat; quia sumptum non dedit quaestor, profectus non est. Tum concessio<sup>98</sup> per purgatio-

<sup>93</sup> Judicialis assumptivæ ] *Ἀποδεικτικῆς* ἀποδείκνυται. Ubi et judiciali opponitur et negotiali, *πραγματικῆς*, & ad assumptivæ opponitur et absolutæ, *ἀπληκτικῆς*. Vide cap. 11. lib. 1. n. 24. 25. 26. 27. Idem.

<sup>94</sup> Comparatio ] *Ἀναλογία*, quæ una est e quarum partibus qualitatibus assumptivæ. Vide cap. 11. lib. 1. n. 31. & cap. 24. lib. 2. n. 47. Idem.

<sup>95</sup> Relatio criminis ] *Ἀποκρίσιμος*. Altera pars est qualitatibus assumptivæ, de qua vide cap. 11. lib. 1. n. 31. & cap. 26. lib. 2. n. 55. Idem.

<sup>96</sup> Tribunus militum ] Tangit Plutarchus in Mario haec rem; & ipse Cicero in Orat.

pro Milone, his verbis: *Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius Imperatoris, interfecit. Hæc ab eo est, cui vim affudit. Hæc enim prohus adolefcenti periculose, quam perperit turpiter maluit; atque hanc illi vim somnus, sceleris solum, periculo liberavit.*

<sup>97</sup> Remotio criminis ] *Μοιραίων*. Tertia pars est qualitatibus assumptivæ. De hac vide cap. 11. lib. 1. n. 30. & cap. 29. lib. 2. n. 59. lin. 2. Capper.

<sup>98</sup> Concessio ] Quæ alias dicitur status verbalis, & venia, *ὑποχρησις*. Vide cap. 11. lib. 1. n. 28. cap. 31. lib. 2. n. 67. Idem.

tionem, & per imprudentiam, ut in vituli immolatione: & per vim, ut in navi rostrata: & per casum, ut in Eurotæ fluminis magnitudine. Quare aut ita sententia inducetur, ut unum quoddam voluisse scriptor demonstratur: aut sic, ut in ejusmodi re, & tempore hoc voluisse doceatur.

Ergo is, qui scriptum defendit, his locis plerumque omnibus, majore autem parte semper poterit uti. Primum scriptoris collaudatione, & loco communi, nihil eos, qui judicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere; & hoc eo magis, si legitimum scriptum proferetur, id est, aut lex ipsa, aut ex lege aliquid. Postea, quod vehementissimum est, facti, aut intentionis adversariorum cum ipso scripto contentione, quid scriptum sit, quid factum, quid juratus iudex: quem locum multis modis variare oportebit. Tum ipsum secum admirantem, quidnam contra dici possit: tum ad iudicis officium revertentem, & ab eo quarentem, quid præterea audire, aut exspectare debeat: tum ipsum adversarium, quasi intentantis loco, producendo, hoc est, interrogando, utrum scriptum neget esse eo modo, an ab se contra factum esse, aut contra contendere neget: utrum negare ausus sit, se dicere desitutum. Si neutrum neget, & contra tamen dicat: nihil esse, quo hominem impudentiorem quisquam se visurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quasi nihil præterea dicendum sit, & quasi contra dici nihil possit, sæpe id, quod scriptum est, recitando; sæpe cum scripto factum adversarii consilendo; atque interdum acriter ad iudicem ipsum revertendo. Quo in loco iudici demonstrandum est, quid juratus sit, quid sequi debeat: duabus de causis iudicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure, aut neget aliquid adversarius.

XLIV. Cum & scriptum sit aperte, & adversarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quæ contra dici poterant, oportebit. Contra autem dicetur, si aut profusus aliud sensisse scriptor, & scripsisse aliud demonstrabitur: ut in illa de testamento, quam posuimus, controversia: aut causa.

causa assumptiva<sup>99</sup> inferetur, quamobrem scripto non potuerit, aut non oportuerit obtemperari.

Si aliud sensisse scriptor, aliud scripserit dicitur, is, qui scripto utetur, hoc dicit, non oportere de ejus voluntate nos argumentari, qui, ne id facere possemus, indicium nobis reliquerit suae voluntatis: multa incommoda consequi, si institutur, ut a scripto recedatur. Nam & eos, qui aliquid scribant, non existimatos, id, quod scripserint, ratum futurum, & eos, qui judicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel a scripto recedere consueverint. Quod si voluntas scriptoris conservanda sit, se, non adversarios, a voluntate ejus stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem, eum, qui ex ipsius eam literis interpretetur; quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod ille suae voluntatis quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspicionibus perferretur.

Sin causam asseret is, qui a sententia stabit, primum erit contra dicendum: quam absurdum, non negare contra legem fecisse, sed quare fecerit; causam aliquam invenire. Deinde conversa omnia esse: ante solitos esse accusatores iudicibus persuadere, affinem esse alicujus culpae eum, qui accusaretur: causam proferre, quae eum ad peccandum impulisset: nunc ipsum reum causam asserre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cujus in singulas partes multae convenient argumentationes. Primum nulla in lege ullam causam contra scriptum accipi convenire: deinde si in ceteris legibus conveniat, hanc esse hujusmodi legem, ut in ea non oporteat: postremo si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere.

XLV. Prima pars his fere locis confirmabitur, scriptorj neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuisse, quo minus posset aperte perscribere id, quod cogitaret: non fuisse ei grave, nec difficile, eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quicquam excipiendum putasset: con-

<sup>99</sup> Assumptiva ] A. indemas qui opponitur est absolutae firmatae, & quatuor habet partes in pagina proxime praecedenti expositas. Vide cap. 11. lib. 1. n. 27. &c. l. dem.

suevisse eos, qui leges scribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus scriptas, & maxime videre, si quae in ea ipsa lege, qua de agitur, sit exceptio aliquo in capite, ut apud eundem legis scriptorem, quo magis eum probetur fuisse excepturum, si quid excipiendum putaret: & ostendere, causam accipere nihil aliud esse, nisi legem tollere: ideo quod, cum semel causa consideretur, nihil attingat eam ex lege considerare, quippe quae in lege scripta non sit. Quod si sit institutum; omnibus causam dari, & potestatem peccandi, cum intellexerint, vos ex ingenio ejus, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam jurati sitis, rem judicare. Deinde & ipsis iudicibus judicandi, & ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel a legibus recessum sit. Nam & iudices neque quid sequantur, habituros, si ab eo, quod scriptum sit, recedant: neque, quo pacto a aliis improbare possint, quod contra legem judicaverint, & ceteros cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quique consilio, & ex ea ratione, quae in mentem, aut in libidinem venerit, non ex communi praescripto civitatis unquamque rem administrabit. Postea querere a iudicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis: cur reipublica munere impediuntur, cum b saepius suis rebus & commodis servire possint: cur in certa verba jurent: cur certo tempore conveniant, certo discedant: nihil quisquam afferat causa, quo minus frequenter operam reipublica det, nisi quae causa in lege excepta sit: an se legibus obstrictos in tantis molestiis esse aequum censeant, adversarios nostros leges negligere concedant. Deinde item querere ab iudicibus, si c ejus rei causam, propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat, passurine sint. Postea hoc, quod faciat, indignius & impudentius esse, quam si adscribat. Age porro, quid si ipsi velint iudices adscribere, passurine sit populus? Atque hoc esse indignius, quam rem verbo & literis mutare non possint, eam re ipsa, & iudicio maxime com-

a Aliis ] Lamb. in aliis.

b Saepius ] Grut. Saepius suis rebus.

c Ejus ] Lamb. ejus causa, propter



mutare. Deinde indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, cum populo cognoscendi, & probandi, aut improbandi potestas nulla fiat: hoc ipsis iudicibus invidiosissimum futurum. Non hunc locum esse, neque hoc tempus legum corrigendarum: apud populum hoc, & per populum agi convenire. Quod si nunc id agant, velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi: se actiones videre, & dissuadere velle. Quod si hæc cum summe inutilia, tum multo turpissima sint; legem cujuscumque sit, in præsentia conservari a iudicibus; post, si displiceat, a populo corrigi convenire. Deinde, si scriptum non exstaret, magnopere quaereremus: neque isti, ne si extra periculum quidem esset, crederemus. Nunc cum scriptum sit, amentiam esse, ejus qui peccarit, potius quam legis ipsius, verba cognoscere. His, & hujuscumque rationibus ostenditur, causam extra scriptum accipi non oportere.

XLVI. Secunda pars est, in qua est ostendendum, si in cæteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas videbitur pertinere; aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare: aut ita lex diligenter perscripta demonstrabitur, ita cautum unaquaque de re, ita quod oportuerit, exceptum, ut minime conveniat quidquam in tam diligenti scriptura præteritum arbitrari.

Tertius locus est ei, qui pro scripto dicit, maxime necessarius, per quem ostendat oportet, si conveniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quæ ab adversariis asseratur. Qui locus idcirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicit, æquitatis aliquid asserat oportet. Nam summa impudentia est, eum, qui contra quod scriptum sit, aliquid probare velit, non æquitatis præsidio id facere conari. Si quid igitur ex hac ipsa accusator derogat, omnibus partibus justius, & probabilius accusare videatur. Nam superior oratio hoc omnis faciebat, uti iudices etiam si nollent, necesse esset; hæc autem, etiam si necesse non esset, ut vellent contra judicare.

Id

Id autem fiet, si, quibus ex locis culpa demonstrabitur non esse in eo, qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus se defendit; de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscriptimus: si de his locis quæ res postulabit, ad causam adversariorum improbandam transferemus: aut si causæ & rationes afferentur, quare, & quo consilio ita sit in lege, aut in testamento scriptum, ut sententia quoque & voluntate scriptoris, non ipsa solum scripturæ causa confirmatum esse videatur. Aut aliis quoque constitutionibus factum coarguetur.

XLVII. Contra scriptum autem qui dicit, primum eum inducet locum, per quem æquitas causæ demonstratur: aut ostendet, quo animo, quo consilio, qua de causa fecerit: & quamcumque causam assumeret, assumptionis partibus se defendet, de quibus ante dictum est. Atque hoc in loco cum diutius commoratus, sui facti rationem, & æquitatem causæ exponaverit, tum ex his locis fere contra adversarios dicit oportere causas accipi. Demonstrabit, nullam esse legem, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit: omnia supplicia, quæ a legibus proficiantur, culpæ ac malitiæ vindicandæ causa constituta esse: scriptorem ipsum, si existat, factum hoc probaturum: & idem ipsum, si ei talis res accidisset, facturum fuisse: & ea re legis scriptorem certo ex ordine iudices, certa ætate præditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, quod quivis puer facere posset, sed qui cogitationem assequi possent, & voluntatem interpretari. Deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus, & barbaris iudicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse: nunc vero, quod intelligeret, quales viri iudicaturi essent, idcirco eum, quæ peripicua videret esse, non adscriptisse: neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit.

Tom. I.

P

Postea

<sup>1</sup> Comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus.] Quæ tuor he sunt qualitates assumptivæ partes, quas sigillatim exposuimus paulo supra ad cap. 42. n. 94. 95. 97. 98. Cæper.

<sup>2</sup> Assumptionis partibus.] Intellige quatuor illas qualitates assumptivæ partes, nempe comparationem, remotionem, relationem criminis, & concessionem; de quibus paulo supra ad cap. 11. lib. 1. 27. Idem.

Postea querere ab adversariis, Quid si hoc fecissem? quid si hoc accidisset? eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima, aut necessitudo certissima; tumne accusaretis? At qui hoc lex nusquam excepit. Non ergo omnia scriptis, sed quadam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caveri. Deinde nullam rem neque legibus, neque scriptura ulla, denique ne in sermone quotidiano, atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare, & non ad voluntatem ejus, qui verba habuerit, accedere.

XLVIII. Deinde ex utilitatis & honestatis partibus ostendere, quam inutile, aut quam turpe sit id, quod adversarii dicant fieri oportuisse, aut oportere: & id, quod nos fecerimus, aut postulerimus, quam utile, aut quam honestum sit. Deinde leges nobis caras esse non propter literas, quæ tenues & obscuræ notæ sint voluntatis, sed propter earum rerum, quibus de scriptum est, utilitatem, & eorum, qui scripserint, sapientiam & diligentiam. Postea, quid sit lex, describere, ut ea videatur in sententiis, non in verbis consistere: & iudex is videatur legi obtemperare, qui sententiam ejus, non qui scripturam sequatur. Deinde, quam indignum sit, eodem affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus & audaciam contra legem fecerit, & eum, qui honesta, aut necessaria de causa, non ab sententia, sed ab literis legis recesserit. Atque his, & hujusmodi rationibus, & accipi causam, & in hac lege accipi, & eam causam, quam ipse asserat, oportere accipi demonstrabit. Et quemadmodum ei dicebamus, qui a scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de æquitate ea, quæ cum adversario staret, derogasset: sic huic, qui contra scriptum dicit, plurimum proderit, ex ipsa scriptura aliquid ad suam causam convertere, aut ambigue aliquid scriptum ostendere. Deinde ex illo ambiguo<sup>3</sup> eam partem quæ sibi profit, defendere, aut verbi definitionem indu-

cc-

\* Fieri ] Lamb. fieri potuisse, aut oportuisse: & id  
 3 Ex illo ambiguo ] Alludit Tullius ad ad cap. 40. n. 86. Item

cere<sup>4</sup>, & illius verbi vim, quo urgeri videatur, ad sua causa commodum traducere, aut ex scripto non scriptum aliquid inducere per ratiocinationem<sup>5</sup>, de qua post dicemus. Quicumque autem in re, quamvis leviter probabili, scripto ipse se defenderit, etiam cum æquitate causa abundabit, necessario multum proficiet, ideo quod, si id, quo nritur adversariorum causa, subdixerit, omnem illam ejus vim, & acrimoniam lenierit, ac diluerit. Locum autem communes certis ex assumptionis partibus<sup>6</sup> in utramque partem convenient. Præterea ejus, qui a scripto dicit, leges ex se, non ex ejus, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere, & legibus antiquius haberi nihil oportere. Contra scriptum, leges in consilio scriptoris, & utilitate communi, non in verbis consistere. Quam indignum sit, æquitatem literis urgeri, quæ voluntate ejus, qui scripserit, defendatur.

XLIX. Ex contrariis autem legibus<sup>7</sup> controversia nascitur, cum inter se duæ videntur leges, aut plures discrepare, hoc modo: Lex est, Qui tyrannum occiderit, Olympicarum<sup>8</sup> præmium capito, & quam volet sibi rem a magistratu deposcito, & magistratus ei concedito. Et altera lex, Tyranno occiso, quinque ejus proximos cognatione, magistratus necato. Alexandrum<sup>9</sup> qui apud Pheræos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cum simul cubaret, occidit. Hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi præmii loco deposcit. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in iudicio est. In hoc genere utramque in partem iidem loci, atque eadem præcepta convenient, ideo quod

P 2 uter-

4 Verbi definitionem inducere ] Id est, illum statum (vel potius questionem) legalem, cui nomen est, vel legem præcedit, de quo vide ad cap. 40. n. 88. Item.  
 5 Per ratiocinationem ] Id est, ratiocinatio, quo de statu vel questione, lege cap. 40. n. 89. Item.  
 6 Assumptionis partibus ] Quatuor sunt, quas exposuimus supra cap. 42. n. 94. 95. 97. 98. Item.  
 7 Ex contrariis legibus ] Avaritiam, vocant Rhetores Græci. Vide ad cap. 40. n. 88. Item.  
 8 Olympicarum ] Non arbitror hic de co-

roma esse intelligendum, sed de statu, que erigenda esset ei, qui tyrannum occidisset, quemadmodum Athenis Harmadio & Aristogitoni factum fuisse scriptores memorie prodiderunt. Nam Olympicæ non corona tantum ex oleastro, verum etiam statua ornari solebant. Quod Plinius indicare videtur. ( Edit. Hard. Tom. II. pag. 642. ) Nestim.

9 Alexandrum, qui apud Pheræos ] Inde Phæreus dictus est. Cicero, lib. 11. de Off. cap. 7. ejus pene vitam paucis describit. Item.

6 Olympicarum ] Non arbitror hic de co-

uterque suam legem confirmare, contrariam infirmare debet.

Primum igitur leges oportet contendere; considerando, utra lex ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores, ac magis necessarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut, si leges duæ, aut si plures, aut, quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se; ea maxime conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur. Deinde utra lex posterius lata sit. Nam postrema quæque gravissima est. Deinde utra lex jubeat aliquid, utra permittat. Nam id, quod imperatur, necessarium: illud, quod permittitur, voluntarium est. Deinde in utra lege, si non obtemperatum sit, pœna afficiatur, aut in utra major pœna statuatur. Nam maxime conservanda est ea, quæ diligentissime sancta est. Deinde utra lex jubeat, utra vetet. Nam sæpe ea, quæ vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quæ jubet. Deinde utra lex de genere omni; utra de parte quadam; utra communiter in plures; utra in aliquam certam rem scripta videatur. Nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam quandam rem scripta est, propius ad causam accedere videtur, & ad iudicium magis pertinere. Deinde ex lege utrum statim fieri necesse sit: utrum habeat aliquam moram, & sustentationem. Nam id, quod statim faciendum sit, perfici prius oportet. Deinde operam dare, ut sua lex ipso scripto videatur niti. Contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem<sup>10</sup> induci; quo sanctius & firmitus id videatur esse, quod apertius scriptum sit. Deinde suæ legis ad scriptum, ipsam sententiam quoque adungere; contrariam legem item ad aliam sententiam traducere; ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se. Postremo facere, si causa dabit facultatem, ut nostra ratione utraque lex conservari videatur; & adversariorum ratione, altera sit necessario negligenda. Locos autem communes, & quos ipsa causa det, videre oportebit, & ex utilitatis & honesta-

<sup>10</sup> Per ambiguum, aut per ratiocinationem, vel quæstiones legales, de quibus supra ad nos per definitionem.] Tres intelligit status cap. 40. n. 87 & 29. Cæppontorius.

nestatis amplissimis partibus sumere, demonstrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

L. Ex ratiocinatione nascitur controversia<sup>11</sup>, cum ex eo, quod uspiam est, ad id quod nusquam scriptum est, pervenitur, hoc pacto: Lex est, *Si furiosus est, agnatorum gentiliun- que in eo, pecuniaque ejus potestas esto.* Et lex: *Paterfamilias uti super familia pecuniaque sua legaverit, ita jus esto.* Et lex: *Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque ejus agnatorum gentiliun- que esto.*

Quidam iudicatus est parentem occidisse. Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, lignea solea in pedes inducæ sunt: os autem obvolutum est folliculo, & præligatum: deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culcus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam ejus familiares in carcerem tabulas afferunt, & testes adducunt. Heredes, quos ipse jubet, scribunt: tabulæ obsignantur. De illo post supplicium famitur. Inter eos, qui heredes in tabulis scripti sunt, & inter agnatos, de hereditate controversia est. Hic certa lex, quæ testamenti faciendi iis, qui in eo loco sunt, adimat potestatem, nulla profertur. Ex cæteris legibus, & quæ hunc ipsum supplicio hujusmodi afficiunt, & quæ ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniendum est ad ejusmodi rationem, ut quærat, habueritne testamenti faciendi potestatem.

Locos autem communes hoc in genere argumentandi, hos, & hujusmodi quosdam esse arbitramur. Primum, ejus scripti, quod proferas, laudationem & confirmationem. Deinde ejus rei, qua de quærat, cum eo, de quo constat, collationem ejusmodi, ut id, de quo quæritur, rei, de qua constat, simile esse videatur. Postea admirationem percontatione, qui fieri possit, ut, qui hoc æquum esse concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodem sit in genere. Deinde idcirco de hac re nihil esse scriptum, quod, cum de illa esset scriptum, de

<sup>11</sup> Ex ratiocinatione nascitur controversia.] *Subsequentis dicitur.* Vide supra cap. 40. n. 87 & Quintilian. lib. 7. cap. 8. Item.

de hac is, qui scribebat, neminem dubitaturum arbitratus sit. Postea multis in legibus multa esse præterita, quæ idcirco præterita nemo arbitretur, quod ex cæteris, de quibus scriptum sit, intelligi possint. Deinde æquitas rei demonstranda est, ut in iudiciali absoluta <sup>12</sup>.

Contra autem qui dicit, similitudinem infirmare debere: quod faciet, si demonstrabit, illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione: si, quo in numero illud, quod per similitudinem assertur, & quo in loco illud, cuius causa assertur, haberi conveniat, ostendatur. Deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur, ut non idem videatur de utraque existimari oportere. Ac, si ipse quoque poterit ratiocinationibus uti, iisdem ratiocinationibus, de quibus ante dictum est, utetur: si non poterit, negabit oportere quidquam, nisi quod scriptum sit, considerare: periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur: nihil esse pene, quod non alteri simile esse videatur: multis dissimilibus rebus, in unamquamque rem tantum singulas esse leges: omnia posse inter se vel similia, vel dissimilia demonstrari.

Loci communes a ratiocinatione, oportere conjectura ex eo quod scriptum sit, ad id quod non sit scriptum, pervenire: & neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, ut quedam ex quibusdam intelligantur. Contra ratiocinationem: huiusmodi conjecturam divinationem esse, & stulti scriptoris esse, non posse omnibus de rebus cavere, quibus velit.

LI. Definitio est <sup>13</sup>, cum in scripto verbum aliquod est positum, cuius de vi quaritur, hoc modo: Lex, *Qui in adversa tempestate navium reliquerint, omnia amittunt: eorum navis & onera sunt, qui in navis remanserint.* Duo quidam, cum

<sup>12</sup> In iudiciali absoluta] ἀποκρίσιμος ἀποκρίσιμος, ubi et iudiciali opponitur negotiali ἀποκρίσιμος; & et absoluta opponitur et assumptivo ἀποκρίσιμος. De his plura vide ad cap. 11, lib. 1. n. (24. Eccl.) Idem.

<sup>13</sup> Definitio est] intellige definitionem legalem, seu statum definitivum legalem, &

et, ἐστὶν ἰσχυρὸν, ubi agitur de definitivis & explicandis legum, aliorumve scriptorum vocabulis. Hic porro status Ciceroni & Herodianio Rhetori proprius est ac peculiaris. Vido supra ad cap. 40. n. 90. & Quintil. pag. 181. not. 468. Idem.

cum jam in alto navigarent, & eorum alterius navis, alterius onus esset, naufragum quendam natantem, & manus ad se tendentem animadverterunt: misericordia commoti, navim ad eum applicaverunt: hominem ad se sustulerunt. Postea aliquanto, ipsos quoque tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret, & inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim quoad posset, moderaretur: ille autem, cujus merces erant, in gladium in navi ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, & navim, quoad potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempestate jam commutata, navis in portum provehitur. Ille autem, qui in gladium incubnerat, leviter faucibus facile est ex vulnere recreatus. Navim cum onere, horum trium suam quilibet esse dicit. Hic omnes scripto ad causam accedunt, & ex nominis vi nascitur controversia. Nam & relinquere navem, & remanere in navi, denique navis ipsa quid sit, definitionibus queritur. Iisdem autem ex locis omnibus, quibus definitiva constitutio <sup>14</sup>, tractabitur.

Nunc, expositis iis argumentationibus, quæ in iudiciale causarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus & demonstrativum, argumentandi locos & præcepta dabimus; non quo non in aliqua constitutione <sup>15</sup> omnis semper causa verferur; sed quia proprii tantum harum causarum quidam loci sunt, non a constitutione separati, sed ad fines horum generum accommodati. Nam placet, in iudiciali genere finem esse æquitatem, hoc est, partem quandam honestatis. In deliberativo autem Aristoteli placet utilitatem, nobis & honestatem & utilitatem. In demonstrativo autem, honestatem. Quare in hoc quoque genere causæ quedam argumentationes communiter, ac similiter tractabuntur: quedam separatim ad finem, quo referri omnem rationem oportet, adjunctur. Atque uniuscujusque constitutionis exemplum suppo-

<sup>14</sup> Definitiva constitutio] Hic simplex est definitivus status rationalis ἁπλοῦς, ἀπλοῦς ἁπλοῦς, de quo plura vide ad cap. 8. lib. 1. n. 20. Idem.

<sup>15</sup> Constitutione] τῆς αἰῶνος, id est, in aliquo questionis oratoris statu, de quo vide ἁπλοῦς, de quo plura vide ad cap. 8. lib. 1. n. 20. Idem.

supponere non gravemur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscura dicendo fierent apertiores, sic res apertas obscuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis<sup>16</sup> præcepta pergamus.

LII. Rerum expetendarum tria genera sunt. Par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua vi nos alliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate; quod genus virtus, scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim & naturam, sed propter fructum, atque utilitatem, petendum; quod genus pecunia est. Est porro quiddam ex horum partibus junctum, quod & sua vi, & dignitate nos inductos ducit, & præ se quandam gerit utilitatem, quo magis expetatur; ut amicitia, bona exultatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur.

Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ posuimus, brevi nominabuntur. Nam in primo genere quæ sunt, honesta appellabuntur: quæ autem in secundo, utilia. Hæc autem tertia, quia partem honestatis continent; & quia major est vis honestatis, junctæ res omnino ex duplici genere intelligentur: sed in meliorem partem vocabuli conferantur, & honesta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes sint honestas & utilitas: vitandarum, turpido & inutilitas. His igitur duabus rebus res duæ grandes sunt attributæ, necessitudo, & affectio: quarum altera ex vi, altera ex re & personis consideratur. De utraque post apertius perferibemus. Nunc honestatis rationes primum explicemus.

LIII. Quod autem totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, honestum nominabimus. Quare cum ejus duæ partes sint, quarum altera simplex, altera junctæ sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi, atque uno nomine amplexa virtus. Nam virtus est animi habitus, naturæ modo, rationi consentaneus. Quamobrem omnibus ejus partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis

<sup>16</sup> Deliberationis ] Id est, earum orationum, quod Græci *ῥητορικῶν*, & aliquando *ῥητορικῶν* (concionale) appellant. *Idem.*

tis considerata. Habet igitur partes quatuor; prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam.

Prudentia est rerum bonarum, & malarum, neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia est, per quam ea perspicit, quæ sunt. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur ante quam factum sit.

Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res & ab natura profectas, & ab consuetudine probatas, legum metus, & religio sanxit.

Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ (quam divinam vocant) curam, ceremoniamque asert. Pietas, per quam sanguine conjunctis, patriæque benevolis officium & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Vindictio est, per quam vis & injuria, & omnino omne, quod obfuturum est, defendendo; aut ulciscendo propullatur. Observantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur. Veritas est, per quam, immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

LIV. Consuetudine jus est, quod aut leviter a natura tractum aluit, & majus fecit usus, ut religionem: aut si quid eorum, quæ ante diximus, ab natura profectum, majus factum propter consuetudinem videmus, aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit: quod genus, pactum, par, judicatum. Pactum est, quod inter aliquos convenit. Par, quod in omnes æquabile est. Judicatum, de quo alicuius, aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in ea scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur.

Fortitudo, est considerata periculorum susceptio, & laborum perperio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificientia est rerum magnarum, & excellentiarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio, atque administratio. Fidentia est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiducia certa cum spe collocavit. Patientia est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perperio. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis & perpetua permanio.

Temperantia, est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. Ejus partes sunt, continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicujus inventionis<sup>17</sup> concitati comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus clarum & stabilem comparat auctoritatem. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, & a brevitate præcipiendi remotum est.

Propter se autem vitanda sunt, non ea modo, quæ his contraria sunt, ut fortitudini ignavia, & justitiæ injustitia; verum etiam illa, quæ propinqua videntur & finitima esse, absunt autem longissime: quod genus, fidentiae contrarium, est diffidentia, & ea re vitium est: audacia non contrarium, sed appositum est, ac propinquum, & tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum; ut audacia, quæ fidentiae; pertinacia, quæ perseverantiae finitima est; superstitio, quæ religioni propinqua est: aut sine ullo certo nomine. Quæ omnia item uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

## LV. Nunc

<sup>17</sup> In odium alicujus inventionis ] Alii autem Michael Brutus sic emendandum censent: *temere in odium alicujus inventio concitata, comitate retinetur, pace ejus dixerim, non probro. Lambin.*

LV. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quæ nos cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt ad se: quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honesta, & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas. Amplitudo, potentiae, aut majestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem diligit, cum ejus pari voluntate.

Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur: ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimant, reprehendere incipiant. Quoniam sunt qui propter utilitatem solum petendam putant amicitiam: sunt qui propter se solum sunt qui propter se, & utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam.

Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus junctæ, partim non sunt; & quia partim veteres sunt, partim novæ, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profectæ, partim utiliores, partim minus utiles; ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur.

LVI. Utilitas autem aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur. Ut in republica quædam sunt, quæ (ut sic dicam) ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nauta, milites, focii; quibus rebus incolumitatem, ac libertatem retinent civitates: alia vero, quæ jam quiddam magis amplum, & minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio, atque amplitudo, ut quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo; quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvæ & incolomes, verum etiam, ut amplæ, atque potentes

tentes sint civitates. Quare utilitatis duæ partes videntur esse, incolumitas, & potentia. Incolumitas est salutis tutæ atque integra conservatio. Potentia est ad sua conservanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quæ ante dicta sunt, quid difficulter fieri & quid facile fieri possit, oportet considerare. Facile id fieri dicimus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestia, quam brevissimo tempore confici potest. Difficile autem fieri, quod quanquam laboris, sumptus, molestiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas causas habet difficultatis; tamen, his susceptis difficultatibus, compleri, atque ad exitum perducitur potest. Quoniam ergo de honestate, & de utilitate diximus, nunc restat, ut de iis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudinem & affectionem, perferamus.

LVII. Puto igitur esse hanc necessitudinem, cui nulla vi resisti potest; quæ neque mutari, neque leniri potest. Atque, ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei, qualis & quanta sit, cognoscamus. Uri posse flamma ligneam materiam necesse est: corpus mortale aliquo tempore interire necesse est: atque ita necesse, ut vis ea postulat, quam modo describebamus, necessitudinis, cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest. Huiusmodi necessitudines, cum in dicendi rationes incident, recte necessitudines appellabuntur. Sin aliqua res incident difficilis, in illa superiori, possit fieri, questione considerabimus.

Atque etiam hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices & absolutas. Nam aliter dicere solemus, Necesse est Cassilinenfes se dedere Annibali: aliter autem, Necesse est Cassilinum venire in Annibalis potestatem. Illic in superiore adjunctio est hæc, Nisi malint fame perire: si enim id malint, non est necesse. Hoc inferius non item, propterea quod sive velint Cassilinen-

<sup>18</sup> Cassilinum ] Alludit ad historiam: nam scuris pelles, ubi fervida molliscent aquæ Cassilinum, oppidum Campaniæ, cum ab Annibale obsideretur, milites eo inopie pervererunt, ut mures, & lora, utraqueque

linenses se dedere, sive famem perpeti, atque ita perire, necesse est Cassilinum venire in Annibalis potestatem. Quid igitur perficere potest hæc necessitudinis distributio? Prope dicam, plurimum, cum is locus necessitudinis videbitur incurere. Nam cum simplex erit necessitudo, nihil erit quod multa dicamus, cum eam nulla ratione lenire possimus. Cum autem ita necesse erit, ut aliquid effugere, aut adipisci velimus, tum adjunctio illa, quid habeat utilitatis, aut quid honestatis, erit considerandum. Nam si velis artendere, ita tamen, ut id quæras, quod conveniat ad usum civitatis; reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit, nisi propter aliquam causam, quam adjunctionem nominamus. Pariter autem invenias esse multas res necessitudinis, ad quas similis adjunctio non accedit. Quod genus, ut homines mortales intendant, necesse est sine adjunctione: ut cibo utantur, non necesse est, nisi cum illa exceptione, Extra quam, si nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adiungitur, semper, cuiusmodi sit, erit considerandum. Nam omni tempore id pertinebit, aut ad honestatem, ut hoc modo exponenda necessitudo sit, Necesse est hoc faciamus, si honeste volumus vivere: aut ad incolumitatem, hoc modo, Necesse est, si incolumes volumus esse: aut ad commoditatem, hoc modo, Necesse est, si sine incommodo volumus vivere.

LVIII. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis: huic proxima, incolumitatis: tertiæ ac levissima, commoditatis, quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. Hæc autem inter se sæpe necesse est comparari, ut quantum præter honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cuius rei certum quoddam præscriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, ut, cum incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum, virtute aliquando & industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: cum autem id non poterit, honestatis. Ita in eiusmodi quoque re, cum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine

incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, & in praesentia quiescere, atque aliud tempus expectare oportebit.

In commoditatis vero ratione, modo illud attendatur, dignane causa videatur ea, quae ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut queramus, quid sit illud, quod si adipisci, aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quae sit adiunctio, ut proinde, uti quaeque res erit, laboremus, & gravissimam quamque causam vehementissime necessariam iudicemus.

Affectio <sup>19</sup>, est quadam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut administratione, aut hominum studio, commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae sint, aut plerumque haberi soleant, habendae videantur esse: ut ad hostes transire turpe videtur esse; at non illo animo, quo Ulysses transit <sup>20</sup>: & pecuniam in mare dejicere, inutile; at non eo consilio, quo Aristippus <sup>21</sup> fecit. Sunt igitur res quadam ex tempore, & ex consilio, non ex sua natura considerandae: quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est: & non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est. His ex partibus ad sententiam dicendam locos sumi oportere arbitramur.

LIX. Laudes autem, & vituperationes ex iis locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum, &

<sup>19</sup> Affectus ] Graece dici possent *exiles*, *anxi*, *involuntaria* (accidens) & *negativa*, quam *circumstantiam* vulgo appellant, idque auctore ipso Quintiliano, pag. 393. not. 523. *Cappernoverius*.

<sup>20</sup> At non illo animo, quo Ulysses transit ] Ulysses sub habitu mendicis Trojam ingressus dissipenter omnia exploravit: id quod ex Euripido in Hecuba satis liquet. *Nesimb.*

<sup>21</sup> Aristippus ] Bion, apud Laertium in Aristippo, scriptum reliquit, Aristippum, cum aliquando navigasset, didicissetque navem, qua veheretur, esse piraticam, acceptum aurum numerasse: deinde, quasi imprudens & invito lapsam e manibus projecisse in mare, ingemuisseque graviter. Sunt qui illum haec adidisse memorent: *Molinus est, no haec ab Aristippo, quam Aristippus propter ista perorat. Idem.*

& corpus, & extraneas res licebit. Animi est, virtus, cujus de partibus paulo ante dictum est. Corporis, valetudo, dignitas, vires, velocitas. Extraneae, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & caetera, quae simili esse in genere intelligentur. Atque in his, id, quod in omnia valet, valere oportebit: contraria quoque, & quae, & qualia sint, intelligentur. Videre autem in laudando, & in vituperando oportebit, non tam quae in corpore, aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem & laudare, stultitia; & vituperare superbia est. Animi autem, & laus honesta, & vituperatio vehemens est.

Nunc quoniam omne in causa genus argumentandi ratio tradita est, de inventione, prima ac maxima parte Rhetoricae, satis dictum videtur. Quare quoniam & una pars <sup>22</sup> ad exitum hunc ab superiore libro perducta est, & hic liber non parum continet literarum, quae restant, in reliquis dicemus.

<sup>22</sup> Una pars ] Nescio, an hoc loco nimis audax fuerit Lambinus; illud scio, mihi ariditate emendationem, quam exhibuit in margine editionis suae: *Una pars ad exitum, hoc & superiore libro, perducta est, &c. Caeterum, Gothofredus hic annotavit, de videri ex hoc loco posse colligi, Ciceronem plures de Inventione libros scripsisse. Illud quidem non tantum jam diu inter eruditos constat, plures fuisse perscriptos a Cicerone libros de Inventione, sed etiam eos fuisse quatuor, e quibus duos posteriores nobis longinquitas temporis invidit. Vid. Voss. de Natura Rhet. c. 13. *Verburg.**





## ORATORE,

AD Q. FRATREM,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Ut ex hisce libris legendis majores fructus Lector percipiat, non inutile credidi fore, totius Operis formam & quasi figuram breviter depingere. De Rhetorica Cicero omnium Romanorum eloquentissimus tradit præcepta; nec ea quidem, Rhetorum aliorum more, nuda & inornata tradit, sed oratione ita limata, & doctrina ita liberali, ut scias ipsum id asserturum esse, quod veller aliis præcipere. Plerumque fit, ut cum invidia audiat, qui aliis præcipit: qui enim eos conatur docere, se iis superiorem fore in eo, quod docet, pollicetur. Hanc igitur invidiam a se Cicero artificio quadam removet, cum sub personis Lucii Licinii Crassi, & M. Antonii, oratorum superioris sæculi principum, suam de Eloquentia sententiam explicavit. His senibus duos juvenes, forumque vix ingressos, Cottam, & Sulpicium, comites adjunxit: prudenter quidem; nisi enim in hanc disputationem venissent senes, minus auctoritatis & gravitatis haberent ea, quæ præciperentur: & nisi juvenes adessent, qui & audiendi cupidi essent, & nondum satis usu forensi instructi, senes non potuissent hunc sermonem sine inopriarum crimine instruere. Vide, quam elegans sit exordium disputationis: Artificium erat & Ieronymi Græcorum Rhetorum, se de Eloquentia dicturos esse profiteri. Hi senes, & ingenui, & in Rep. versati, non, nisi fortuito, in hanc disputationem incidunt; nihil de se promittunt, sed cursu orationis, vel casu potius, in Rhetoricæ campos incurruunt. Nec in personis solum, sed in loco decorum servat Cicero: non enim Roma, sed ruri disputant; non in urbis

occupatione, ubi mollioribus his studiis se dedere non licet, sed in otio recessus Tusculani, quo proficiscentem curæ Reique publicæ negotia, etiam cum bonorum venia, non sequuntur.

In primo libro quaeritur, quæ sit oratoris materia, quæque artes sint illi ad cognoscendum necessaria. Crassus, cujus in persona explicatur ipsius Ciceronis sententia, perfectum oratorem instruit, eique omnium artium cognitionem subiungit: singulas percurrit, probatque & exemplis & rationibus, quam utilis sit unaquæque oratori: Antonius vero, cujus disputatio ad mentem Quirini formatur, contra Crassum disputat, & cum indoctus a plerisque haberetur, solaque natura ad dicendum instructus, Eloquentiam a cæteris artibus segregat, eique solam bene dicendi scientiam adiungit. Quæ argumenta attulerat Crassus, ea omnia percipit Antonius, & verbo magis, quam re dissolvit. Aderat etiam huic disputationi Scævola senex; quem Cicero a sequentibus libris dimovit, & quia infirma valitudine fuit, (ut ait ipse) & quia in hoc libro disputatio de jure civili a Scævola studiis non abhorrebat: tantum vero virum proxime de jocis disputationi interesse non decebat.

In secundo libro partes Inventionis Antonio traduntur; in qua potius, quam in ornatu orationis excelluit. Omnia igitur præcepta ponit, ex quibus argumenta possimus eruere, quibus animos iudicum movere & nobis conciliare: tria illa genera, judiciale, delibetarium, demonstrativum, tractat, digitumque ad fontes intendens docet, quomodo ea, quæ univèrsè dicuntur, ad unquamque causam referri possint. Ad Inventionem pertinent joci; Cæsar igitur, qui in iis omnibus præstitit, huic disputationi adest, & ea omnia, quæ de jocis didicerat aut observarat, in medium profert. Deinde Antonius loquitur de memoria, scilicet artificiali (nam ea sola Inventionis est propria,) brevibusque omnia, quæ ad illam spectant, præceptis concludit.

In tertio partes Elocutionis Crasso deferuntur: in verbis enim magis, quam in sententiis eligendis elaboravit. Prius igitur de univèrso genere dicendi pauca loquitur; deinde ad eas quatuor partes, quibus elocutio continetur, pure, dilucide, ornate, & apertè dicendi, sese revocat: has singulas percurrit, præcipue vero ornam

rum orationis. Docet, quae verba eligenda sint, quae figura, quae tropi addibendi, quos numeros & pedes oratio postulet. Tum ad extremum de Actione quaerit, docetque, quomodo & vox, & gestus, & vultus ad orationem accommodari debeat. Omnes denique hi libri ita venusti, ita elegantes sunt, ut ab illis non solum praeccepta, sed exempla Eloquentiae perenda sint. PEARCIUS.

I.



OGITANTI mihi saepenumero, & memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima republica, cum & honoribus, & rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere poterant, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit tempus illud, cum mihi quoque initium requiescendi, atque animum ad utriusque nostrum praecleara studia referendi fore iustum, & prope ab omnibus concessum arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor, & ambitionis occupatio, decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset. Quam spem cogitationum & consiliorum meorum, cum graves communium temporum, tum varii nostri casus defellerunt. Nam qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxima moles molestiarum, & turbulentissima tempestates existerunt. Neque vero nobis cupientibus, atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosque recolendas. Nam prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris: & consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen, atque discrimen: & hoc tempus omne post consulatum objecimus

iis

*1 Inter nosque recolendas.]* Trajicit colu-  
mandi particulam, malitiosque, inter nos-  
que, quam illic, & inter nos recolendas, in-  
surpate: ne, quod in oratione vitiosum est,  
in heroci carminis finem decidet. Quae  
componendi manifesta diligentia, ut in sero  
& in curia celatur, ita in hoc scripti ge-  
nere dissimulari non debet. Sunt qui legant,  
Interque nos recolendas, virtutis huius igna-

ri, qui nesciant auribus atque rationi cede-  
re praeccepta. *Servatus.*

*2 Prima aetate.]* Anno U. C. DCLXVII. &  
consequenti, cum Tullius ageret annum vi-  
cesimum, exarsere bella civilia Cinnae,  
Marci, & Syllae, qui contra primum mo-  
rem oppressa patriae libertate, principatum  
invadere tentabant. *Frug.*

*3 Et hoc tempus omne.]* Hoc de Orato-

re

iis fluctibus, qui, per nos a communi peste depulsi, in nos-  
metipsum redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus re-  
rum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris: &  
quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causa amicorum,  
vel respublica tribuet otii, ad scribendum potissimum conse-  
ram. Tibi vero, frater, neque hortanti dero, neque ro-  
ganti. Nam neque auctoritate quisquam apud me plus vale-  
re te potest, neque voluntate.

II. Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoria non  
sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad  
id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri omnium eloquen-  
tissimi, clarissimique fenerint de omni ratione dicendi. Vis  
enim, ut mihi saepe dixisti; quoniam quae pueris, aut ado-  
lescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata, ac ru-  
dia exciderunt, vix hac aetate digna, & hoc usu, quem ex  
causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus; aliquid  
iisdem de rebus politius a nobis, perfectiusque proferri: so-  
lesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris  
dissentire, quod ego prudentissimorum hominum artibus e-  
loquentiam contineri statuam; tu autem illam ab elegantia  
doctrinae segregandam putes, & in quodam ingenii atque e-  
xercitationis genere ponendam.

Ac mihi quidem saepenumero in summos homines, ac sum-  
mis ingeniis praditos intuenti, quaerendum esse visum est,  
quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo  
admirabiles existissent. Nam, quocumque te animo, & co-  
gitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere  
videbis, non mediocrum artium, sed prope maximarum.

R. 2

Quis

re Dialogos Cicero scripsisse putatur anno  
aetatis suae 58. & U. C. 698. secundo vero  
anno post ejus reditum, cum Clodianorum  
furore actus in exilium cessisset. *Petruar.*  
*4 Ex commentariis nostris.]* Libros de  
Inventionem sub annum aetatis viceimum Ci-  
cero scripserat, rudes & impolitos, si cum  
his conferantur. Porro commentarius, liber  
est, in quem referimus breviter aliquid me-  
morae causa. *Proffens.*  
*5 Prudentissimorum.]* Hoc est, doctissimo-  
rum; vel (ut noster loquitur in sequen-

ti sententia) eorum, qui habent elegantiam  
doctrinae: saepius in hoc opere doctos dixerit,  
& prudentiam eloquentiae opposuit: &  
hic per prudentissimos intelligi voluit eos,  
qui omnibus artibus, sc. Philosophia, iure  
civilis, &c. instructi essent. Sic l. 1. c. 49.  
Prudentia verum magnarum magis, quam di-  
cendi arte nititur. Lib. 3. c. 35. Multos e-  
quidem indifferenter prudentiam, quos stulti-  
tiam loquuntur. Et l. 1. c. 14. Sine summa  
verum eruditam cognitione & prudentia. Pe-  
trus.

Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam, rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anreponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una civitate præstantissimos pene innumera- biles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre pos- simus? Jam vero consilio, ac sapientia qui regere, ac gubernare rempublicam possent, multi nostra, plures patrum me- moria, atque etiam majorum exstiterunt: cum boni perditii nulli, vix autem singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac, ne quis forte cum aliis studiis, quæ re- conditis in artibus, atque in quadam varietate literarum ver- sentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet; convertat animum ad ea ipsa artium genera, circumspiciatque qui in iis floruerint, quamque multi: sic facillime, quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, judicabit.

III. Neque enim te fugit, laudatarum artium omnium pro- creatricem quandam, & quasi parentem eam, quam *philosophias* Græci vocant, ab hominibus doctissimis judicari; in qua dif- ficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate, & copia fuerint: qui non una ali- qua in re separatim elaborarint, sed omnia, quæcunque essent, vel scientiæ per investigatione, vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocan- tur, quanta in obscuritate rerum, & quam recondita in ar- te, & multiplici, subtilique versentur? quo tamen in gene- re ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere stu- didisse ei scientiæ vehementius videatur, quin, quod volue- rit, consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio litera- rum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se deditit, quin omnem illarum artium pene infinitam vim, & materiam, scientia, & cogitatione comprehenderit? Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in ha- rum artium studiis liberalissimis sint, doctrinisque versati, minimam copiam poetarum egregiorum exstitisse: atque in hoc

\* *Essent* ] Man. Græc. *possent*.

hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter & ex nostrorum, & ex Græcorum copia compa- rare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poetae bo- ni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia cæterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fonti- bus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more & ser- mone versatur; ut in cæteris id maxime excellat, quod longi- gissime sit ab imperitorum intelligentia, sensuque disjunctum: in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere.

IV. Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures cæteris artibus inservire, aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut præmiis ad perfiscendum amplioribus commoveri. Atque ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse vol- luit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis & inventa est, & perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam elo- quentiæ studia viguerunt. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem torius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod præceptum artis esse arbitrentur, tantum, quantum ingenio & cogitatione poterant, consequantur. Post autem, auditis oratoribus Græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque do- ctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo & varietas, multitu- doque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio affectus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nunc quoque sunt, exposita præ- mia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. In- genia vero ( ut multis rebus possumus judicare ) nostrorum hominum multum cæteris hominibus omnium gentium præ- stiterunt. Quibus de causis, quis non jure miretur, ex omni memo-

memoria ætatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus studiisque collectum.

V. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita caularum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmiis, esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est: & ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiæque, & eruditio libero digna, celeritasque & brevitatis respondendi, & læcessendi, subtili venustate, atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, aut juris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis conformatione, ac varietate moderanda est: quæ sola per se ipsa quantæ sit, histrionum levis ars & scena declarat: in qua cum omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo æquo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria, quæ nisi custos inventis, cogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiam si præclarissima fuerint, in oratore peritura.

Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, cæterosque, quorum gloria nobis & dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus

utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant.

VI. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ, nisi subest res ab oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pene puerilem. Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris præsertim oratoribus, in hac tanta occupatione urbis, ac vitæ, nihil ut iis putem licere nescire: quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere, ac polliceri videatur, ut omni de re, quæcunque sit proposita, ab eo ornate, copioseque dicatur. Sed quia non dubito, quin hoc plerisque immensum, infinitumque videatur, & quod Græcos homines non solum ingenio, & doctrinâ, sed etiam otio, studioque abundantes, partitionem quandam artium fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed leposuisse a cæteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forensibus disceptationibus judiciorum, aut deliberationum versaretur, & id unum genus oratori reliquisse; non complectar in his libris amplius, quam quod huic generi, re quæsita, & multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum: repetamque non ab incunabulis nostræ veteris puerilisque doctrinæ quandam ordinem præceptorum, sed ea, quæ quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, & omni dignitate principum, disputatione esse versata: non quod illa contemniam, quæ Græci, dicendi artifices, & doctores reliquerunt; sed cum illa pateant, in prompruque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est, auctoritatem Græcis anteponam.

VII. Cum igitur vehementius inveteretur in causam principum

<sup>6</sup> Cum igitur vehementius inveteretur in causam principum  
C. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, anno U. C. DCXXXII. legem tulerat, qua  
judicia publica a senatu, penes quem a re-  
gum

cipum consul Philippus, Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus, infringi jam, ac debilitari videretur: dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Crassum<sup>7</sup>, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse. Venisse eodem, focer ejus<sup>8</sup> qui fuerat, Quintus Mucius<sup>9</sup> dicebatur, & M. Antonius<sup>10</sup>, homo & consiliorum in republica socius, & summa cum Crasso familiaritate conjunctus. Exierant autem cum ipso Crasso, adolescentes duo, & Drusi maxime familiares, & in quibus magnam tum spem majores natu dignitatis suae collocarant, C. Cotta<sup>11</sup>, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius<sup>12</sup>, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur.

Hi

gum tempore fuerant, quasi ab his non factis caste exercebantur, transirentur ad equites Romanos. Verum cum in his non factis integra fide versarentur equites, ea rursus sibi vindicare conati sunt senatores anno U. C. DCLXIII. admittente in primis M. Livio Druso, tribuno plebis, qui popululum perniciosa spe largitionis, socios Italiae populos, promissa ipsi civitate, in equestrem ordinem concitavit, ac demum legem tulit, ut aequa ex parte judicia penes senatum & equestrem ordinem essent, sive trecentos equites & totidem senatores. Eam ob rem tota graviter Italia turbatur est; maxime a sociis populis, qui cum promissum a Druso jus civitatis non obtinerent, bellum sociale seu Italicum conflagraverunt. Drusus in senatu ut caput malorum accusatus; cum domum inde se reciperet, inter turbam, incerto auctore, cultro vulneratus, in arrio corruit, ac paulo post obiit. Philippus tum erat consul, tam senatus ac Drusus infensus, quam aditus equestribus, a quibus exerceeri judicia volebat. *Vellejus, Livius, Florus, Appianus, &c. Praelexus.*

7 L. Crassum ] L. Licinius Crassus, celeberrimus orator, praecipuus in his dialogis partes agit. Natus est, ut ex Cicero's Bruto patet, C. Laelio & Q. Caepione Coss. sine anno U. C. DXCIV. Qua morte defunctus fuerit, fatis refert Tullius sub initium libri tertii de Oratore, cap. 2. *Idem.*

8 Sacer ejus (qui fuerit Q. Mucius) ] Ita manuscripti Mag. Mead. Govv. & Harl. duo: nec iniustatum est Nostrum post vocem qui. uti subjunctivo modo. Vulgarum fuerat

parum placet; tunc enim temporis, cum Mucius ad Crassi Tusculanum venerit, tam focer fuit Crassi quam antea: Crassique postea appellat generum suum in c. 9. *Praelexus.*  
9 Q. Mucius ] Q. Mucius Scaevola, Q. Scavo'se consulti anno DLXXX. filius, C. Laelii gener, in Stoica disciplina, iurisque scientia, & omni literarum genere versatissimus. Ad quem audiendum a patre deductus est Cicero sumpta virili toga. Augur fuit anno U. C. DCXXI. Observeat eruditus eum cum Q. Mucio pontifice, ad quem, hoc Q. Mucio augure mortuo, se conserebat Tullius, minime confundendum esse. *Praelexus.*

10 M. Antonius ] Orator eximius, natus Coss. Appio Pulchro & Q. Caecilio anno U. C. DCXLI. de quo plura subinde his in libris occurrunt, & praecipue in Bruto cap. 37. De ejus morte vide lib. 3. de Orat. cap. 3. *Idem.*

11 C. Cotta ] C. Aurelius Cotta dicendi laude praestans his temporibus petiit tribunatum, & obtinuit, a quo post Crassi mortem per invidiam depulsus, ino civitate deinde eiectus est. *Appian. &c.* Postea tamen consulatum gessit anno U. C. DCLXXIV. Cum illi decretus esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, ut refert Alconius in notis ad Pisonianam, cum cicatrix vulneris ejus, quod ante plures annos acceperat, recessisset repente. De quo plurima inferius, & in Bruto cap. 55. *Idem.*

12 P. Sulpicius ] Cuius in Bruto Tullius dicendi characterem describit, & sub initium lib. 3. de Oratore funestam mortem deplorat. *Idem.*

Hi primo die de temporibus illis, deque universa republica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat; ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante viderent. Eo autem omni sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, cum lauti accubissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis: eaque esset in homine jucunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani.

Postero autem die, cum illi majores natu satis<sup>\*</sup> quiescent, & in ambulationem ventum esset; dicebat tum Scavolam duobus spatiis tribusve factis, dixisse, Cur non imitatur<sup>13</sup>, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? Nam me haec tua platanus admonuit; quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquila, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse: & quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam, atque ita illa, quae philosophi divinitus serunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. Tum Crassum, Immo vero commodius etiam; pulvinosque poposcisse, & omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, condesisse dicebat.

VIII. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quandam de studio dicendi intulisse. Qui cum ita esset exoritur: Non sibi cohortandum Sulpicium & Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam jam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum anteponerentur, sed cum majoribus natu compararentur. Neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere ho-

Tom. I.

S

minum

\* Quiescent ] Vir. Man. quiescent, in ambulationem ventum esse dicebat: tunc  
13 Cur non imitatur ] Apud Platonem in dialogo, qui Phaedrus inscribitur, Socrates ad Ithium, Atticæ fluvium, mollior in herba recumbens, sub alta & patulis diffusa ramis platano, multa disserit. *Idem.*

minum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quo velis: unde autem velis, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquillisque civitatibus, præcipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificentum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel testis ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci laesitissus?

Age vero, ne semper forum, subsellia<sup>14</sup>, rostra, curiamque meditare, quid esse potest in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præstamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis præsent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero jam ad illa summa veniamus; quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam constitutis civitatibus, leges, judicia, iura describere?

Ac, ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, confectæ, comprehendam brevi; sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione, & sapientia non solum ipsius dignitatem, sed & priva-

<sup>14</sup> Forum, subsellia, &c. ] In foro jus dicebant prætores, & iudices ab iis dati esse tribunorum, triumvirorum, quæstorum, & aliorum minora judicia exercentium scri-

bit Aconius. Rostra, locus erat, ex quo dicebant oratores ad populum. Curia, ubi senatores & principes civitatis de rebus administranda inter se agebant. Idem.

privatorum plurimorum, & universæ reipublicæ salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescenter: atque in id studium in quo estis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & reipublicæ emolumento esse possitis.

IX. Tum Scævola comiter, ut solebat, Cætera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Lælii, socii mei, aut de hujus generi, aut arte, aut gloria detrahā: sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere. Unum, quod ab oratoribus civitates & ab initio constitutas, & sæpe conservatas esse dixisti. Alterum, quod, remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis, & humanitatis esse perfectum.

Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsū potius, quam disertorum oratione delinitum, se oppidis, mœnibusque secessisse? aut vero reliquas utilitates, aut instituendis, aut conservandis civitatibus, non a sapientibus & fortibus viris, sed a disertis, & ornate dicentibus esse constitutas? An vero tibi Romulus ille aut pastores & convenas congregasse, aut Sabinorum connubia conjunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio, & sapientia singulari? Quid? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tulio, quid? in cæteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, num quod eloquentiæ vestigium apparet? Quid? exactis regibus, (tamen ipsam exactiōnem mente, non lingua, perfectam L. Bruti esse cernimus) sed deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? Ego vero si velim & nostræ civitatis exemplis uti, & aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adjumenta per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua præmittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Tib. & C. Sempronios, quorum pater, homo prudens, & gravis, haudquaquam eloquens, & sæpe alias, & maxime censor, salutis reipublicæ fuit. Atque is non accurata quadam ora-

orationis copia, sed nutu atque verbo libertinos in urbanas tribus transfudit; quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jamdiu nullam haberemus. At vero ejus filii diferti, & omnibus vel natura vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati, cum civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam acceperant, ista praecleara gubernatrice, ut ais, civitatum, eloquentia rempublicam dissipaverunt.

X. Quid? leges veteres, moresque majorum: quid? auspicia, quibus & ego, & tu, Crasse, cum magna reipublicae salute praesumamus: quid? religiones & caeremoniae: quid? haec jura civilia, quae jampridem in nostra familia sine ulla eloquentia laude versantur, num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, & M. Aemilium Porcinam, & C. ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus percussisti<sup>15</sup>, ignarum legum, haesitantem in majorum institutis, rudem in jure civili: & haec aetas nostra, praeter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere aliquo difertorum, jus a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, juris ignara est.

Quod vero in extrema oratione, quasi tuo jure, sumpstisti, oratorem in omni sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praessem, qui aut interdicto tecum contenderent<sup>16</sup>, aut te ex jure manum conferentem<sup>17</sup> vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum le-

<sup>15</sup> Percussisti ] Id est, evertisti, seu dejecisti. Simile est illud lib. 11. cap. 70. Scipionis illius, qui Tib. Gracchum percussit. *Perussit.*

<sup>16</sup> Interdicto tecum contenderent ] Interdictum, praetoris est edictum quo jubet aliquid vel fieri, vel omitti. Sententia est: Multi licet tibi intenderent, & lege, ac praetoris edicto tecum agerent, quod eam rem, quae pertinet ad alias artes, nimirum in omni disputatione copiose versari, tanquam oratori propriam, vindicet illi, ac tribuas. *Præfessit.*

<sup>17</sup> Ex jure manum conferentem ] Manum conferere est propriis in pra-

lio venire ad manus. Transfertur autem a militum certaminibus ad fore contentiones. Scilicet petitur, & is a quo petebatur, dicto die, in agrum litigiosum conveniebant, simulatque confectu, quasi per vim expellebatur ex agro petitur: hic deinde ad praetorem appellabat de vi, ac petebat ut sua sibi restituerentur. De hac locutione plura Gellius lib. 11. cap. 10. *Manu pro manu dicitur, expuncta more veterum s: conferentem in lupino a censere, quod est comitio. Caeterum hujus loci sententia est: Multi repetent ac restitui postularent, adhibita solenni juris formula, rem a te contra jus istaque occupatam. Idem.*

ge primum Pythagorei omnes, atque Democratici, caeterique in suo genere physici, vindicarentque ornati homines in dicendo & graves, quibuscum tibi iusto sacramento<sup>18</sup> contendere non liceret. Urgerent praeterea philosophorum greges, jam ab illo fonte & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaevisse, nihil scire convincerent: & cum universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. Instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum scire negaret. Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irritum tenerent. Peripatetici autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adjumenta, atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere: ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem, Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate conjungitur. Quamobrem ista tanta, tamque multa, profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in judiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior & probabilior esse videatur: ut in concionibus, ut in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio: denique ut prudentibus diferte, stultis etiam vere dicere videaris. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facilitate posse.

XI. Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scavola, ista inter

\* Caeterique ] Lamb. caeterique suo jure physici vindicarent, ornati

<sup>18</sup> Iusto sacramento ] Sacramentum litis genus erat, simile sponsionis. Varro. Et qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus utrique quingentos aëris apud Pontificem depositabant, de aliis item eolus certum numerum assium. Qui iudicio autem vicerat, suum sacramentum a sacro auferbat, vincti a paratium restituit. Sacramentum dixit pe-

nitium litis depositum apud Pontificem. Decepti sunt qui legerunt hic apud pontem, non apud Pontificem. Sensus est igitur: Philosophi disciplinarum possessione dejecti, tecum interdicto contendere, quemadmodum si qui ab agro dejecti sunt: aut vindictiarum litem tibi intenderent, & disciplinas suas auferrent: aut jure possent agere tecum, & deposita pecunia contendere. *Servanus.*

inter Græcos dici, & disceptari solere. Audivi enim summos homines, cum quaestor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Charmadas<sup>19</sup>, & Clitomachus, & Æschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copiosissimum. Vigeat auditor Patetii illius tui Mnearchus; & Peripaterici<sup>20</sup> Critolaus & Diodorus. Multi erant præterea præclari in philosophia, & nobiles, a quibus omnibus una pene repelli voce oratorem a gubernaculis civi-

<sup>19</sup> Charmadas. ] Vulgo pro Charmadas legitur Carneades; male omnino: hic enim Crassus dicit se Quaestorem, postea vero Antonium se Prosecutorem, vidisse Carneadem, contra auctoritatem veterum Scriptorum. Lærtius enim ex Apollodoro scribit Carneadem mortuum esse (Olymp. CLXII. ann. 4.) anno U. C. 625. Crassus vero Quaestor fuit an. U. C. 652. & Antonius Prosecutur an. U. C. 652. Immo Cicero ipse in Acad. Quest. dicit Carneade legationem incidisse in an. U. C. 599. Si igitur Crassus Quaestor vidit Carneadem, Carneades post legationem vixit annos 43. & si Antonius Prosecutur eum vidit, vixit annos 53. post legationem: quod verissime non videtur. Sed ulterius ex ipso Cicero probatur sum, neque Crassum, neque Antonium vidisse Carneadem. Primum, in lib. 1. c. 18. Crassus dicit, *visus Carneades est ego multos auditores cognovi Athenis &c.* Ex quo loco colligo Crassum non vidisse Carneadem, quia si eum vidisset, non loceri, aut Metelli usus esset iudicio, sed suo. Porro dicit ibi Crassus Metellum adolescentem fuisse, cum audiret Carneadem ætatis ætate. Metellus vero Consul fuit an. 645; ergo non credibile est Carneadem vixisse usque ad Quaesturam Crassi, hoc est, pene ad Consulatum Metelli, multo autem minus ad Prosecuturam Antonii. Secundo, in l. 2. c. 37. itemque in hoc ipso loco non de homine, quem novit, Crassus loquitur, sed dicit hominem, ut ferebant, &c. Tertio, ut se habet vulgata lectio, Carneades Carneadis auditor fuit, quo quid ineptius? His rationibus adductis vulgatam lectionem rejicio. Cur autem Charmadas rescriptus, passim sciat Lector, s. Mf. Cant. habet Charmades, Bodd. Charmadas (que vox

si punctum literæ i tollas, est Carneades) ? Mf. vero Joan. & Harl. 1. habent Charmadas in hoc loco, & tribus sequentibus, de quibus mox dicturus sum. 2. In Oratore c. 16. cum dicitur, *scitum est enim, quod Carneades dicebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem eadem etiam modo dicere*; nonnulli, quos vidi, Mf. habent ibi Charmadam, postea etiam sensu. Patet idem ex l. 2. c. 88. ubi, Joano primum notante & Gronovio approbante, pro Carneadem jam legitur Charmadam, testimonio Pinii & auditorum Mf. 3. Sextus Empiricus non solum dicit Charmadam, vel Charmadum, Academicum fuisse, & Academiae principem. 4. Idem scriptis mandavit illustrationem quendam Charmade, in qua Academicus iste probat Rhetoricam non esse artem, & Rhetores exagitat; quæ omnia Sex. Empirici testimonia huic loco optime conveniunt. Utile fore credidi hunc locum lucentis argumentis explicare, qui Petavio, Stanlejo nostro, aliisque Chronologiam docentibus, magnas olim turbas excitaverit. Pearson. Vide in eandem sententiam, Henrici Valefi Bemmæ, l. 29.

<sup>20</sup> Peripaterici Critolaus & Diodorus ] Ita vulgati omnes. Sed, Peripaterici Critolaus Diodorus, est lectio Mf. duorum Pall. & ritum Guilelmi, nec non Joan. Mag. & Harl. duorum: testaturque Cicero de Fin. l. 5. c. 5. Diodorus fuisse auditorem Critolai. Porro, ea argumenta, quibus probavi Carneadem ad Quaesturam Crassi non vixisse, fatis docent ne Critolanum quidem in Crassi Quaestura viguisse: quod tamen præ se fert vulgata lectio, & Peripaterici Critolaus & Diodorus. Pearce.

civitatum, excludi ab omni doctrina, rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia & conciliunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi, & compingi videbam. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori, & principi longe omnium in dicendo gravissimo, & eloquentissimo, Platoni, cujus tum Athenis diligentius legi cum Charmada Gorgiam<sup>21</sup>: quo in libro, hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur. Verbi enim controversia<sup>22</sup> jamdiu torquet Græculos homines contentionis cupidores quam veritatis. Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in jure, aut in judiciis possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuatur, & concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum<sup>23</sup>, neque sine legum, morum, juris scientia, neque natura hominum incognita, ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari, & perire potest. Qui autem hæc cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? Sin oratoris nihil vis esse, nisi compositæ, ornate, copiose loqui: quæro id ipsum qui possit assequi sine ea scientia, quam ei non conceditis? Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest.

Quamobrem, si ornate locutus est, sicut fertur, & mihi videtur, phycus ille Democritus; materies illa fuit phyci, de

<sup>21</sup> Gorgiam ] Gorgias Platonis dialogus, in quo rationem docet, quæ stiles rhetorum sophistarum arguit refelluntur. Tullius five ex sua, five ex Crassi sententia non recte censuit in illo dialogo desiderari oratorem. Non veram rhetoricam, sed adulterinam tantum, ut cuius lepenti patet, tradidit. Neque vero paucos induxit in errorem hic dialogus, ut observavit Quintilian, lib. 11. cap. 15. *Plerique, inquit, dum paucos ex Gorgia Platonis a prioribus imperis excerpta legere contenti, neque alia ipsius voluminis voluere, in maximum errorem incidere: ut crequeque eum in hac esse opinione, ut rhe-*

*toricam non artem, sed peritiam quandam gratia ac voluptatis existimes, &c. Præsertim.* <sup>22</sup> Verbi controversia ] Maximo atque summo estu contendunt inter se Græci, quæ orator dicendus sit, an ille qui tantum in causis forensibus valeat, an qui de re qualibet ornate possit dicere. Idem.

<sup>23</sup> Omnium rerum publicarum ] In vulgatis duæ postrema vices male conjunguntur: neque enim necesse est, ut si omnes Respublicas cognoscant, qui Romanam velit cognoscere: necesse est autem, ut publicas res omnes Romani imperii sciat, qui de eo administrando dicitur est. Pearson.



de qua dixit: ornatus vero ipse verborum, oratoris putandus est. Et, si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, & in dicendo suaves, atque ornati fuerunt: sint hæc res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis: oratio quidem ipsa propria est hujus unius rationis, de qua loquimur, & querimus. Etenim videmus, iisdem de rebus jejune quosdam, & exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse; neque ob eam rem philosophiæ non satis fecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte alienam facultatem.

XII. Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo, & copiam, ab eorum exilitate, qui hæc dicendi varietate & elegantia non utuntur? Unum erit profecto, quod si, qui bene dicunt, afferunt proprium: compositam orationem, & ornata, & artificio quodam & expolitione distinctam. Hæc autem oratio, si res non subest ab oratore percepta & cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum, sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia? Quicquid erit igitur quacumque ex arte, quocumque de genere, id orator, si, tanquam clientis causam, didicerit, dicet melius, & ornatus, quam ille ipse ejus rei inventor, atque artifex.

Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, & certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam; fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem: sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quæ isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit, maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revo-

a *Arte* ] *Grat. in arte aliena*

candis? <sup>b</sup> Quare nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit; dicendo, quod volet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum putatur proprius: neque orator, me auctore, unquam repugnabit: sed, cum illis cognitionem rerum conceperit, quod in ea solum illi voluerint elaborare; tractationem orationis, quæ sine illa scientia nulla est, sibi assumet. Hoc enim est proprium oratoris, quod sæpe jam dixi, oratio gravis, & ornata, & hominum sensibus, ac mentibus accomodata.

XIII. Quibus de rebus Aristotelem, & Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scævola, totum sit a me. Nam ego, quæ sunt oratori cum illis communia, non muror ab illis: isti quæ de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque cæteros libros, artis isti suæ nomine, hos Rhetoricos & inscribunt, & appellant. Etenim cum illi in dicendo inciderint loci (quod sæpe evenit) ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria; nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, differant, cum concessero, illud tamen oratori tribuam, & dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam, exanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate & jucunditate explicet. Hæc ego cum ipsis philosophis tum Athenis disserebam. Cogebat enim me M. Marcellus <sup>34</sup> hic noster, qui nunc ædilis curulis est: & profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset: ac jam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus.

Jam vero de legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vestigalibus, de jure civium generatim in ordines,

Tom. I.

T

ata-

<sup>b</sup> *Quare nisi* ] *Viñ. Man. Gru. que nisi*     <sup>34</sup> *M. Marcellus* ] *Quem Cicero servatum a Cæsare post bella civilia gratulatus est insigni oratione. Præstent.*

etateque descripto<sup>25</sup>, dicant vel Græci, si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quanquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius, quam Hyperidem aut Demosthenem, perfectos jam homines in dicendo, & perpolitos: vel<sup>26</sup> nostri, decemviros, qui XII tabulas<sup>27</sup> perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponan in hoc genere & Ser. Galbæ, & Socero tuo C. Lælio, quos constat dicendi gloria præstitisse. Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis, atque tractandis studium suum omne posuerunt: sed oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie, copioseque dicere.

XIV. Etenim sæpe in iis causis, quas omnes proprias esse oratorum considentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus conceditis, sed ex obscurore aliqua scientia sit promendum, & assumendum. Quæro enim, num possit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici sine rei militaris usu, aut sæpe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia? num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis, num in senatu de omni reipublica genere dici sine summa rerum civilium cognitione, & prudentia? num admoveri possit oratio ad sensus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam extinguendos, (quod unum in oratore dominatur) sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur?

Atque haud scio an minus hoc vobis sim probaturus; equidem non dubitabo, quod sentio, dicere. Physica ista ipsa quæ paulo ante, & mathematica, & cæterarum artium propria posuisti, scientiæ sunt eorum, qui illa profitentur: illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris

<sup>25</sup> Descripto ] Lamb. legit, descriptorum, id est, civium: non enim *scip*, sed *orator* in ordinis etateque describentur. *Perceptor*.

<sup>26</sup> Nostri ] V. G. Grut. nostros decemviros  
<sup>27</sup> Decemviros, qui XII. tabulas, &c. ] Sublati regum decretis, & populo per viginti annos nullis legibus affecto, constituti sunt anno U. C. CCCIV. decemviri, qui Græcis leges peterent, quas acceptas tabulis decem aereis inscripserunt. Cum autem in primis legibus aliquid desiderarentur, anno sequenti alius duas adiecerunt tabulas: unde & dictæ sunt leges XII. tabularum. *Prætor*.

ris ei confugiendum est facultatem. Neque enim, si Philonem<sup>27</sup> illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est architecti potius artificio disertum, quam oratoris, fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio, copioseque dixisset. Neque vero Aesclepiades<sup>28</sup> is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, cum eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ. Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. Illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat; neque, si id optime sciat, ignarusque sit faciundæ ac poliendæ orationis, diserte id ipsum posse, de quo sciat, dicere.

XV. Quamobrem si quis universam, & propriam oratoris vim desumere complexique vult; is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quæcumque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter, & compositè, & ornate, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.

Sin cuiuspiam nimis infinitum videtur, quod ita proposui, quæcumque de re, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat, atque amputet: tamen illud tenebo, si, quæ cæteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quæ sint in disceptationibus, aut in usu forensi; tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, cum cognoverit ab iis, qui tenent, quæ sint in quaque re; multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum ex sunt artes, esse dicturum. Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpicio,

T 2

<sup>27</sup> Philonem ] De Philone architecto Plinius, XII. 37. Vide etiam, & de Hermodoro, Turnebi Advers. XI. 2.

<sup>28</sup> Aesclepiades ] Patria Præfensis, primum rhetoricæ, deinde præficus inopia, medicinæ operam dedit. Tantum arti suæ fidebat, ut ipsorum tantam cum fortuna fecisset,

ne medicus crederetur, si inquam invalidus fuisset ipse, & victor supra in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Cæsar & Pompeio familiaris, eorum ætate floruit circa annum U. C. DCL. Plinius lib. VII. *Præfensis*.

quaret a C. Mario <sup>29</sup> affini nostro, & cum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipsi C. Mario pene hic melius, quam ipse \* ille scire videatur. Sin de iure civili; tecum communicabit, teque hominem prudentissimum, & peritissimum, in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit. Sin quæ res incident, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit: forsitan, si ei sit visum (etsi hæc quidem nosse debet orator) cum Sex. Pompejo, erudito homine in philosophia, communicabit. Hoc profecto efficit, ut quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit. Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores; duo illa relinquamus, idque largiamur inertia nostræ: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita & moribus totus est oratori perdiscendus: cætera si non didicerit, tamen poterit, si quando volet, ornando, cum erunt ad eum delata, & ei tradita.

XVI. Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologia, ornatissimis, atque optimis verbis, Aratum, de celo, stellisque dixisse: si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poetica quadam facultate, non rustica, scripisse præclare: quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam, tempusque cognorit? Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, mul-

<sup>29</sup> C. Mario ] Hic ille est C. Marius, celebris Romanorum imperator, in bello bo-  
*hibus, in quo civibus iussu sumis, quicquidque*  
*impariter, ut refert Paternus, quem*  
 humili loco natum ad augustissimos reip. ma-  
 gistratus singularis virtus evertit. Apud Sal-  
 lustium dum loquitur, artis oratoris imperi-  
 ritum se dicit; & a Plutarcho reprehendi-  
 tur, quod literas Græcæ contempserit. Inop-  
 tiam eloquentie compendavit fortitudo. Con-  
 fecit bellum Jugurthinum: Teutones & An-

brones, Germanie populos, interfectis mil-  
 libus docentis, & paulo post Cimbrorum ingenti  
 strage delevit. Cum provinciam belli  
 Mithridatici suscipere contenderet, a Sylla,  
 suo quondam legato, expulsum ex urbe, in  
 quam paulo post irrupit, & Syllanis omni-  
 bus obtinuit, septimanæ consul reuocatus  
 in magistratu obiit anno U. C.  
 DCLXVIII. Præterea,

\* Quam ipse ille scire ] Quam ipse, illa  
 scire. Pærcius.

multis vero ornandi generibus socius, ac pene par: in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscibat, aut definiat jus suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari, qua velit.

Namque illud quare, Scævola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses; quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere? Nunquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer. Sed, ut solebat C. Lucilius sæpe dicere, (homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat, familiaris, sed tamen & doctus & perurbanus) sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quæ sunt libero dignæ, perpolitus: quibus ipsis, si in dicendo non utimur, tamen apparet, atque exstat, utrum simus earum rudis, an didicerimus. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus, didicerintne palæstram, an nesciant: & qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utram sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hæc ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiam si propriæ cæteræ non adhibentur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenus artibus instructus accesserit.

XVII. Tum ridens Scævola, Non luctabor, inquit, tecum; Crasse, amplius: id enim ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut & mihi, quæ ego vellem non esse oratoris, concederes; & ea ipsa, nescio quomodo, rursus detorqueres, atque oratori propria traderes. Hæc, cum ego prætor Rhodum venissem, & cum summo illo doctore istius disciplinæ Apollonio, ea, quæ a Panætio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam, atque contempsit, multaque non tam graviter dixit, quam facete. Tua autem fuit oratio ejusmodi, non ut ullam artem, doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites

mites ac ministras oratoris esse dices. Quas ego, si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas facultatem istam ornatissimam orationis adjunxerit; non possum dicere, cum non egregium quendam hominem, atque admirandum fore. Sed is, si quis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto, qui & meo iudicio, & omnium, vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Verum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus, civilibusque versetur, quin scias; neque eam tamen scientiam, quam adjungis oratori, complexus es; videamus, ne plus ei tribuas, quam res & veritas ipsa concedat.

Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea, sed de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus, qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum venimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in republica, quos in amicorum negotiis res ipsa ante confecit, quam possemus aliquid de rebus tantis suspicari? Quod si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiam ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe, & otium, & hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit: quid censes, si ad alicujus ingenium vel majus illa, quae ego non attingi, accesserint? qualem illum, & quantum oratorem futurum?

XVIII. Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quae dicis: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem, naturamque comprehenderit. Sed primum id difficile est factu, praesertim in hac nostra vita, nostrisque occupationibus: deinde illud etiam verendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione, & consuetudine dicendi populari, & forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paulo ante dixisti, quamvis illi ornate, & graviter aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est verborum, & laetum, sed palaestrae magis, & olei, quam hujus civilis turbae, ac fori.

fori. Namque egomet, qui sero, ac leviter Graecas literas attigissem, tamen cum proconsul in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus: sed, cum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, eumque hoc, nescio quomodo, apud eos increbuisset, me in causis majoribus, sicuti te, solere versari; pro se quisque ut poterat, de officio & ratione oratoris disputabat. Horum alii, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocarem, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios lingua celeri & exercitata: oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem: atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quandam esse virtutem, &, qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque ipsas esse inter se aequales & pares. Ita, qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam, & exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. Charmadas vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur: non quo aperiret sententiam suam, (hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando) sed tum maxime tamen hoc significabat, eos, qui Rhetores nominarentur, & qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.

XIX. Disputabant contra disertis homines, Athenienses, & in republica causisque versati, in quibus erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus: qui cum diceret esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus consultuendarum, & regendarum rerum publicarum, excitabatur<sup>30</sup> homo promptus ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum atque copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophia doce-

<sup>30</sup> Excitabatur. Hotomanius conjecit le- rat Menedemus (homo promptus, utpote genum esse, excitabatur: sed vulgata lectio defendi potest. Sensus est enim: Homo abundans doctrina, (nempe Charmadas philosophus) ita respondebat illi, quae dixerat Menedemus (homo promptus, utpote disertis orator) ut Menedemum excitaret, & ad suam opinionem defendendam accerret. Idem.

docebat, neque ea, quæ staterentur in republica de diis immortalibus, de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, cæteraque, siue quibus civitates aut esse, aut bene morata esse non possent, usquam in eorum libris inveniri.

Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur; quærebat, cur de proœmiis, & de epilogis, & de huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri: de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de æquitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inveniretur.

Ipsa vero præcepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modo eos illius expertes esse prudentiæ, quam sibi asciscerent, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut & ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur; id fieri vitæ dignitate, de qua nihil rhetorici isti doctores in præceptis suis reliquissent: & uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator; quod item fieri nullo modo posse, nisi cognosceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quamque partem moverentur. Hæc autem esse penitus in mediâ philosophia retrusa, atque abdita, quæ isti rhetores ne primoribus quidem labris attingissent.

Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis, conabatur refellere. Memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis præclare scripta pronuncians, docebat, illum in animis vel iudicium, vel populi, in omnem partem dicendo promovendis, non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur, quæ negaret ille sine philosophia quemquam scire posse.

XX. Huic respondebat <sup>31</sup> non se negare, Demosthenem summam prudentiam, summamque vim habuisse dicendi: sed siue ille hoc ingenio potuisset, siue, id quod constaret, Platonis

<sup>31</sup> Huic respondebat ] Charmadas Menedemo.

tonis studiosus audiendi fuisset; non, quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse querendum.

Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino disputaret, nullam artem esse dicendi. Idque cum argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut & blandiri suppliciter iis, a quibus esset petendum, & adversarios minaciter terrere possemus, & rem gestam exponere, & id, quod intenderemus confirmare, & id, quod contra diceretur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri; quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas: & quod consuetudo, exercitatioque & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. Nam primum, quasi dedita opera, neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, cum peteret usque a Corace nescio quo, & Tisa, quos artis illius inventores & principes fuisse constaret: eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino fuisse curassent, innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam (siue ille irridens, siue quod ita putaret, atque ita audisset) me in illo numero, qui illa non didicissem, & tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum ego illi alterum facile assentiebar, nihil me didicisse: in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipsum errare arbitrabar.

Artem vero negabat esse ullam, nisi quæ cognitis, penitusque perspectis, & in unum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. Hæc autem omnia, quæ tractarentur ab oratoribus, dubia esse & incerta: cum & dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, & audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa, aut certe obscura opinio.

Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi qui illa, quæ a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur, cognosset, aut callide aut copiose dicere. Quibus dicere <sup>32</sup>

Tom. I.

V

Char-

<sup>32</sup> Quibus dicere ] Vultus hic video, redit, quibus assicere... solebat: quod est medium non ita. Muretus. Lambinus edidit. conjectantur Hotomani. Grut.

Charmadas solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans, me tibi perfacilem in audiendo<sup>33</sup>, te perpugnantem in disputando esse visum.

XXI. Tumque ego hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente, & invito<sup>34</sup> excidit, & pervenit in manus hominum, *disertos* me cognosse nonnullos, *eloquentem* adhuc neminem: quod eum staretbam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem vero, qui mirabilis, & magnificentius augere posset, atque ornare quae vellet, omnesque omnium rerum quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad discendum ingressi sumus, obruiamur ambitione & foro; sit tamen in re positum, atque natura. Ego enim, quantum augur conjectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore<sup>35</sup> aliquem aliquando, qui & studio acriore, quam nos sumus, atque suimus, & otio ac facultate discendi majore, ac maturiore, & labore atque industria superiore, cum se ad audiendum, legendum, scribendumque majore opera dederit, existat talis orator, qualem quaerimus: qui jure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit: qui tamen, mea sententia, aut hic est jam Crassus, aut, si quis pari fuerit ingenio, pluraque quam hic, & audierit, & lectionarum, & scripserit, paulum huic aliquid poterit addere.

Hoc loco Sulpicius, Insuperanti mihi, inquit, & Cottae, sed valde optanti utrique nostrum, cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus jucundum satis fore videbatur, si, cum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum

<sup>33</sup> *Perfacilem in audiendo* ] Nam cum rudem artium omnium se diceret Antonius, non erat cur de artibus cum hominibus doctissimis atque pugnantibus atque Crassus, qui se multa didicisse fatebatur, contenderet. *Suetonius.*

<sup>34</sup> *Me imprudente, & invito* ] M. Anto-

nus idcirco se eiebat nullam orationum scripsisse, ut, si quis superiore iudicio actum, et quem postea defensusus esset, nocentem foret, non dicitur a se affirmare posse. Valt. Maximus lib. vii. c. 3. *Prætorius.*

<sup>35</sup> *Aliquem* ] De se ipso id ex Antonii persona videtur Cicero prædicere.

gnum excipere possemus: ut vero penitus in eam ipsam totius hujus vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem pene intimam perveniretis, vix optandum nobis videbatur. Ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrum, Crassi vero etiam amore, cum ab eo nunquam discederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de vi ac ratione dicendi<sup>36</sup>, cum & per meipsum egissem, & per Drusum saepe tentassem: quo in genere tu, Antoni, (vere loquar) nunquam mihi percontanti, aut quaerenti aliquid, defuisti, & persæpe me, quae soleres in dicendo observare, docuisti. Nunc quoniam uterque vestrum patefecit earum rerum ipsarum aditum, quas quaerimus, & quoniam princeps Crassus ejus sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quae sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini. Quod quidem si erit a vobis imperatum, magnam habeo, Crasse, huic palaestrae & Tusculano tuo gratiam, & longe Academiae illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium antepo nam.

XXII. Tum ille, Immo vero, inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui & potest facere id, quod requiris, & consuevit, ut te audio dicere. Nam fateor me quidem semper a genere hoc toto sermonis refugisse, & tibi cupienti atque instanti sapissime negasse, ut tute paulo ante dixisti. Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo, atque optimo non obsequi vellem, praesertim cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumque cognossem; sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur, incertia.

Tum Cotta, Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assecuti sumus: de reliquo jam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia,

V 2

quae

<sup>36</sup> *De vi ac ratione dicendi* ] Malim cum Gullelmio legere de via, ac ratione: facillime ultima littera vocis via a sequentis vocis ac prima littera aborberi potuit. Manus omnia edidit via, & sic Cicero sagittissime.

L. i. c. 25. Non rationem dicendi & viam, sed naturam desuisse. L. 3. c. 36. Accipites viam, rationisque disputandi. Facile plura exempla proferri possunt. *Pearcius.*

quæ percontati erimus, explicaris, dimiserimus. De his, credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet <sup>37</sup> *Quibus sciam, poteroque*. Tum ille, Namque quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire, aut posse postulet? Jam vero ista conditione, dum mihi liceat negare posse quod non potero, & fateri nescire quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitrato percontemini.

Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quarimus: existimesne artem aliquam esse dicendi. Quid mihi nunc vos, inquit Crassus, tanquam alicui Græculo otioso & loquaci, & fortasse docto atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitrato loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse, aut cogitasse arbitramini, & non semper irrillisse potius eorum hominum impudentiam, qui cum in schola assedissent, ex magna hominum frequentia dicere juberent, si quis quid quaereret? Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam: qui permagnum quiddam suscipere, ac profiteri videbatur, cum se ad omnia,

<sup>37</sup> Ut in cretionibus scribi solet. ] Cum in illis libris manuscriptis reperissem scriptum, cretionibus, in aliis, Crassi orationibus, in aliis, cretionibus: ego cretionibus repositus, præsertim cum meminissim jam pridem hæc a Er. Daureno esse emendatam. Est autem cretio, ut docet Ulpianus, Titul. 22. l. 1. de Varro 5. de ling. Lat. 13. ad Attic. 44. certorum dierum spatium, quod datur heredi ad deliberandum, utrum expellat adire hereditatem, necne: veluti Titius heres esto, certioque hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit, poteroque, nisi ita creverit, exheres esto. Lambio. Est autem cretio, non modo constituitur se heredem esse (ut Varro 6. ling. Lat. explicat) verum etiam legitima cretionis verba dicere, hunc in modum: Cum me Manius heredem instituerit, eam hereditatem cretio Adeoque Ulp. 32. Cretio duplex: vulgaris, in qua adiciebantur hæc verba, quibus sciam, poteroque: continua, in qua non adiciebantur. Ulp. tit. 23. Unde his verbis, quibus sciam, poteroque, tempus bonorum possidetis admittendæ utilis, nec continuum ostenditur l. 2. ff. Quis ordo in bonorum 2. ff. Getho-

fredus. Vera lectio fuit, conditionibus. Quod enim ad cretionem formula hæc: De his rebus quibus sciam, poteroque? Quæ ipsa in conditionibus aptissima est. Et verbum, conditionis, etiam juridicum est: quod indicat caput illud Juris, De conditionibus & de qua siationibus. Et lectionem priorem, quam Lambinus eiecit, tuetur verbum conditionis, quo mox nititur Crassus. Jam vero, inquit, ista conditione, dum mihi liceat negare posse quod non potero, & fateri nescire, quod nesciam, licet vestro arbitrato percontemini. Et sane que hæc assertio Lambinus de cretionibus hereditariam, scilicet heredi crendam esse hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit, poteroque, non valde hæc pertinet. Neque enim, postquam sciverit quis crendam esse hereditatem, angustius datur temporis, possit, necne possit. Præterea non idem est scire in herede, & scire hic in Crasso. Nam in herede scire est rescire, certioque fieri: at hic Crassus: De his rebus, inquit, quibus sciam, poteroque: id est, de his, que ego intelligam. Anagnur.

omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea vero vulgo hoc facere cœperunt, hodieque faciunt: ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua se non omnia, quæ dici possunt, profiteantur esse dicturos.

Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, addaxissem huc Græcum aliquem, qui vos istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factum est. Est enim apud M. Pisonem, adolescentem jam huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostrique cupidissimum, peripateticus Staleas, homo nobis sane familiaris, &, ut inter homines peritos constare video, in illo suo genere omnium princeps.

XXIII. Quem tu mihi, inquit Mucius, Staleam, quem peripateticum naras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse: qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, & in hoc domicilio imperii & gloriæ, sit consilio linguaque princeps: cujus vestigia persequi cupiunt, ejus sententiam sciscitantur. Equidem te cum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi nunquam eloquentiæ majorem tribui laudem, quam humanitatis: qua nunc te uti vel maxime decet, neque defigere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii adolescententes cupiunt accedere.

Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scævola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertinemem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia posita. Nam si ars ita definitur, ut paulo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus se junctis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio se junctis, scientiæque comprehensis; non mihi

<sup>a</sup> Vos ] Viri. Man. Græc. nos. <sup>b</sup> Persequi ] Viri. qui persequi

videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, & ad vulgarem popularemque sensum accommodata, omnia genera hujus forensis nostrae dictionis. Sin autem ea, quae observata sunt in usu ac ratione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt, (id quod fieri potuisse video) non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed siue est ars, siue artis quaedam similitudo, non est quidem ea negligenda: verum intelligendum est, alia quaedam ad sequendam eloquentiam esse majora.

XXIV. Tum Antonius vehementer se assentiri Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent; neque rursus eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus, quam ipsam artem, posse prodesse.

Dicam equidem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis; quanquam moderabor ipse; ne, ut quidam magister, atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo medicioris, neque omnino rudis, videar non ipse aliquid a me promississe, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.

Equi-

38 *Aliquid a me promississe* ] Annon & qui sponte, & qui invito loquuntur, omnia a se promissa? an vero a se promittere significat sponte promere? haec significatio positionis a cum verbo promissio nullibi mihi occurrit. Vide Igitur, Lector, annon editio Ven. & Mss. Nori. Mag. Mead. Harl. 1. Cant. Bal. Wag. Nov. & Joan. vetulissimus suggerant verissimam lectionem, *promississe*; quibus si fides adhibenda sit, sic locum retingas. *Non ipse aliquid a me promississe, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Litera e & a in Mss. saepe confunduntur, & litera d vocis de facile absorbetur potuit a litera postrema praecedentis vocis aliquid. Eodem modo loquitur Horatius Serm. l. 1. Sat. 4.

*Ut si quid promittere de me*

*Possunt aliud vere, promittere.*

Porro haec lectio optime quadrat iis, quae supra dicta sunt: innuit enim Crassus se nolle imitari Graecos, quos in praecedenti capite arguit impudentes, quod nulla erat res de qua non se omnia, quae dici possent, profiterentur, esse dicturos: id est, promittebant se omnibus quaestiuiculis responsuros esse. Crassus igitur istis Graecis magistris, atque artificibus dicendi opponit se, quem vocat unum e togatorum numero, atque ex forensi usu hominem. Ut illi, inquit Crassus, artifices sunt, & magistris dicendi, ego vero tantum, quantum mihi opus est, didici; sic illi de se omnia promittunt, ego vero nunquam sponte, nunquam, nisi fortuito, in hujusmodi disputationes venio.

Equidem, cum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere a me Scavolam, cum ei ita dicerem, Me vel esse ineptum. Id erat petere blandius: quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse hominem unum ex omnibus, quo praesente ego ineptus esse minime vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum testem & spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, cum idipsum, dicere, nunquam sit non ineptum, nisi cum est necessarium?

Perge vero, Crasse, inquit Mucius. Istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo.

XXV. Sic igitur sentio, inquit Crassus, naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero istis, de quibus paulo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi & viam, sed naturam desuisse. Nam & animi, atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui & ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. Et si quis est, qui haec putet arte accipi posse, quod falsum est, (praeclare enim se res habeat, si haec accendi, aut commoveri arte possint: inferi quidem, & donari ab arte non possunt omnia; sunt enim illa dona naturae) quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam, & figura totius oris, & corporis? Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit: neque enim ignoro, & quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, & quae non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi posse: sed sunt quidam aut ita lingua haestantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu, motuque corporis vasti, atque agrestes, ut, etiam si ingeniiis, atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita natu-

39 *Solebam in prensando* ] Id paulo supra explicat Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. *Consuevit petere L. Crassus, cum omnium candidatorum more circum foras supplex paulo ire cogitur, nunquam adduci potuit, ut id praesente Q. Scavola, gravissimo & sapientissimo viro, scroto suo, faceret.* Itaque roga-

*bat eum, ut a se, dum inepta rei deserviret, discederet: maiorem concordiam dignitatis eius; quoniam candida rogo sua respectum agerit.* Præterea.

*a Ita natura* ] Lamb. *ita in istis rebus habiles; ita natura muneri ornati*



natura muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur.

Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere, atque profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius, atque acrius vitia in dicente, quam recta videat. Ita, quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda sunt, obruit. Neque hæc in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videat, C. Cælio, æquali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcumque assequi poterit, in dicendo mediocritatem? <sup>b</sup> Quis vestrum æqualem, Q. Varium <sup>c</sup>, vastum hominem, atque scædum, non intellegit illa ipsa facultate, quamcumque habuit, magnam esse in civitate gratiam consecutum?

XXVI. Sed quia de oratore quærimus, fingendus est nobis oratione nostra, detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude cumulatus. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si hæc turba, & barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quærimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quæritur necessaria, sed animi libera quedam oblectatio, quam diligenter, & quam prope fastidiose judicamus? Nullæ enim lites, neque controversiæ sunt, quæ cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.

Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciatur, quibus necesse est: sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Ac, si quæritis, plane, quid

<sup>b</sup> Quis vestrum? VIÆ. Lamb. Græc. Quis vestrum æqualem meum, & Q. Varium æqualem Q. Varium Sec. Lapsi sunt iterum plerique librarii, & editores: Mss. tamen Bod. Harl. 2. & Gonv. & Manutius veram lectionem retinent; delectant enim vocem meum, que vulgo legitur post æqualem. Et Car. Stephanus testatur vocem meum a quibusdam veteribus libris

abesse. Veram autem hanc lectionem voco, quia Q. Varius non fuit æqualis Crassi, sed Cottæ, & Sulpicii, ut patet ex libro de Cl. Oratoribus c. 49. Equales propensum fuerunt C. Cottæ, P. Sulpicii, Q. Varii, &c. Porro si rejiciatur meum, non inelegans est antithesis: Crassus enim duo exempla profert, C. Cælium æqualem suum, & Q. Varium Cottæ ac Sulpicii æqualem, Per-

quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui, & tacendum putavi. Mihi etiam quique optime dicunt, quique id facillime, atque ornatisime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes videntur: tamen <sup>a</sup> id accidere non potest. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, varioque eventus orationis, expectationemque hominum pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere, is mihi, etiam si commovetur in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. Quem vero non pudet, (id quod in plerisque video) hunc ego non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto. Equidem & in vobis animadvertere soleo, & in me ipso sæpissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, & tota mente atque omnibus artibus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit.

Hic omnes assensu, significare inter sese, & colloqui cœperunt. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

XXVII. Tum Antonius, Sæpe, ut dicis, inquit, animadverti; Crasse, & te, & ceteros summos oratores, quanquam tibi par, mea sententia, nemo unquam fuit, in dicendi exordio permoveri. Cujus quidem rei cum causam quærerem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas: Unam, quod intelligerent iis, quos usus ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere: ita non injuria, quotiescumque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret,

Tom. I. X time-

<sup>a</sup> id accidere? Man. id non accidere non potest.

timere. Altera est hæc, de qua queri sæpe soleo: cæterarum homines artium spectati, & probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi, id quod scirent, putantur. Noluit, inquit, hodie agere Roscius; aut, Crudior fuit. Oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitia peccatum videtur. Stultitia autem exculpationem non habet: quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur: & qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum: cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut æterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

XXVIII. Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quæ orator, nisi a natura haberet, non multum a magistro adjuvaretur; valde tibi assentior, inque eo vel maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui cum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos iudicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque; & ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. Satis est enim cæteris artificibus percipiendis, tantummodo similem esse hominis; & id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si quis forte sit tardior, posse percipere animo, & memoria custodire. Non queritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum, non denique ea, quæ nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiæ philosophorum, verba prope poetarum, memoria jurisconsultorum, vox tragediorum, gestus pene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfectio oratore inveniri potest. Quæ enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea, nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.

Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui.

nui, & levi, quanto plus adhibeatur diligentia, quam in hac re, quam constat esse maximam. Sæpe enim soleo audire Roscium, cum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam id, in quo aliquid offenderis.

Itaque ut ad hanc similitudinem huius histronis, oratoriam laudem dirigamus; videtisne, quam nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat? nihil nisi ita, ut deceat, & uti omnes moveat, atque delectet? Itaque hoc jamdiu est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Hanc ego abolitionem, perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter. Mihi enim volo ignosci; cæteris ipse non ignosco. Nam qui non potest, qui vitiose facit, quem denique non deceat, hunc (ut Apollonius iubeat) ad id, quod facere possit, detrudendum puto.

XXIX. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottam, jus civile, aut rem militarem jubes discere? nam quis ad ista summa, atque in omni genere perfecta potest pervenire? Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quandam, ac præclaram indolem ad dicendum esse cognovi, idcirco hæc exposui omnia: nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possentis, exacuendos accommodavi orationem meam: & quanquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perpexi, tamen hæc, quæ sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quam solent Græci dicere, in te, Sulpici, divina sunt. Ego enim neminem, nec motu corporis, neque ipsa habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorum, aut suaviorem mihi videor audisse: quæ quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quæ habeant, modice & scienter utantur, & ut ne dedeant. Id enim est maxime vitandum, & de hoc uno minime est facile præcipere,

pere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio, quem sæpe audio dicere, caput esse artis, DECERE: quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. Sed, si placet, sermonem alio transferamus, & nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur.

Minime vero, inquit Cotta. Nunc enim te jam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes. Neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus; idque ex te quarimus, (ut ne plus nos assequamur, quam quantum tu in dicendo assecutus es) quoniam, quæ a natura experenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid præterea esse assumendum putes?

XXX. Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium, & ardorem quandam amoris? sine quo cum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos: quos, cum mihi quoque fitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profecto studia nihil profunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat, deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantumcumque est, facultate quaritis, exponam vobis quandam, non aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem consuetudinis meæ, qua quondam solitus sum uti, cum mihi in isto studio versari adolescenti licebat.

Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque precibus unquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret, meditandi, aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex ejus scriptore, & lectore Diphilo suspicari liceret; id spero nos esse adeptos, omniaque jam ex ipso, quæ diu cupimus, cognituros.

XXXI. Tum

XXXI. Tum Crassus, Atqui arbitror, Sulpici, cum audieris, non tam te hæc admiraturum, quæ dixerò, quam existimaturum, tum, cum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principio illud, quod est homine ingenio, liberaliterque educato dignum, non negabo me ista omnium communia & contrita præcepta didicisse.

Primum, oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate. Deinde esse omnem orationem aut de infinitæ rei questione, sine designatione personarum, & temporum; aut de re certis in personis, ac temporibus locata. In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quæri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. Existere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptum dissideat: his autem omnibus partibus subjecta quedam esse argumenta propria. Sed causarum, quæ sint a communi questione sejunctæ, partim in judiciis versari, partim in deliberationibus: esse etiam genus tertium, quod in laudandis, aut vituperandis hominibus poneretur: certosque esse locos, quibus in judiciis uteremur, in quibus æquitas quæritur: alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur. Cumque esset omnis oratoris vis, ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam, atque judicio dispensare, atque disponere; tum ea denique vestire, atque ornare oratione; post memoria sepire; ad extremum agere cum dignitate & venustate. Etiam illa cognoram, & acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent: deinde rem demonstrandam: postea controversiam constituendam: tum id, quod nos intendere-

mus,

mus, confirmandum: post, quæ contra dicerentur, resellenda: extrema autem oratione ea, quæ pro nobis essent, amplificanda & augenda; quæque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

XXXII. Audieram etiam, quæ de orationis ipsius ornamentis traderentur; in qua præcipitur primum, ut pure, & Latine loquamur: deinde ut plane & dilucide: tum ut ornate: post ad rerum dignitatem apte, & quasi decore: singularumque rerum præcepta cognoram.

Quin etiam, quæ maxime propria essent naturæ, tamen his ipsis artem adhiberi videram. Nam de actione, & de memoria quædam brevia, sed magna cum exercitatione præcepta gustaram. In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur, quam ego si nihil dicam adjuvare, mentiar. Habet enim quædam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, & quo intuens, ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberrer.

Verum ego hanc vim intelligo esse in præceptis omnibus, non ut ea secuti oratores, eloquentiæ laudem sint adepti, sed, quæ sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque \* id egisse: sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum; quod tamen, ut ante dixi, non ejicio. Est enim, etiam si minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale.

Ea exercitatio quædam suscipienda vobis est: quanquam vos quidem jam pridem estis in cursu: sed iis, qui ingrediuntur in stadium, quique ea, quæ agenda sunt in foro, tanquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra prædiscere, ac meditari.

Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus: at tamen ista, quæ abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus, quanquam sunt nobis quoque non inaudita. Verum illa mox: nunc de ipsa exercitatione quid sentias, quærimus.

XXXIII. Equidem probo ista, Crassus inquit, quæ vos facere soletis, ut, causa aliqua posita consimili causarum earum,

\* Id egisse ] Man. atque sologisse. Lamb. atque in artem redogisse.

rum, quæ in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate. Sed plerique in hoc vocem modo, neque tam scienter, & vires exercent suas, & linguæ celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur: in quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur, *perverse dicere, homines, perverse dicendo, facillime consequi*. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito sæpe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius, atque accuratius dicere. Caput autem est, quod (ut vere dicam) minime facimus, (est enim magni laboris; quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. *Stylus optimus, & præstantissimus dicendi effector, ac magister*: neque injuria: nam si subitam & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua, ac diligens scriptura superabit.

Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cujusdam atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, acquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se & occurrunt; omnesque sententiæ, verbaque omnia, quæ sunt cujusque generis maxime illustra, sub acumen styli subeant, & succedant necesse est: tum ipsa collocatio, conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam oratorio numero, & modo. Hæc sunt, quæ clamores, & admirationes in bonis oratoribus efficiunt; neque ea quisquam, nisi diu, multumque scriptitarit, etiam si vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: & qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discet.

At Stylus ] Proprie significat graphium, hoc est, acum ferream, qua Romani veteres, cum in obdolis cera tabulis scriberent, utebantur ad formandas in cera lineas. Hic stylus sumitur pro exercitatione scribendi frequenter, & per otium. Valgo stylus est ipse modus & ratio scribendi,

seu conformatio certa sententiarum & verborum in oratione: quomodo Ciceronianus, Virgilianusque stylus dicitur. Interdum etiam accipitur pro reprehensione, quo sensu Tullius ait, censorium stylum perimisce te. Præstant.

difcesserit, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt<sup>42</sup>, retinet tamen ipsa navis motum, & cursum suum, intermisso impetu, pulsusque remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine & vi concitata.

XXXIV. In quotidianis autem \* commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut aut verbis propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiaarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset, aut Ennius, si ad ejus verbum me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuecerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis hoc assequerbar, ut, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quadam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea. Jam vocis, & spiritus, & totius corporis, & ipsius linguae motus, & exercitationes, non tam artis indigent, quam laboris: quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes

<sup>42</sup> Cum remiges inhibuerunt ] Lamb. notavit legendum *sustinuerunt*; non, ut vulgo, *inhibuerunt*. Lambini lectionem probat, causaeque, quas ille omisit, insuper affert. Cicero hos Oratorios Libros prius, quam Academicas Quaestiones scripsit: ex libro autem 13. Ep. ad Att. ep. 21. colligere possumus ipsum in istis Acad. Libris, qui nunc defant, monitus Attici scripsisse *inhibere remos*, pro *sustinere*: postea vero observatis nautarum formulis, jubet Atticum

legere *sustinere*. Dicit enim: *inhibere remos motum habet, & sustinetur qui dem, remigatiois, navium convertentis ad puppim*. Quod igitur de illo in Acad. Quaes. loco Cicero dicit, de hoc ipso loco, quem expendimus, dicendum est: hic enim caremus voce, quae significet cursum navis esse tardatum: ipsius igitur Ciceronis monitus, *sustinuerunt*, recipienda est. *Peccat.* \* Commentationibus ] Vult. Grut. cogitationibus. Lamb. *concentrationibus*.

miles velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis & nostris scriptis, & alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum<sup>43</sup> simularumque rationem, quae in arte traditur. Educenda deinde discio est ex hac domestica exercitatione, & umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque aciem forensis. Subeundus usus omnium, & periclitanda vires ingenii; & illa commentatio inclusa, in veritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poetae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & pervolutandi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, & quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum. Perdiscendum jus civile, cognoscenda leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina republicae, jura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est. Libandus est etiam ex omni genere urbanitatis factiarum quidam lepos: quo, tanquam sale, perpergat omnis oratio. Effudi vobis omnia, quae sentiebam; quae fortasse, quemcumque patremfamilias arripissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.

XXXV. Hac cum Crassus dixisset, silentium est consecutum. Sed quanquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum. Tum Scavola, Quid est, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso requiratis?

Tom. I.

Y

Immo

<sup>43</sup> Locorum, simularumque rationem ] Memoria artificialis, de qua consulendus liber 3. ad Herennium, cap. 21. maxime in eo continetur, ut loca, & imagines quae certo inter se ordine collocatae res ipsis affixae facilius exhibent. Vide Fabium lib. 11. cap. 2. *Profetur*.

mus aliqua, ubi limen, cubacula, fenestrae, &c. Imagines, aliae sunt hominum & ferarum, aliae rerum animae & motu carentium, ut arborum, lapidum, &c. Quae imagines certo inter se ordine collocatae res ipsis affixae facilius exhibent. Vide Fabium lib. 11. cap. 2. *Profetur*.

Immo id mehercule, inquit, ipsum attendo. Tantus enim curfus verborum fuit, & sic evolavit oratio, ut ejus vim, atque incitationem aspexerim; vestigia, ingressumque vix viderim: & tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis & signis propalam collocatis, sed his omnibus multis, magnificisque rebus\* constructis ac reconditis: sic modo in oratione Crassi divitias, atque ornamenta ejus ingenii per quadam involuera, atque integumenta perspexi; sed ea cum contemplari cuperem, vix aspiciendi potestas fuit. Ita neque hoc possum dicere, me omnino ignorare quid possideat, neque plane nosse, ac vidisse.

Quin tu igitur facis idem, inquit Scævola, quod faceres, si in aliquam domum, plenam ornamentorum illam, venisses. Si ea seposita, ut dicis, essent, tuque valde spectandi cupidus esses; non dubitares rogare dominum, ut proferri juberet, praesertim si esset familiaris: similiter nunc petes a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transfennam\*\* praetereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, & suo quidque loco collocet.

Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scævola: me enim, & hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gravissimo, qui genus hujusmodi disputationis semper contempserit, hæc, quæ isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere. Sed tu nobis da, Scævola, & perface, ut Crassus hæc, quæ coarctavit, & peranguste referit in oratione sua, dilaret nobis, atque explicet.

Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea: neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere ejus in causis oratione delector. Nunc vero, Crasse, mea quoque etiam causa rogo, ut quoniam tantum habemus otii, quantum jamdiu

\* *Constructis* J Lamb. *construisti*, & paulo infra *construisti*.

\*\* *Quasi per transfennam* J Per cancellos fenestris oppositos, visus tanquam perstris. Metaphora ducta est a mercatoribus, qui mercibus pretiosis, quas a praetereuntes non sine contrectari, tales cancellos obijciunt. Itaque per transfennam aspiceret, illam est, quod nec proprius, nec sigillatim intueri potest.

din nobis non contingit, ne graveris exadificare id opus, quod institui. Formam enim totius negotii opinione majorem, melioremque video; quam vehementer probo.

XXXVI. Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te hæc, Scævola, desiderare, quæ neque ego teneo, uti ii, qui docent; neque sunt ejus generis, ut, si optime tenerem, digna essent ista sapientia, ac tuis auribus. An tu, inquit ille, si de istis communibus & pervagatis vix huic ætati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quæ tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerentur, de historia, de antiquitate, de administratione reipublica, denique de nostro ipso jure civili? Hanc enim ego omnem scientiam, & copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse: in oratoris vero instrumento tam lautam supellestem nunquam videram.

Potes igitur, inquit Crassus, (ut alia omittam innumera-bilia, & immensa, & ad ipsum tuum jus civile veniam) oratores putare eos, quos multas horas expectavit, cum in campum properaret, & ridens & stomachans Scævola\*\* cum Hypseus\*\*\* maxima voce, plurimis verbis a M. Crasso prætoris contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere lice-

Y 2 ret

\* *An tu* J Lambinus, *An tu?* quod & in Pal. septimo: nam Octavius, *Quin tu*.

\*\* *Scævola* J. Non ille Q. Scævola augur, Crassi socer, quo præsentem Crassus hic distulit; sed alter Q. Scævola, pontifex, jurisconsultus peritissimus, & tum, cum hoc iudicium disceptaretur, tribunus erat plebis, anno scilicet U. C. DCXLIX. *Proseus*.

\*\*\* *Hypseus* J. Causam inteream accipit Scævola pontifex in campum Martium ad comitia; iter illi per forum fuit; in eo reperit oratores duos inter se litigantes, & graviter ignorantie juris civilis peccantes. Horum uni nomen Hypseus erat, alteri Co. Octavius, qui consulatum gesserat anno U. C. DCXXVI. Hypseus accusabat aliquem tutorem, quod pupilli fortunam male administrasset. Hac *iudicium totale* appellatur. Octavius tutorem defendebat; Judex hujus

controversiæ M. Crassus, qui tum prætor urbanus erat, nempe anno U. C. DCXLVIII. Qui iudicio tutelæ damnabatur, cogebatur pupillo, eorum rebus male consulente, pecuniam solvere, ac dampnam restitueret; deinde lege duodecim tabularum jubebatur aliquid ultra pendere, multæ nomine. Quod si pupillus, aut ejus patronus plus a reo peteret, quam deberetur, cadebat causa.

Hoc petebat Hypseus, & plus petebat, quam vis alicui adeoque debebat causa habere. Contendebat, inquit L. Crassus, ut ei, quem defendebat, nempe suo pupillo, causa cadere liceret; hoc est, petebat, ut eisdem prætoris tribueretur pupillo suo major pecunie summa, quam deberetur; quod erat velle causam litari, quod plus, turris accusati defensoris imperitiam, cum deberet hoc ipso vehementer litari, quod plus, quam fas erat, peteretur; id enim si obisset

ret 47: Cn. autem Octavius, homo consularis; non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse diceret, turpi tutela iudicio, atque omni molestia, stultitia adversarii, liberaretur?

Ego vero istos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim. Atqui non desuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, sed juris civilis prudentia; quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex in XII tabulis permisisset; quod cum impetrasset, causa caderet: alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod esset in actione; neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.

XXXVII. Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, pratoris urbani, familiaris nostri, sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat 48, ut illi, unde

cisset postea, & probasset, causam obtinisset, ac reum turpenti turpi iudicio tutela male administrata, atque omni molestia, & periculo liberasset: Octavius, inquam, longa oratione recusabat, ne plus peteretur, hoc est, ne Hypseus causa caderet, atque ipse litem obtineret. *libra.*

47. *Causa cadere liceret* Ute naturam huius litis, eisque que in sequenti capite occurrunt, bene intelligamus, aucti Erasmus in Adag. Chil. 5. Cent. 2. Proo. 15. Causa cadere is videtur qui male agendo ius agendi perdidisset. *Si quis* Cuius in Iulianus lib. 4. tit. de Adm. parage. *Si quis* Ec. *agat in intentione sua plus* complexus fuerit, quam ad rem pertinet, *ret, causa cadit*, i. e. rem amittet: in proximo vero paragrapho offendit (scilicet Iulianus) vocem hanc plus quadrifariam intelligi: re, tempore, loco, & causa: re, si quis pro decem Aureis petat viginti, quale Hypseus iste fecerat; tempore, si quis ante diem vel conditionem nem petat; quod in sequenti capite patronum quendam fecisse dicit Crassus. *Petrone.*

48. *Postulabat, ut illi* Hec fuit causa. Debebat quidam alteri certam pecuniam summam, solvendam, verbi gratia, in eunte mense Januarii, alter, seu petitor non ex-

pedavit ad illud tempus, sed petiit ut sibi solveretur, verbi gratia, mense Decembri in eunte; & accusavit debitorem quod pecuniam non solveret. Causidicus imperitus, qui debitorem defendebat, cum litem inferre petitori debuisset eo nomine, quod ante tempus petitionis, vel obligationis litem intenderent id enim si fecisset, causa cecidisset petitor, hoc postulavit tantum, ut sibi liceret, ac debitori, quem defendebat, uti beneficio legis, & exceptione, que verbatim in pecunia peteretur ante illam diem, que coepit esse delinere. Quod cum postulabat, non intelligebat homo juris ignarus, comparatum hoc esse in utilitatem petitionis, & adversario suo prodesse. Hinc enim factum, ut petitor postea litem de integro intulerit, tanquam si ea res nunquam in iudicium antea venisset; quam litem inferre non potuisset, si inficiator, hoc est debitor probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam deberi cepisset. Petitor enim, cum postea pecuniam suam peteret apud iudicem, exclusus fuisset lege, hoc est impeditus ne ageret, ac moveret litem: lex enim excepit, hoc est prohibet, ne agatur iterum ea de re, que iam in iudicium venit, sed que iam diiudicata est. *Proff.*

de peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, *Cujus pecunia dies fuisset?* quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat: ut, si ille inficiator probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam esset coepit deberi, petitor, rursus cum peteret, exceptione excluderetur, *Quod ea res in iudicium antea venisset.* Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicum controversias, causasque tueatur, laborantibus succurrat, agris medeatur, afflictos excitet; hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur?

Equidem propinquum nostrum P. Crassum illum Divitem, & multis aliis in rebus elegantem hominem & ornatum, & præcipue in hoc essendum & laudandum puto, quod, cum P. Scævola frater esset, solitus est ei per se dicere, neque illum in iure civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpisset; (quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius ejus est consecutus) neque se ante causas amicorum tractare, atque agere cepisse, quam jus civile didicisset.

Quid vero ille M. Cato? nonne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa ætas in hac civitate ferre maximam potuit, & juris civilis omnium peritissimus? Verendum hac de re jamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiro: sed tamen idem hoc semper jus civile contempsit. Verum quoniam sententiæ, atque opinionis meæ voluistis esse participes, nihil occultabo; & quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

XXXVIII. Antonii incredibilis quadam, & prope singularis, & divina vis ingenii videtur, etiamsi hac scientia juris nudata sit, posse facile cæteris armis prudentiæ causas vueri, atque defendere. Quamobrem hic nobis sit exceptus: cæteros vero non dubitabo primum inertie condemnare sententiâ meâ, post etiam impudentiæ. Nam volitare in foro, herere in iure ac pratorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate

ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus<sup>49</sup>, in quibus ulucapionum<sup>50</sup>, tutelarum<sup>51</sup>, gentilitarum<sup>52</sup>, agnationum<sup>53</sup>, alluvionum, circumlutionum<sup>54</sup>, nexorum<sup>55</sup>, mancipiorum<sup>56</sup>, parietum, luminum<sup>57</sup>, fillicidiorum<sup>58</sup>, testamentorum raptorum<sup>59</sup>, aut ratorum, cæterarumque rerum innu-

<sup>49</sup> *In causis centumviralibus* Centumviri erant miliores iudices apud Romanos et singulis tribubus lecti ad exercenda privata de causis minoribus, ut plurimum, moventi iudicia. Porro erant illi centum quinque, terni scilicet ex unaquaque tribu; tribus autem erant triginta quique; atramen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt appellati. His præsidebat prætor, ut colligitur ex Plinio juniore, ex quo etiam intellegitur centumvirorum numerum ad centum oblongum excrevisse. *Idea*.

<sup>50</sup> *Ulucapionum* Ulucapio, sive ulucapio, est jus possidendi, & capiendi rem aliquam, uti usus illa fuit per certum tempus lege constitutum, eamque possidendi. *Idea*.

<sup>51</sup> *Tutelarum* Tutela a Servio Sulpicio dicitur, vis ac potestas in capite libero ad defendendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permilla. *Idea*.

<sup>52</sup> *Gentilitarum* Gentilitas est ordo & series hominum, qui sunt ex eadem familia, quique ob eam causam jura quaedam habent sua propria; verbi gratia, hereditatis adquirendæ, suscipienda tutela, &c. Hæc autem jura non obtinebant, neque gentilitate gaudebant, servi, liberti, liberati, & capite dimissum. *Cicero ad Topica*. *Idea*.

<sup>53</sup> *Agnationum* Agnati virilis sexus propinquitate juncti sunt, quibus, ut gentilibus, propria jura sunt. *Idea*.

<sup>54</sup> *Alluvionum, circumlutionum* Alluit prædium, vel agrum, fluvius, quando præter fluvium it: circumluit, quando totam insulam insula cingit. *Alluvio*, inquit Justinianus Instit. lib. 22, cap. 1, est *invenientium latera*. Per alluvionem autem id videtur adici, quod ita paulatim accipitur, ut intelligere non possit, quantum quævis incrementi temporis accipitur. Ex alluvione autem, & circumlutione, varix controversie nascuntur; verbi gratia, si vis fluminis de prædio tuo partem aliquam detraxerit, &

vicini prædio adjunxerit, causa sit ea pars: si arbores tux in vicini prædium delatae fluvio, in eo prædio radices egerint, fructum tulerint, &c. *Idea*.

<sup>55</sup> *Nexorum* Nexum, sive nexas, est obligatio civilis, quæ cum contraheretur, aliquis libram & as manum tenebat, qui vocabatur libripens. Vide Topica, cap. 5. Præterea civis ille nexos dicebatur, qui cum esset liber, pecuniamque alteri deberet, illi adhibebatur in servitutem, ut ipsi pro pecunia, quam deberet, nec posset solvere, servilem operam præstaret, dum as alimenum dissolveret. Nexus autem dicebatur, quod nesciretur, id est, compediibus, aut nervo vitæ, & clausus tenebatur. *Levius lib. viii*. Adhuc etiam vocabatur. *Idea*.

<sup>56</sup> *Mancipiorum* Mancipium, inquit L-filiorum, est quædam manus capere potest. Aliquando fuitque pro muliere servus; hic pro aliquo re, qui accipitur, aut alteri possidenda traditur, vel pro actione, qua id fit. *Idea*.

<sup>57</sup> *Parietum, luminum* De pariete communis sæpe incidit controversia; de tigno in parietem immisso, de alio pariete aut ad-juncto, aut supra communem exadificato, &c. Item de luminibus; verbi gratia, si quis altius ædificet, ac vicini luminibus officiat; si quis prospectum in sedes tuas habeat, &c. *Idea*.

<sup>58</sup> *Fillicidiorum* Fillicidium est æque pariter lapsus et cædo. Unde possunt vitæ lites de servitute fillicidii, de immittendis & recipiendis fillicidiis. *Idea*.

<sup>59</sup> *Testamentorum raptorum, aut ratorum, cæterarumque* Ita M. Bod. Bal. Mag. Barl. duo, & ad oram Nov. nicon editiones Ven. Mediol. Roberti Stephani, Manueti, & Lambini, aliorumque M. l. vero septem, raptorum, aut ratorum, a vera lectione non multum abhorrentes: horum igitur auctoritate voces, aut ratorum, inferunt. Testamentum rapto significat et testamentum, quæ, aliqua conditione interveniente, aut legibus ea illo modo fieri vetantibus, decreto Cen-

numerabilium jura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiæ. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam majores, gubernare didicisse. Tu mihi cum in circulo decipiente adversarii stipulatiuncula<sup>60</sup>; & cum obignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernavit.

Quid, si ne parvæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ, in quibus certatur de jure civili; quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia juris audet accedere? Quæ potuit igitur esse causa major, quam illius militis? de cuius morte, cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, & pater ejus, re credita, testamentum mutasset, & quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus: res delata est ad centumviros, cum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam testamento exheres filius<sup>61</sup>. Nempe in ea causa quantum est de jure civili, possente paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripserat nominatum?

## XXXIX.

tumvirum suam vim amittebant: sic Cicero in hujus libri c. 27, constat agnoscendo rum-  
pi testamentum. His autem testamentis ruptis opponitur ea, quæ vim suam obtinebant decreto Centumvirum, & quæ rara esse dicebantur. De his igitur ambobus Valerius Maximus in 7. libro tractat: in c. 7. de vestisse, id est, ruptis, & c. 8. de raris. Im-

mo exempla utriusque generis Crassus hic profert; nempe testamenti rari in proximo capite, cum M. Curtius M. Coponium causa vicit, heresque factus fuit: testamenti vero ruptis exemplum habes in hoc capite, cum miles a Centumviris obtinebat, ut patris sui testamentum rescinderetur: Valerius enim Maximo teste miles superior in causa discessit. *Peirius*.

<sup>60</sup> *Stipulatiuncula* Man. Lamb. *impudentia*.

*Stipulatiuncula* Obligatio est, quam aliquis in se recipit, cum certis verbis interrogatus respondet: Spondes? spondeo: si de jure? si de jure.

<sup>61</sup> *Testamento exheres filius* Clarissimus Lambinus auidax Scriptorum censor, sed quem non velis fuisse minus audacem, censet hæc tria verba delenda esse, *testamento exheres filius*; restatur idem ex ab uno M. l. quem vidit, abesse. Talens etiam dicit ea a nonnullis exemplaribus abesse. Utinam quidem in meis M. l. idem observarem! cum enim miles præcesserat, redimbat casus nominatus: vis: & cum in dubio fuit, utrum exheres esset miles necne, non eleganter dici potest *exheres filius*. Porro notandum est me non tam interrogatiōnis post vocem *filius* posuisse. *Peirius*.



ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus<sup>49</sup>, in quibus ulucapionum<sup>50</sup>, tutelarum<sup>51</sup>, gentilitarum<sup>52</sup>, agnationum<sup>53</sup>, alluvionum, circumlutionum<sup>54</sup>, nexorum<sup>55</sup>, mancipiorum<sup>56</sup>, parietum, luminum<sup>57</sup>, fillicidiorum<sup>58</sup>, testamentorum raptorum<sup>59</sup>, aut ratorum, cæterarumque rerum innu-

<sup>49</sup> *In causis centumviralibus* Centumviri erant miliores iudices apud Romanos et singulis tribubus lecti ad exercenda privata de causis minoribus, ut plurimum, moventi iudicia. Porro erant illi centum quinque, terni scilicet ex unaquaque tribu; tribus autem erant triginta quique; atramen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt appellati. His præsidebat prætor, ut colligitur ex Plinio juniore, ex quo etiam intellegitur centumvirorum numerum ad centum oblongum excrevisse. *Idea*.

<sup>50</sup> *Ulucapionum* Ulucapio, sive ulucapio, est jus possidendi, & capiendi rem aliquam, quæ usus illa fuit per certum tempus lege constitutum, eamque possidendi. *Idea*.

<sup>51</sup> *Tutelarum* Tutela a Servio Sulpicio dicitur, vis ac potestas in capite libero ad defendendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permittitur. *Idea*.

<sup>52</sup> *Gentilitarum* Gentilitas est ordo & series hominum, qui sunt ex eadem familia, quique ob eam causam jura quaedam habent sua propria; verbi gratia, hereditatis adquirendæ, suscipiendæ tutela, &c. Hæc autem jura non obtinebant, neque gentilitate gaudebant, servi, liberti, liberati, & capite dimissii. *Cicero ad Topica*. *Idea*.

<sup>53</sup> *Agnationum* Agnati virilis sexus propinquitate juncti sunt, quibus, ut gentilibus, propria jura sunt. *Idea*.

<sup>54</sup> *Alluvionum, circumlutionum* Alluit prædium, vel agrum, fluvius, quando præter fluvium it: circumluit, quando totam insulam insula cingit. *Alluvio*, inquit Justinianus Instit. lib. 22. cap. 1. est *invenientium laterum*. Per alluvionem autem id videtur adici, quod ita paulatim accipitur, ut intelligere non possit, quantum quævis immunita temporis accipitur. Ex alluvione autem, & circumlutione, varix controversie nascuntur; verbi gratia, si vis fluminis de prædio tuo partem aliquam detraherit, &

vicini prædio adjunxerit, causa sit ea pars: si arbores tux in vicini prædium delatæ fluvio, in eo prædio radices egerint, fructum tulerint, &c. *Idea*.

<sup>55</sup> *Nexorum* Nexum, sive nexas, est obligatio civilis, quæ cum contraheretur, aliquis libram & us manum tenebat, qui vocabatur libripens. Vide Topica, cap. 5. Præterea civis ille nexos dicebatur, qui cum esset liber, pecuniamque alteri deberet, illi adhibebatur in servitutem, ut ipsi pro pecunia, quam deberet, nec posset solvere, servilem operam præstaret, dum us alimenum dissolveret. Nexus autem dicebatur, quod nesciretur, id est, compediibus, aut nervo vitæ, & clausis teneretur. *Levius lib. viii. Aditibus etiam vocabatur. Idea*.

<sup>56</sup> *Mancipiorum* Mancipium, inquit L-filiorum, est quædam manus capi potest. Aliquando fuitque pro muliere servus; hinc pro aliquo re, quæ accipitur, aut alteri possidenda traditur, vel pro actione, qua id fit. *Idea*.

<sup>57</sup> *Parietum, luminum* De pariete communis sæpe incidit controversia; de tigno in parietem immisso, de alio pariete aut ad-juncto, aut supra communem exadificato, &c. Item de luminibus; verbi gratia, si quis altius ædificet, ac vicini luminibus officiat; si quis prospectum in sedes tuas habeat, &c. *Idea*.

<sup>58</sup> *Fillicidiorum* Fillicidium est æque parvæ lapsum et cædo. Unde possunt vitæ lites de servitute fillicidii, de immittendis & recipiendis fillicidiis. *Idea*.

<sup>59</sup> *Testamentorum raptorum, aut ratorum, cæterarumque* Ita M. Bod. Bal. Mag. Barl. duo, & ad oram Nov. nicon editiones Ven. Mediol. Roberti Stephani, Manueti, & Lambini, aliorumque M. l. vero septem, raptorum, aut ratorum, a vera lectione non multum abhorrentes: horum igitur auctoritate voces, aut ratorum, inferunt. Testamentum rapto significatur et testamentum, quæ, aliqua conditione interveniente, aut legibus ea illo modo fieri vetantibus, decreto Cen-

numerabilium jura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiæ. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam majores, gubernare didicisse. Tu mihi cum in circulo decipiente adversarii stipulatiuncula<sup>60</sup>; & cum obignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernavit.

Quid, si ne parvæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ, in quibus certatur de jure civili; quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia juris audet accedere? Quæ potuit igitur esse causa major, quam illius militis? de cuius morte, cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, & pater ejus, re credita, testamentum mutasset, & quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus: res delata est ad centumviros, cum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam testamento exheres filius<sup>61</sup>. Nempe in ea causa quantum est de jure civili, possente paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripserat nominatum?

## XXXIX.

tumvirum suam vim amittebant: sic Cicero in hujus libri c. 27. constat agnoscendo rum-  
pi testamentum. His autem testamentis raptis opponitur ea, quæ vim suam obtinebant decreto Centumvirum, & quæ rara esse dicebantur. De his igitur ambobus Valerius Maximus in 7. libro tractat: in c. 7. de vestisse, id est, raptis, & c. 8. de raris. Im-  
mo exempla utriusque generis Crassus hic proferet; nempe testamenti rari in proximo capite, cum M. Curtius M. Coponium causa vicit, heresque factus fuit: testamenti vero rari exemplum habes in hoc capite, ut miles a Centumviris obtinebat, ut patris sui testamentum rescinderetur: Valerius enim Maximo teste miles superior in causa discessit. *Peirius*.

*Et stipulatiuncula* Obligatio est, quam aliquis in se recipit, cum certis verbis interrogatus respondet: Spondes? spondeo: si de jure? si de jure. *Proferet*.

*Et testamentum exheres filius* Clarissimus Lambinus auidax Scriptorum censor, sed quem non velis fuisse minus audacem, censet hæc tria verba delenda esse, *testamentum exheres filius*; restatur idem ex ab uno M. l. quem vidit, abesse. Talens etiam dicit ea a nonnullis exemplaribus abesse. Utinam quidem in meis M. l. idem observarem! cum enim miles præcesserat, redimbat casus nominatus: vis: & cum in dubio fuit, utrum exheres esset miles necne, non eleganter dici potest *exheres filius*. Porro notandum est me non tam interrogatiōnis post vocem *filius* posuisse. *Peirius*.

*Impudentia* Man. Lamb. *impudentia*.

XXXIX. Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumviri judicaverunt? cum Marcelli ab liberti filio stirpe<sup>62</sup> Claudii, patricii ejusdem nominis, hereditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis jure dicendum? Quid, quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? qui Romam<sup>63</sup> in exilium venisset, cui Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus applicationis, obscurum sane & ignotum, patefactum in judicio, atque illustratum est a patrono? Quid nuper, cum ego C. Sergii Aurata contra hunc nostrum Antonium judicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in jure versata defensio est? Cum enim Marius<sup>64</sup> Gradianus ædes Aurata vendidisset, neque servire quandam earum ædium partem in mancipii lege dixisset: defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, neque declarasset, præstare debere.

Quo quidem in genere familiaris noster M. Bucculejus, homo neque meo judicio stultus, & suo valde sapiens, & a ju-  
ris

<sup>62</sup> *Ab liberti filio stirpe* ] Filius liberti cujusdam & Claudiorum gente intestato decessit, ejusque hereditas lege rediit ad Claudios, quorum duæ familie erant, altera patricia, altera plebeia. Claudii patricii vocabantur Pulchri, plebeii vero Marcelli; hi de intestato mortui hereditate certabant, Claudii patricii ( quorum familia istius gentis maxime nata fuit ) sibi hereditatem vindicaverunt: quæ Gentilitatis, quæ libertus iste & gente Claudia esset, ipsorumque familia esset prima: & , quamvis servitutem servisset, tamen Claudii patricii contendebant eam injunctam fuisse, ideoque se jure Gentilitatis privati non potuisse. Claudii vero plebei, sc. Marcelli, eandem sibi vindicaverunt hereditatem, quia libertus iste stirpe proprius Marcellis fuit, quam Pulchris, & quia ista servitute ( quam servisset, & quam iustam fuisse ille contendebat ) jus Gentilitatis Claudii patricii amittam fuisse videbatur. De significatione vocis *Gentiles* audi ipsum Cicerothem in Topicis c. 6. *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenium oriundi sunt. No id quidem satis est. Quo-*

rum majorum nemo servitutem servivit. *Abstulit etiam nunc. Qui capite non sunt dimittunt. Hoc fortasse satis est. Idem.*

<sup>63</sup> *Qui Romam* ] Quidam peregrinus ( sic appellatur quicumque civis non est ) Romam venit, in exilium citatus ex urbe sua, & patria. Applicavit sese, id est, adjuravit ad Romanum civem, quem coleret, observaretque, ut cliens patronum, & a quo vicissim defendebatur, ac si civis & cliens suus fuisset. Contigit, ut ille peregrinus testamento nullo facti moreretur. Civis Romanus, cui peregrinus ille tanquam patrono addictus fuerat, ejus hereditatem postulavit apud centumviro, ea de causa, quod ille peregrinus ad istum applicavisset sese, & veluti ipsi dedidisset. Hoc, applicationis jus appellat Cicero. De isto jure antea obscuro, quia rara sunt hujusmodi cause, dicendum causidico fuit, adeoque illustrandum & patefaciendum. *Præfatus. Vi. de Turneb. Advers. xxiv. 32.*

<sup>64</sup> *Cum enim Marius* ] Rem omnem paulo fufius explicat Cicero lib. 3. de Officiis, cap. 20. *Præfatus.*

ris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam cum ædes L. Fufio venderet, in mancipio<sup>65</sup> lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque ædificari ceptum est in quadam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conspici posset, egit statim cum Bucculejo, quod, cuicumque particula cali officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabar.

Quid vero? clarissima M. Curii causa<sup>66</sup>, & M. Coponius nuper apud centumviro, quo concursu hominum, qua expectatione defensa est? cum Q. Scaevola, æqualis, & collega meus, homo omnium & disciplina juris civilis eruditissimus, & ingenio, prudentiaque acutissimus, & oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, juris peritiorum eloquentissimus, eloquentium juris peritissimus, ex scripto testamentorum jura defenderet, negaretque, nisi posthumus & natus, &, antequam in suam tutelam venisset, mortuus esset, heredem eum esse posse, qui esset secundum posthumum & natum, & mortuum, heres institutus; ego autem defenderem, hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut, si filius non esset, qui in tutelam veniret, M. Curius esset heres. Num desinit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio jure civili versari?

Tom. I.

Z

XL.

<sup>65</sup> *In mancipio* ] Id est, in venditione ædium. Controversis illa hujusmodi fuit. Bucculejus, cum venderet ædes suas Fufio, hæc verba in pactione scribi voluit, *Lucius* ( id est, fenestras ) *ut non fuit, ita recipio*: quibus verbis id unum in se suspexit, ut ne quis vicinus earum fenestrarum unum vel tollerere, vel ædificis altioribus obscuraret. In hoc Bucculejus erravit, quod verbis ambiguis usus esset; nam Fufius eilitem intendit, simul atque ædificari ceptum est in quadam remotiori urbis parte, quæ ex ædibus, quas emerat, conspici posset. Egit legitur cum Bucculejo, quis jam ex illis ædibus non idem erat cali prospectus, & ( ut ille punitus ) *mutabatur lumina*, nec tum ita erant: *ut in mancipio* ea Bucculejus receperat. *Præfatus.*

<sup>66</sup> *Clarissima M. Curii causa* ] Coponius quidam mortuus cum uxorem gravidam pos-

taret, filium, qui se mortuo nasceretur, (is posthumus dicitur, quasi postremo loco, seu, qui post humanum patrem natus) reliquit heredem, & posthūmū sibi heredem secundum M. Curium, ea conditione, ut M. Curius esse heres, si filius posthumus ante mortem, quam sui juris esset, decessit sibi hanc Coponius: sed cum uxor ejus revera gravida non esset, nullus ei natus est filius posthumus. Stratim M. Coponius, ægnatus mortui, apud centumviro epit, ut sibi liceret hereditatem adire: oratorem & patronum delegit Q. Scaevolam. Contra M. Curium, secundus heres testamenti relictus, sibi hanc hereditatem postulabat, eo nomine, quod heres fuisset institutus, si posthumus ante mortem, quam posset per statum & tutoris custodia & potestate exire: perinde autem esse, quod nullus fuisset posthumus, ac si natus revera foret, ac mortuus ante centum-

XL. Omitto jam plura exempla causarum amplissimarum, quae sunt innumerabilia. Capitis nostri <sup>67</sup> saepe potest accidere ut causa versetur in iure. Etenim sic C. Mancinum <sup>68</sup>, nobilissimum, atque optimum virum, ac consularem, cum eum propter invidiam Numantini foederis paterpatratus <sup>69</sup> ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset; P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis de senatu iussit educi, quod eum civem negaret esse: quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut paterpatratus dedidisset, ei nullum esse postliminium <sup>70</sup>.

Quam possumus reperire ex omnibus rebus civilibus causam, contentionemque majorem <sup>71</sup> quam de ordine, de civitate, de

liber-

pus a patre constitutum. Erat Corii patrum L. Crassus, quem Cicero nunc loquentem facit. Q. Scrvola scripto dicebatur: hanc esse verba testamenti, ut Curius tantum heres esset, si posthumum ante certum tempus moreretur: nisi eum non posse qui natus non sit: natus non esse posthumum: itaque hereditatem M. Coconio agnitionis iure adscribendam esse, non M. Curio, qui conditione testamenti excluderetur: Crassus contra, voluntatem ejus, qui testamentum fecisset, ac scripti sententiam spectandam esse contendebat, non ipsa verba, & apices scripti. Hanc fuisse mentem testatoris: si filius sibi non esset, qui hereditatem paternam adiret, ut M. Curius heres esset. Causam obtinuit L. Crassus, ut refert Cicero oratione pro Caelio, cap. 28. *Profectus*.

<sup>67</sup> *Capitis nostri* ] Causa capitis apud Romanos ea dicebatur, in qua agebatur de status mutatione, sive capitis diminutione. Triplex est autem capitis diminutio: maxima, cum aliquis simul & civitatem, & libertatem amittit: minor, sive media, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: minima, cum & civitas, & libertas retinetur, sed status hominis commutatur. Maxima servum facit, media peregrinum; minima filiumfamilias, vel patremfamilias. *Iustinianus lib. 1. Inst. cap. 26. idem*.

<sup>68</sup> *Mancinum* ] C. Hostilius Mancinus consul anno U. C. DCXVII. prodigiorum contemptor, a Numantinis vidus, & captus exitus, pacem cum his ignominiosam fecit.

Sed hanc ratam esse verum senatus: itaque ipse sciens ac volens illis deditus est. Cum autem non esset ab hisdem receptus Romanus rediit. Quisquam est, an pro civis habendus esset, sive an tulum ei postliminium esse posset. Negabat P. Rutilius, tribunus plebis, ob eam causam, quam Cicero commemorat. Afirmabant alii, quia non erat receptus ab hostibus; dedicationem enim, aut donationem sine acceptione non posse intelligi; Mancinum igitur non habendum esse pro dedito, quem hostis accipere nollet. Pro Mancino iudicavit populus Romanus, illumque obtinuisse praerogam anno U. C. DCXX. tradit Pomponius juriconsultus. *Florus in Epitome, Appianus, &c. idem*.

<sup>69</sup> *Paterpatratus* ] Is unus e socialibus erat, sanctiori quamvis ornatu dignitate, atque auctoritate, ad parandum; hoc est, faciendum aliquid festus, res repetendas, bellum indicendum hosti, &c. Feciales autem fidei publicae inter populos praerogant, nec licebat bellum inferre, nisi ipsi iusti de causa susceptum declarasset, atque indicissent. *Levius lib. 1. Idem*.

<sup>70</sup> *Postliminium* ] Cic. in Topic. c. 8. *Quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem revertuntur, & ex suo tantquam limite exierint, deum eorum redierint post ad idem locum, postliminio videtur redire.* Vide Cujacium, lib. 11. *Observat. cap. 23. Paucius*.

<sup>71</sup> *Majorem* ] Illa scilicet Mancini exitus, in qua agebatur de illius ordine, civitate, & libertate: de ordine, an senator esset.

libertate, de capite hominis consularis, praesertim cum haec non in crimine aliquo, quod ille posset infirmari, sed in civili iure consisteret? Similique in genere, inferiore ordine, si quis apud <sup>72</sup> nos servisset ex populo foederato, seseque liberasset, ac postea domum revenisset; quaesitum est apud majores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, & amisisset hanc civitatem.

Quid? de libertate, quo iudicium gravius esse nullum potest; nonne ex iure civili potest esse contentio, cum quaritur, is, qui domini voluntate census sit <sup>73</sup>, continone, an ubi lustrum conditum <sup>74</sup>, liber sit? Quid, quod usu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romanam venisset, cum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset; mediocrius res in controversiam adducta est? cum quereretur de duobus civium capitibus, & de puero, qui ex posteriori natus erat, & de eius matre: qua, si iudicaretur certis quibusdam verbis <sup>75</sup>, non novis nuptiis <sup>76</sup>, fieri cum su-

Z 2

perio-

set, quo in ordine erat antequam hosti dederetur: de civitate, an habendus esset in numero civium: de libertate, an servus esset, an liber: de capite, an capite diminutus esset, proindeque in exilium pellendus, aut etiam omnino pendendus. *Profectus*.

<sup>72</sup> *Si quis apud* ] Aliquis e populo foederato, homo inter suos liber & ingenuus, Romanus venerat; ibi servitum servavit; ea servitute liberatus ad suos rediit; ab his receptus non est. Quaesitum est, an is dicitur esse ad suos redire postliminio, an deservisset civis Romanus esse. Causa querendi haec erat, quod inter federatos postliminium non est, sed tantum inter hostes: itaque si ille assertus in libertatem, factus est civis Romanus, sine postliminio poterat redire ad suos. Non poterat tamen amplius esse civis Romanus, quia ius Romano nemo poterat, ut ait Cicero pro Corn. Balbo, ducum civitatum civis esse. *Idem*.

<sup>73</sup> *Donis voluntate census sit* ] Quinto quoque anno a Censoribus in tabulas referantur civium Romanorum tam nomina, quam aetas. Si quis dominus tunc temporis servo suo permisit, ut in civium numero ab eius agnitionibus recederetur, is liber factus

est: sed inter juriconsultos quaerebatur, utrum *continus*, id est, eo ipso die recedendi, is liber esset, an nonnulli post totum censum absolutum, sive lustrum conditum, quod solenni sacrificio fiebat. *Paucius*.

<sup>74</sup> *Ubi lustrum conditum* ] Conall lustrum dicebatur, cum census perficere erat & absolutus: absolebatur autem sacrificio solenni. Lustrum est ipsi census, seu recensio civium: a lustrando dicitur, tunc enim veluti lustrabantur, & recognoscuntur cives omnes. Aliquando lustrum est spatium annorum quinque: quia exalitis quinquis annis fiebat census. *Profectus*. Vide Cujacium, lib. xvii. *Observ. cap. 20*.

<sup>75</sup> *Certis quibusdam verbis* ] His fere verbis, cum *vis uxorem repudiabat*, utebatur: *Res tuas tibi habeto, tuas tibi res agito: quoniam altero cessavit dosum, altero tutoris munus in rebus uxoris deponatur.* *Profectus*.

<sup>76</sup> *Novis nuptiis* ] Videtur is qui nuptias cum altera uxore contrahit, prociorem repudiare: hunc tamen tacitum consensum recentiores jurisperiti negant sufficere. *Lis igitur haec, & controversia erat, an verbis, an mente sola, & novis nuptiis factis divortium fieri censeretur.* *Idem*.

periore divortium, in concubinae locum duceretur. Hæc igitur, & horum similia jura suæ civitatis ignorantem, erectum & celsum, alacri & prompto ore, ac vultu, huc atque illic intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, atque opem amicis, & prope cunctis civibus lucem ingenii, & consilii sui porrigentem, atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

XLI. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiam hominum, atque inertiam. Nam si esset ista cognitio juris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii immortales, non dicerem hoc audiente Scævola, nisi ipse dicere soleret, nullius sibi artis faciliorem cognitionem videri. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur: primum quia veteres illi, qui huc scientiæ præfuerunt, obtinenda atque augenda potentia suæ causa, per vulgari artem suam noluerunt: deinde, posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio<sup>77</sup> primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiosè digesta generatim componerent. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paulo obscurius: sed experiar, & dicam, si potero, planius.

XLII. Omnia fere, quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa, & dissipata quondam fuerunt: ut in musicis, numeri, & voces, & modi, in geometria, lineamenta, formæ, intervalia, magnitudines: in astrologia, cæli conversio, ortus, obitus, motusque siderum: in grammaticis, poetarum pertractatio,

<sup>77</sup> Expositis a Cn. Flavio ] Pessis agi legere, necne, inquit Cicero pro Muræna, cap. 11. pauci quondam scribant. Fasti enim vulgo non habebant. Erant enim in magna potentia qui consulebantur: a quibus etiam dicit, tanquam a Chaldeis perhibebantur. Invenitur est scribita quidam Cn. Flavio, qui cornicum vultu conspexit, id est, ostenderit doctrinam veterum illorum jurisconsultorum

non admodum reconditam fuisse, & singulis diebus ediscendos fasti populo præposuerit, & ab ipse causis jurisconsultis eorum sapientiam compilavit. Cn. iste Flavio, patre libertino natus, ob fastos populo promulgatos fuit aedilis curulis a forensi turba creatus anno U. C. CDXLVIII. Livius lib. 14. & Pomponius de origine juris. Idem.

tio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus. In hæc denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere; ignota quondam omnibus, & diffusa late videbantur. Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assument, quæ rem dissolutam, divulsamque conglutinet; & ratione quadam constringeret.

Sit ergo in jure civili finis hic, legitime, atque iustæ in rebus causisque civium, æquabilitatis conservatio. Tum sunt notanda genera<sup>78</sup>, & ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas, aut plures complectitur partes: partes autem sunt, quæ generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur: omniaque, quæ sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio, earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis, & circumscripta quædam explicatio.

Hæc ergo rebus exempla adjungerem, nisi, apud quos hæc haberetur oratio, cererem. Nunc complectar quod proposui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod jamdiu cogito<sup>79</sup>, aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat; tum propriam cuiusque vim definitione declaret; perfectam artem juris civilis habeatis, magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram. Atque interea tamen, dum hæc, quæ dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem, & colligentem undique, repleri iusta juris civilis scientia<sup>80</sup>.

XLIII.

\* *Æquabilitatis* ] V. B. Man. *æqualitatis*  
<sup>78</sup> *Notanda genera* ] Juris genera ista sunt: aliud publicum est ius, aliud privatum. Rursum publicum aliud spectat res sacras, aliud magistratus, ordinemque civitatis; aliud continetur legibus; aliud senatusconsultis, &c. aliud civium est; aliud exterorum. Sec. Vide Ciceroem in Topicis. Idem.

<sup>79</sup> *Quod iam diu cogito* ] Hoc in persona Crassi de se ipse Cicero dicere videtur: eum enim scripsisse librum de jure civili in artem redigendo testis est Gellius lib. 7. cap. 22. Idem. Vide Philosophicorum Fragmenta, Tom. III.

<sup>80</sup> *Iusta* (vulgo, *ista*) ] *juris civilis scientia* ] id est, quæ sufficit, cui nihil deest ad

XLIII. Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime cæteris artibus eruditum, C. Aculeonem <sup>81</sup>, qui mecum vivit, semperque vixit, ita tenere jus civile, ut ei, cum ab hoc discesseritis <sup>82</sup>, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? Omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congreffione hominum, atque in foro: neque ita multis literis, aut voluminibus magnis continentur. Eadem enim sunt elata <sup>83</sup> primum a pluribus: deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus scripta sunt sapius.

Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique jus civile possit, (quod minime plerique arbitrantur) mira quædam in cognoscendo suavitas, & delectatio. Nam, siue quem aliena studia delectant, plurima est & in omni jure civili, & in pontificum libris, & in XII tabulis, antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur; & actionum genera quædam, majorum consuetudinem vitamque declarant. Siue quis civilem scientiam contempletur, (quam Scævola non putat oratoris esse propriam, sed cujusdam ex alio genere prudentiæ) totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII. tabulis contineri videbitis. Siue quem ista præpotens, & gloriofa philosophia delectat, (dicam audacius,) hæc habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili & legibus continentur. Ex his enim & dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, justus, atque honestus labor honoribus, præmiis, atque splendore decoratur; vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominii, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur: & docemur non infinitis, concertationumque plenius disputationibus, sed auctoritate, nunquam legum domitas habere.

mentium nomen scientiæ. Sic in Oratore, c. 43. *justa excusatio*, idem valet ac satis bona, & in epistola ad Famil. l. 2. ep. 10. *victoria iusta* eodem dicitur sensu. Non opus est igitur, ut cum Gulielmo sententiam refigurant. *Præterea*,  
<sup>81</sup> C. Aculeonem ] Hic eques Romanus

Ciceronis materteram duxit uxorem: propterea filios Aculeonis Cicero consobrinus suos vocat lib. 11. de Oratore. *Præterea*.

<sup>82</sup> Cum ab hoc discesseritis ] Scilicet, a Scævola. *Sæpe*.

<sup>83</sup> Elata ] Quid, si, relata? Muret.

habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

XLIV. Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperissimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, sapientissimus vir <sup>84</sup> immortalitati anteponeret; quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cujus primum nobis mens, mos, disciplina, nota esse debet; vel quia est patria parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis.

Percipietis etiam illam ex cognitione juris lætitiæ, & voluptatem, quod, quantum præstiterint nostri majores prudentia cæteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, & Dracone <sup>85</sup>, & Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum, inconditum, ac pene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus, & maxime Græcis, antepono. His ego de causis dixeram, Scævola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, juris civilis cognitionem esse necessariam.

XLV. Jam vero ipsa per se quantum asserat iis, qui ei præstant, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaque, ut

<sup>84</sup> Sapientissimus vir ] Ulysses scilicet, cui Calypso pollicetur et immortalitatem, modo secum manere perpetuo vellet. Odyss. lib. 4.

<sup>85</sup> Draconem ] Draco primus Atheniensium legislator, cujus severiores leges sanguine, non atramento, scriptas, draconis, non hominis, esse dicebant: tanta scilicet fuit illarum immanitas, ut in levis pariter, & gravi delicta capitali poena animadvertere-

rent; nec minus addicerent morti eum, qui otii convictus esset, quam qui paricidium admisisset. Cum in theatrum aliquando prodisset, coniectis in eum undique fragulis & vestimentis suffocatus est. Floruit, ut tradit lib. 1. Strom. Clemens Alexandrinus, xxxix. Olymp. anno 1. quo leges tulit. Eum perhibent tribus versuum millibus vitæ præcepna tradidisse. *Præterea*.

ut apud Græcos infimi homines, mercedula adducti, ministros se præbent in judiciis oratoribus, ii, qui apud illos *ὑπαγορευτικοὶ* vocantur: sic in nostra civitate contra amplissimos quisque, & clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc juris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est,

*Egregie cordatus homo, carus Ælii Sæxus,*  
multique præterea, qui, cum ingenio sibi auctore dignitatem reperissent, perfecerunt, ut in respondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valerent.

Senectuti vero celebranda & ornanda quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium jam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensium, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis; ut, cum me vires (quod fere jam tempus adventat) deficere cœpissent, ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim præclarior, quam honoribus & reipublica muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi & reges, at omnes sui cives consilium expetant,

*Suarum rerum incertis? quos ego mea ope ex*

*Incertis certos, compotesque consili*

*Dimitto, ut ne res temere trahant turbidas.*<sup>86</sup>

Est enim sine dubio domus jurisconsulti, totius oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mucii janua, & vestibulum, quod in ejus infirmissima valetudine, affectaque jam ætate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur.

XLVI. Jam vero illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque jura, quæ sunt propria civitatis, atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, & vetustatis exempla, oratori nota esse debere. Nam ut

<sup>86</sup> Cum ingenio sibi auctore dignitatem hæc.] Vix Ciceronianum videtur dicere, ingenio auctore aliquid facere. De personis scriptis, nulli vero (opinor) Nostræ de rebus quæ si auctoribus loquitur. Fortasse igitur delenda est vox auctore, utroque que ex voce auctoritate in sequenti linea hæc ab infirmis libris adducta videtur. *Periculis*.

<sup>87</sup> *Suarum rerum*] Versus tres jambrici ex tragedia quadam Enniana. *Profluv.*

ut in rerum privatarum causis atque judiciis deprecanda sæpe oratio est ex jure civili, & idcirco, ut ante diximus, oratori juris civilis scientia necessaria est: sic in causis publicis judiciorum, concionum, senatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici juris auctoritas, & regenda reipublicæ ratio ac scientia, tanquam aliqua materies, iis oratoribus, qui versantur in republica, subiecta esse debent. Non enim caudicem nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit ejus artis antistes, cujus cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putatur; ut & ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur: deinde qui possit non tam caduceo<sup>88</sup>, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari: tum qui scelus, fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium, supplicioque constringere: idemque ingenii præsidio, innocentiam judiciorum poena liberare: idemque languentem, labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos, mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum motum res & causa postulet, cum dicendo vel excitare possit, vel sedare.

Hanc vim si quis existimat, aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat: neque solum infipientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspexit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa ita putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem, (quod & infinitum est, & non necessarium) sed ut commonstrarem tantum viam, & ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem.

Tom. I.

A a XLVII.

<sup>88</sup> Caduceo] Caduceus erat virgo, quam faciales perebant, cum ad hostes Romanorum mitterentur, seu belli, seu pacis causa; quamque præ se ferentes, facti & ideo non oratoris persona, quam orationis auctoritate violari putabantur. *Periculis*. Qui virgam

illam, insigne pacis, gestabant, erant purgentium ubique ruri & incolumes. Hæc est porro hujus loci sententia: Orator non tam oratoris persona, quam orationis auctoritate tutus sit. *Profluv.*

XLVII. Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te videtur istorum studiis, si modo supi studiosi, esse factum. Nam, ut Socratem illum solitum ajunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscende, percipiendæque virtutis: quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallet se esse, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam: sic ego intelligo, si in hac quæ patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quæ cupitis, perventuros ab hoc aditu, januaque patefacta.

Nobis vero, inquit Sulpicius, ista sunt pergrata perque jucunda: sed pauca etiam requirimus, in primisque ea, quæ valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percurta sunt, cum illa te & non contemnere, & didicisse constiteret. Ea si paulo latius dixeris, expleris omnem expectationem diuturni desiderii nostri. Nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum, rationemque cupimus cognoscere.

Quid sit, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestræ potius obsecutus sum voluntati, quam aut consuetudini aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, ut ea, quæ continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse jamdudum questus est, explicet nobis, & illa dicendi mysteria enuntiet? Ut videretur, inquit Sulpicius. Nam Antonio dicente, etiam quid tu intelligas, sentiemus. Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id ætatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quari vides, sentias.

XLVIII. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video, atque sentio, non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt. Verum hoc ingrediar ad ea, quæ vultis, audacius, quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla

expe

expectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quæ in commentarium meum retuli, sunt ejusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata: quæ si vobis, hominibus eruditissimis, non probabuntur, vestram iniquitatem acculatote, qui ex me ea quaeseritis, quæ ego nescirem: meam facilitatem laudatote, cum vobis non meo judicio, sed vestro studio inductus non gravate respondero.

Tum Crassus, Perge modo, inquit, Antoni. Nullum est enim periculum, ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminem nostrum poeniteat ad hunc te sermonem impulsisse. Ego vero, inquit, pergam: & id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere cenleo, ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur; ne vagari & errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligent. Nam, si forte quaeretur, quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator: qui cum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collocationibus, de oppidorum oppugnationibus, de comæatu, de insidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi: quarum qui essent animo & scientia compotes, eos esse imperatores dicerem; uterque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, atque Annibalem, atque ejus generis homines nominarem. Sin autem quaereremus, quis esset is, qui ad rempublicam moderandam usum, & scientiam, & studium suum contulisset, definirem hoc modo: Qui, quibus rebus utilitas reipub. pararetur, augeturque, teneret, iisque uteretur, hunc rempublicæ restorem, & consilii publici auctorem esse habendum; predicaremque P. Lentulum, principem illum, & Tib. Gracchum patrem, & Q. Metellum, & P. Africanum, & C. Lælium, & innumerabiles alios cum ex nostra civitate, tum ex cæteris. Sin autem quaereretur, quisnam jurisconsultus vere nomi-

A a 2

nar-

naretur; eum dicerem, qui legum, & consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus esset; & ex eo genere Sex. Aelium, M. Manilium, P. Mucium nominarem.

XLIX. Atque, ut jam ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poeta queratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, & quo non amplius ab quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi, ac sapientia unus omnia pene profectur, est tamen quedam descriptio: ut is, qui studeat omnium rerum divinarum, atque humanarum vim, naturam, causasque nosse, & omnem bene vivendi rationem tenere, & persequi, nomine hoc appelletur.

Oratorem autem, quoniam de eo querimus, equidem non facio eundem, quem Crassus; qui mihi visus est omnem omnium rerum, atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio, ac nomine: atque eum puto esse, qui & verbis ad audiendum jucundis, & sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus, atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse præterea instructum voce, & actione, & lepore quodam volo.

Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pene, describere. Nam & civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit: in quo per mihi mirum visum est, Scævola, te hoc illi concedere; cum sapissime tibi senatus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus assensus. M. vero Scæurus, quem non longe ruri apud se esse audio, vir regendæ reipublice scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis & consilii sui vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas; jam, credo, huc veniat, & hanc loquacitatem nostram vultu ipso, aspectuque contereat: qui quanquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte, nititur.

Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille consilii publici

lici auctor, ac senator bonus, ob eam ipsam causam orator est; aut hic disertus, atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, illam scientiam dicendi copia est consecutus. Multum inter se distant istæ facultates, longeque sunt diversæ, atque junctæ; neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam, & reipublicæ dignitatem exornabant.

L. Neque enim est interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua, atque more, ut singulis hominibus ne amplius, quam singulas artes, nosse liceat. Quare non, etsi eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco ejusdem hominis, atque artis utraque facultas existimanda est; nec, si P. Crassus idem fuit eloquens, & juris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi juris civilis scientia.

Nam si quisque, ut in aliqua arte & facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumpserit, is perficiet, ut, quod præterea sciet, id ejus, in quo excellet, pars quedam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene & duodecim scriptis ludere<sup>89</sup>, proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit; eademque ratione dicantur, & quos *poetæ* Græci nominant, iidem poetæ, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut propria, sua esse, atque a se possideri volunt, dicere audent, geometriam aut musicam philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus præstantissimum fuisse fateantur.

Ac, si jam placet omnes artes oratori subungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse jejuna atque nuda, sed aspersa, atque distincta multarum rerum jucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse: neque ea, ut sua, possedisse; sed, ut aliena, libasse. Fateor enim, callidum

<sup>89</sup> Duodecim scriptis ludere ] Vide Victorium, Var. Lect. lib. 5. cap. 13. & 50.



dum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum, atque hospitem in agendo esse debere.

LI. Neque vero istis tragœdiis tuis<sup>90</sup>, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restringere, cum eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum, ac rationes penitus perspexerit: in quo philosophia sit oratori necessario percipienda: quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas ætates videmus esse contritas: quorum ego copiam, magnitudinemque cognitionis, atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum & scire, & dicere, quæ non abhorrent ab hominum moribus.

Quis enim unquam orator magnus, & gravis, cum iratum adversario iudicem facere vellet, hæsitavit ob eam causam, quod nesciret quid esset iracundia, fervore mentis, an cupiditas puniendi doloris<sup>91</sup>? Quis, cum cæteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miscere, atque agitare vellet, ea dixit, quæ a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, qui que in iudicium mentibus concitent, scelus eos ajunt nefarium facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse, & ad veritatem vitæ propius accedere, permediocres, ac potius leves motus debere esse dicunt.

Orator autem omnia hæc, quæ putantur in communi vitæ consuetudine mala, ac molesta, & fugienda, multo majora & acerbiora verbis facit: itemque ea, quæ vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat: neque vult ita sapiens inter stultos videri, uti, qui audiant, aut

<sup>90</sup> *Isti tragœdiis tuis* ] Tragœdiis in multis agere dicuntur, qui rem parvam clamitando, ut fieri solet a tragœditarum actoribus, magnam faciunt. *Pro Senec.*  
<sup>91</sup> *Cupiditas puniendi doloris* ] Id est, ul-

ciscendi doloris, quem aliorum injuriæ nobis fecerant. Simili modo locutus est Cicero in Orati. pro Milone: *Fecit iratus, scilicet inimicos, scilicet ultor injuriæ, punitor doloris sui.* *Peccatus.*

aut illum ineptum, aut Græculum putent<sup>92</sup>, aut, etiam si valde probent ingenium oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant: sed ita peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone sit, an in corpore; virtute, an voluptate definiatur; an hæc inter se jungi copularique possint; an vero, ut quibusdam visum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci, & percipi possit: quarum rerum fateor magnam, multiplicemque esse disciplinam, & multas, copiosas, variasque rationes. Sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quærimus: acuto homine nobis opus est, & natura, usque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui civis, iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, expectent.

LII. Teneat oportet venas cujusque generis, ætatis, ordinis; & eorum, apud quos aliquid ager, aut erit acturus, mentes, sensusque degustet. Philosophorum autem libros reserves sibi ad hujuscemodi Tusculani requiem atque otium, ne, si quando ei dicendum erit de justitia & fide, mutuetur a Platone; qui, cum hæc exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem: usque eo illa, quæ dicenda de justitia putabat, a vitæ consuetudine, & a civitatum moribus abhorrebant.

Quod si ea probarentur in populis, atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro, & amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quæ dixisti? *Eripite nos<sup>93</sup> ex miseris, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri: nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus & possumus & debemus.* Omitto miseris, in quibus, ut

<sup>92</sup> *Ineptum & Græculum* ] Ira legendum censo: & ita in Tusc. Disp. lib. 1. c. 35. habemus, *ineptum sane negotium & Græcul.* Idem.

<sup>93</sup> *Eripite nos* ] Verba sunt deprecepta ex oratione quadam, quam Crassus paulo ante ad populum habuerat, quæ vehementer

conquerabatur de equibus Romanis, qui cum iudicia impotentis & iniquis exercebant; tum vero senatum vehementer vexabant. Crassus igitur, qui senatorum partes & causam tuebatur, ita alloquebatur populum: *Eripite nos, dec. Praffens.*

ut illi ajunt, vir fortis esse non potest: omitto *fauces*, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exorbeatur sanguis tuus; quod sapienti negant accidere posse. *Servire* vero non modo te, sed universum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es dicere? Potestne virtus, Crasse, *servire* <sup>94</sup>; istis auctoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ & semper <sup>95</sup>, & sola libera est, quæque, etiam si corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum jus atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quæ vero addidisti, non modo senatum *servire posse* populo, sed etiam *debere*, quis hoc philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis, doloremque referens, probare posset? Senatum *servire* populo, cui populus ipse moderandi & regendi sui potestatem, quasi qualdam habenas, tradidisset?

LIII. Itaque hæc, cum a te divinitus & ego dicta arbitraret, P. Rutilius Rufus <sup>96</sup>, homo doctus, & philosophia deditus, non modo parum commode, sed etiam turpiter & flagitiose dicta esse dicebat. Idem Q. Servium Galbam <sup>97</sup>, quem hominem probe nosse, & commeminisse se agebat, pergravius reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quaestionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, cum M. Cato, Galbæ gravis atque acer inimicus, asperere apud populum Romanum & vehementer esset locutus: quam orationem in Originibus suis exposuit ipse. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, pupillum filium ipse pene in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione & memoria stetum populo moveret, & duos filios suos parvos tutelæ populi commendasset,

ac

<sup>94</sup> *Servire* ] Plerique omiserunt signum distinctionis post hoc verbum. Atqui sententiam pervertere omnino illa potest, & parum cautus inducere, ut putent, *isti auctoribus* esse tertium casum, quem ducat verbum *servire*, cum sextus sit casus, sique, ut Grammatici loquuntur, absolutus. Est enim hic sententia: *Isti, Crasse, philosophi, quorum tu præcepta ad oratoris facultatem pertinere censēs, an auctores sunt tibi, dicunt, pronuntiant, pos-*

se fieri ut virtus *serviat*, & non sit libera? *Olivieri*.

<sup>95</sup> *Quæ & semper* ] Videndum Ciceronis paradoxum, cuius hæc est inscriptio: *Omnes sapientes liberi, omnes stulti servi*. Præterea.

<sup>96</sup> *P. Rutilius Rufus* ] De quo in Bruo, cap. 30.

<sup>97</sup> *Q. Servium Galbam* ] De quo in Bruo, cap. 21.

ac se, tanquam in procinctu <sup>98</sup> testamentum faceret, sine libra atque tabulis <sup>99</sup> populum Romanum tutorem instituire dixisset illorum orbitati. Itaque cum & invidia, & odio populi tum Galba premeretur, his quoque cum tragicædiis liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, *nisi pueris & lacrimis usus esset, penas cum daturum fuisse*. Hæc Rutilius valde vituperabat, & huic humilitati dicebat vel exilium fuisse vel mortem anteponendam. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse & sensit, & fecit. Nam cum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentia; cumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior; non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatus quidem, aut <sup>\*</sup> liberius causam dici suam; quam simplex oratio veritatis ferebat. Paulum huic Cottæ tribuit partium <sup>1</sup>, disertissimo adolescenti, sororis suæ filio. Dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mucius, more suo, nullo apparatu, pure & dilucide.

Quod si tu tunc, Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam, petendum esse paulo ante dicebas; & si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere: quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, pestiferi cives, supplicioque digni, tamen omnem eorum importunitatem

Tom. I.

B b tem

<sup>98</sup> *Tanquam in procinctu* ] Milites Romanum pugnam commisit, tribus pluribusve commilitonibus audientibus, heredes nominare solebant, ut, si caderent in prælio, testamento condire morentur; hoc est *in procinctu testamentum facere*. Vide Gellium, 13. 27. Quinl. Inst. Or. l. 12. c. 9. occurrit *in procinctu stare*, & Ovidius de Ponto lib. 1. ep. 8. ait,

*Hæc in procinctu carmina facta pœæ,*  
id est, sine multa meditatione, & quasi ex tempore facta. *Petrivius*.

<sup>99</sup> *Sine libra, atque tabulis* ] Aliud erat testamenti genus per familiæ emancipationem; quo paterfamilias imaginaria venditione jus omne suum, ac bona transferrebat in alium. Is potro ritus erat: Quinque testibus, ac libripende presentibus; futuris heredes imaginarii pretii nomine minimum 2-

neum dabat patrifamilias, ac solennem verborum formulam pronuntiabat: *Hujus ego familiam, que mihi supra est hoc ære, æqueque libra, jure Quiritium, meam esse aio*. Deinde ære percipiendi libram, illud eis dabat patrifamilias, qui tum hereditatis ad-eunda jus emptori concedebat. Is autem, qui emebat, vocabatur emptor familiæ; eaque testamenta in tabulis scribebantur. Tertium testamenti genus calatis comitiis in populi concione fiebat. Consule Gellium, lib. xv. cap. 27. *Præterea*.

<sup>\*</sup> *Liberius* ] Man. *uterior*  
<sup>1</sup> *Tribuit partium* ] Oratores & patroni alii erant: primarum partium, qui principum cause locum, ac definitionis habebant; qui primi dicebant, vel de rebus præcipuis; alii secundarum, alii tertiarum, &c. *Idem*.

tem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae. Nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis civitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rempublicam imploravit, nemo supplicavit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplevit; credo, ne Stoicis renuntiaretur.

LIV. Imitatus est homo Romanus & consularis veterem illum Socratem, qui, cum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex, aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, cum ei scriptam orationem disertissimus orator Lyfias attulisset, quam, si ei videretur, ediceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit, & commode scriptam esse dixit: sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles, & apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi & oratoriam videri, fortem & virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est: neque solum primis sententiis, quibus tantum statuiebant iudices, damnarent an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio. Ex sententia, cum iudicibus

<sup>2</sup> *Pedem nemo* ] Valet pedis suppletio, ut Cicero monet, in contentione aut incipiendis, aut finiendis. Si fuerit crebrior, inepti hominis est, ut docet Fabius. *Idem.*

<sup>3</sup> *Scriptam orationem* ] Vestitum olim Athenis fuit, ne quis ad suam defensionem oratorem adhiberet. Igitur Lyfias orator tum optimus scribebat orationes, quas eloquentiae reges, quia pro se ipsi dicere iubebantur, edicerent, ac promouerent. Ea causa fuit, cur scriptam orationem obtulerit Socrati. *Idem.*

<sup>4</sup> *Sicyoniarum* ] Sicyon urbs Peloponnesi, in Graecia, Corinthum inter & Athenas. Hic olim mulieres calcei elegantissimi conficiebantur. *Idem.*

<sup>5</sup> *Quae iterum, &c.* ] Quibus de poena statuerent, & aestimarent quam gravis debe-

ret esset. Id autem fiebat, cum fraus capitalis non erat, seu cum crimen capite plethendum non erat. Alioquin gravioribus delictis erat poena capitis legibus constituta. His igitur sententiam ferebant iudices; semel cum damnatum reum, iterum, cum poenam constituebant. *Idem.*

<sup>6</sup> *Quasi poenae aestimatio* ] Lamb. delet istud *poenae*, recte quidem; haec enim *aestimatio* non fuit *poenae*, sed *fraudis*, id est, criminis, de quo reus damnatus esset. Sic paulo infra legitur, *quam quasi aestimationem* &c. nulla *poenae* mentione facta. Apud Romanos *aestimare litium* (de quo Cicero saepius loquitur) significavit, computare quantum pecuniae is, qui in privatae iudicis causa cecidisset, adversarioolvere deberet; cum vero apud Athenienses reus damnaretur

cibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem commerruisse se maxime confiteretur: quod cum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus & praemiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeretur; qui honos apud Graecos maximus haberetur. Cujus responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Qui quidem si absolutus esset, (quod mehercule etiam si nihil ad nos pertinet, tamen propter ejus ingenii magnitudinem vellem) quoniam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, cum ille damnatus est nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi incertiam, tamen a se oportere dicunt peti praecpta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum sit melius, aut verius: tantum dico, & aliud illud esse atque hoc, & hoc sine illo summum esse posse.

LV. Nam quod jus civile, Craesse, tam vehementer amplexus es, video quid egeris: tum, cum dicebas, videbam. Primum Scævola te dedidisti, quem omnes amare meritissimo pro ejus eximia suavitate debemus; cujus artem cum indoratum esse, atque incomitam, & incomptam videres, verborum eam dote locupletasti, & ornasti. Deinde quod in ea tu plus operae, laborisque consumperas, cum ejus studii tibi & hortator, & magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. Sit sane tanta, quantum tu illam esse vis: etenim sine controversia & magna est, & late patet, & ad multos pertinet, & summo in honore semper fuit, & clarissimi cives ei studio etiam hodie praesunt: sed vide, Craesse, ne, dum novo & alieno ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam concessio & tradito spoliis, atque denudes. Nam, si ita dices, qui iurifconsultus esset, esse eum oratorem; itaque qui esset orator, juris eundem esse consultum; praclaras duas artes constitue-

de publico quodam crimine, non capitali, eius.

<sup>7</sup> *Prytaneo* ] Locus Athenis, ubi publico sumptu aiebantur ii, qui de rep. optime meriti essent. *Profusus.*

®

stitueres, atque inter se pares, & ejusdem socias dignitatis. Nunc vero jurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quærimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos: oratorem negas, nisi illam scientiam asumpserit, esse posse. Ita & tibi jurisconsultus ipse per se nihil, nisi legulejus<sup>8</sup> quidam cautus & acutus, præco actionum<sup>9</sup>, cantor formularum<sup>10</sup>, auceps syllabarum<sup>11</sup>. Sed quia sæpe utitur orator subsidio juris in causis, idcirco istam juris scientiam eloquentiæ, tanquam ancillulam pedisequamque, adjunxisti.

LVI. Quod vero impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, cum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quæ maxima essent in jure civili, tractare auderent in causis, cum ea nescirent, nunquamque didicissent; utriusque rei facilis est, & prompta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat<sup>12</sup>, nesciat, eundem ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, causam posse defendere. Nec si parvi navigii, & magni eadem est in gubernando scientia; idcirco qui, quibus verbis heretum<sup>13</sup> cieri oporteat, nesciat, idem hereticundæ familiæ causam agere non possit. Nam, quod maximas centumvirales causas in jure positas protulisti: quæ tandem earum causa fuit, quæ ab homine eloquenti, juris imperito, non ornatissime potuerit dici? quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M. Curii, quæ abs te nuper est dicta, & in C. Hostilii Mancini

<sup>8</sup> Legulejus ] Le est, qui legum apices, minutaque formulas juris caller, & sequitur. Idem.

<sup>9</sup> Præco Aktionum ] Qui denuntiat imperitis juris, quando a legibus necesse possit: quo genere Aktionis solum quisque jus persequatur; qui sic interit, actionibus & libellis, ut præco auctionibus ac venditionibus. Sirolianus.

<sup>10</sup> Cantor formularum ] Qui juris formulas recitat. Formulae autem sunt concepta verba, quibus vel patroni, vel iudices utuntur in foro: quæ quia semper eandem formam retinent, & ex eis informantur lites, ideo formulae appellatur: interdum etiam dicuntur carmina. Profl.

<sup>11</sup> Auceps syllabarum ] Qui syllabas &

interpunctiones omnes, puta legis alicujus, testamenti, &c. expendit, ac, velut auceps aviculas, observat, & persequitur. Idem.

<sup>12</sup> Quibus verbis coemptio fiat ] Coemptio fuit formula quadam matrimonii contrahendi, quæ mulier (teste Varro) assensu veniunt, tanquam emendi causa, marito dare solebat; verbisque quibusdam solentibus uti, quibus coemptio fieri. Pæricus.

<sup>13</sup> Heretum ( vulgo heretum ) dicitur ] Heretici, sive heretici, verbum verum, significat dividere: hereticundæ familiæ iudicium illud est, quod fit in rei, vel pecunie hereditariæ, divisione. Heretum, ut ait Donatus citatus a Servio in 3. Æneid, hereditatem significat, & citius divisionem. Profl.

controverfia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de jure dissensio.

Quæro igitur, quid adjuverit oratorem in his causis juris scientia, cum hic jurisconsultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non juris scientia, sed eloquentia, sustentatus. Equidem hoc sæpe audivi, cum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque major natu, etiam consularis, Ser. Galba assestaretur, quod Crassi filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticum: qui cum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset; ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit, quæsitique, quæ de re ad Crassum retulisset: ex quo ut audivit, commotumque ut vidit hominem, Suspenso, inquit, animo, & occupato Crassum tibi respondisse video. Deinde ipsum Crassum manu apprehendit, & Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere, ut respondisset; nec dubium esse posse. Galba autem alludens varie & copiose, multas similitudines asferre, multaque pro æquitate contra jus<sup>14</sup> dicere: atque illum, cum disserendo par esse non posset, (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbæ nullo modo) ad auctores confugisse, & id, quod ipse diceret, & in P. Mucii fratris sui libris, & in Sex. Ælii commentariis scriptum protulisse; ac tamen concessisse, Galbæ disputationem sibi probabilem & prope veram videri.

LVII. Attamen quæ causæ sunt ejusmodi, ut de earum jure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus est, hereditatem peti? nemo: quia constat, agnoscendo rumpi testamentum<sup>15</sup>. Ergo in hoc genere

<sup>14</sup> Pro æquitate contra jus ] Equitatis nomine intelligitur lex bona, benignitas, quæ lex scripta mitigatur, ratione habitæ rerum, personarum, ac temporum: jus autem, ut

hic sumitur, est exacta & severa legis ad verbum interpretatio. Idem.

<sup>15</sup> Agnoscendo rumpi testamentum ] Si paterfamilias ante fecit testamentum, quam

nere juris judicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem juris in controversiis<sup>16</sup> ignorare, quæ pars sine dubio multo maxima est. In eo autem jure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori, ejus partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem invenire: a quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris laceratis, viribusque torquet. Nisi vero (bona venia hujus optimi viri dixerim Scævola) tu libellis, aut præceptis fœciti tui causam M. Curi defendisti. Nonne arripuisti patrocinium æquitatis, & defensionem testamentorum, ac voluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia, (frequens enim te audivi, atque affui) multo majorem partem sententiarum sale tuo, & lepore, & politissimis faceris pellexisti, cum & illud nimium acumen illuderet, & admiraret ingenium Scævola, qui excogitasset, nasci prius oportere, quam emori: cumque multa colligeres & ex legibus, & ex senatusconsultis, & ex vita, ac sermone communi, non modo acute, sed etiam ridicule ac facete; ubi si verba, non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaque hilaritatis plenum judicium, ac lætitiæ fuit: in quo quid tibi juris civilis exercitatio profuerit, non intelligo; dicendi vis egregia, summa festivitate, & venustate conjuncta profuit.

Ipse ille Mucius paterni juris defensor, & quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, cum contra te diceret, attulit, quod de jure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe ejus omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercent omnes, cum in ejusmodi causis alias scriptum, alias æquitatem defendere docentur.

Et

status ei sit filius, irritum est nato filio, & amittit jus omne ad hereditatem is, qui illo testamento heres fuerat institutus: filius enim nascendo, quia inter agnatos prior est, ac potior, jus omne ad hereditatem sibi vindicat. Agnatus dicitur, qui nascitur cum aliis, qui ex eadem stirpe per vitos deinceps ducta nati & sanguine conjuncti sunt. *Idem.*

<sup>16</sup> *Juris in controversiis* ] Lambinus legit *juris in controversiis*, eoque omnes deinde editiones secuta sunt: sed libens eam lectionem revoco, quæ in omnibus M. F. & vet. cod. invenitur. Sensus est: *Oratori licet impune & sine damno in controversiis, id est in causis, ignorare omnem hanc partem juris, scilicet de qua dubium esse non possit, & in qua judicia nulla sunt.* Pearceus,

Et credo in illa militis causa<sup>17</sup>, si tu aut heredem, aut militem defendisses, ad Hostilianas te actiones<sup>18</sup>, non ad tuam vim & oratoriam facultatem contulisses. Tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ejus omnino testamentorum jus in eo judicio positum videretur: vel si causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses; statuisses ante oculos; complexus esset filium, fensque eum centumviris commendasset; lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegisset; ut totum illud, *Uti lingua nuncupasset*<sup>19</sup>, non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine<sup>20</sup> scriptum videretur.

LVIII. Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam<sup>21</sup> artem primum facillimam non edificant, quæ quam sit facilis, illi viderint, qui ejus artis arrogantia, quæ difficillima sit, ita subnixi ambulant; deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram. Deinde, quod sit plena delectationis; in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem, & ea se carere patiuntur, nec

<sup>17</sup> *In illa militis causa* ] De qua dictum superius. Pater filium, qui erat in exercitu, obisse falso audivit; alium instituit heredem: rediit miles: egit lege in paternam hereditatem. *Profectus.*

<sup>18</sup> *Hostilianas actiones* ] Quis Hostilius iste sit ambigitur. Pomponius inter jurisperitos non recensuit. Actiones Hostilianas interpretantur nonnulli præscriptas Hostilia lege, quæ anno U. C. DLXXXIII. lata est de furtis: ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent, &c. *Idem.*

<sup>19</sup> *Uti lingua nuncupasset* ] Legunt alii *nuncupasset*, hoc est, nuncupaverit. Hæc estant concepta verba duodecim tabularum. *Uti lingua nuncupasset, ita jus esto.* Cujus formula & carminis ea sententia est, in dicendo jure ac statuendo habendam esse verborum & scripti rationem, & ita judicandum, verbis gratia, de pactione, stipulatione, venditione, uti ea pactio & venditio verbis concepta fuerit, seu uti lingua vendentium & contractantium nuncupaverit, seu pronuntiaverit. *Idem.*

<sup>20</sup> *In magistri carmine* ] Carmen magistri interpretor, tabellam, quam magister proponebat, & quæ prescribat se alicujus bona venditurum. Ejus enim olim, qui multis debebat, latitabatque, neque debebatur, creditores prætorum adibat, apud quem querebantur, bonorumque possessionem petebant: quam & prætor dabat, atque in diem certam ea possidebant. Quæ cum venerat, prætorum rursus adibat, petebantque sibi ut liceret unum e suo numero deligere, qui bonorum venditioni præset, qui magister dicebatur: is in comitis celebribus, & frequentibus urbis locis tabulam proponebat, se debitorem bona venditurum, his verbis: *Tuius debitor nosse iocida in causam venditionis bonorum: nos creditores ejus bona vendemas: qui videri emptor accedat.* Hanc, ut opinor, prescriptionem Cicero hic appellat *magistri carmen*. Turneb. *Adverb.* XXIII.

<sup>21</sup> *Artem primum* ] Lamb. *artem facillimam non edificant; quam si facili, primum illi viderint.*

nec quisquam est eorum, qui, si jam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere. Tum autem, quod amore patriæ censes nos nostrorum majorum inventa nosse debere, non vides, veteres leges aut ipsas sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos jure civili fieri putas, quia legibus & pramia proposita sint virtutibus & supplicia vitiis; equidem putabam, virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo & persuadendo, non minis, & vi, ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud, etiam sine cognitione juris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus.

De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla juris scientia tamen causas satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me unquam jus civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in jure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim esse artificem cujusdam generis atque artis, aliud in communi vita & vulgari hominum consuetudine nec heberem, nec rudem. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis, invisere? tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit <sup>21</sup>, Magonis Carthaginensis sunt libri perdiscendi? an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in jure civili, praesertim cum in causis, & in negotiis, & in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc duntaxat, ne in nostra patria peregrini atque advena esse videamur?

Ac si jam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit cum hoc Scævola communicare; quanquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos, & exqui-

<sup>21</sup> Magonis ] Mago Carthaginensis scripsit Punice libris octo & viginti de re rustica, quos ex senatusconsulto Caius Dionysius

Uticensis converterit. *Varro lib. 1. de re rustica cap. 1. & Columella*, qui eundem rusticationis parentem appellat. *Iidem.*

sita deserant. An vero si de re ipsa, si de finibus, cum in rem praesentem non venimus, si <sup>22</sup> de tabulis, & <sup>23</sup> praescriptionibus controversa est, contortas res, & saepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur ne ea, si ab adolescentia juri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

LIX. Nihilne igitur prodest oratori juris civilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam, ei praesertim, cujus eloquentia copia rerum debeat esse ornata: sed multa, & magna, & difficilia sunt ea, quae sunt oratori necessaria; ut ejus industriam in plura studia distrahere nolim.

Quis neget opus esse oratori in hoc oratorio motu, statumque, Rosci gestum, & venustatem? tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quam vox? tamen me auctore nemo dicendi studiosus, Graecorum more, & tragicorum voci serviet, qui & annos complures sedentes declamitant, & quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, cum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt, & quasi quodammodo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties,

Tom. I.

C c

ries,

<sup>22</sup> De tabulis ] Tabulae sunt chartae scriptae, instrumentum litis: & quidem hic privatae tabulae intelliguntur; publicae enim tabulae sunt libri; & literae, quae publicam memoriam continent. *Iidem.*

<sup>23</sup> Praescriptionibus ] Praescriptio, hoc loco, (nam alio fere sensu nunc illa vox usurpatur) idem significat quod exceptio, seu exclusio. Exceptio est appositae quaedam clausula, quae vel prohibet, ne quis agat, hoc est, litem intendant; vel conditionem apponit, qua conditione vis & significatio legis ad hunc permittentis, certis limitibus circumscriptur. *Proffens.* Villos praescriptionibus, quae voce significatur Senatusconsulto, in quibus Senatorum auctoritas praescribatur: sed vox istius significatio hinc loco minime convenit: veram rationem praescriptionibus prolati Lambinus, secutus auctoritatem doctissimi M. Gualtheri, consentiens M. Bad. Nov. Wag. Noef. Contr. Mead. & editio Veneta. Nomen praescriptionis (inquirit Lambinus) locum habet in nominibus, tabulis, & rationibus. *Lib. 4. Ep. ad Att. ep. ultima: Hec natio, non verbi, sed nominibus, & praescriptionibus, multarum tabularum cum esse scita dicatur, & Mennius prolatum est.* Ora, uta Roscio Comedo: *Novo amentissimum scripta est, scribere, quod non debeatur: sic improbus est non vertere, quod debet: equi enim tabulae videtur mutatur esse, quod non videtur: & cum, qui scilicet praescribit, videtur, scilicet praescribere idem significat, ac in tabulis accepti & expensis scriptio: sed vox istius significatio non rationem, praescriptionem dicitur. *Forstius.**

nam praescriptionibus prolati Lambinus, secutus auctoritatem doctissimi M. Gualtheri, consentiens M. Bad. Nov. Wag. Noef. Contr. Mead. & editio Veneta. Nomen praescriptionis (inquirit Lambinus) locum habet in nominibus, tabulis, & rationibus. *Lib. 4. Ep. ad Att. ep. ultima: Hec natio, non verbi, sed nominibus, & praescriptionibus, multarum tabularum cum esse scita dicatur, & Mennius prolatum est.* Ora, uta Roscio Comedo: *Novo amentissimum scripta est, scribere, quod non debeatur: sic improbus est non vertere, quod debet: equi enim tabulae videtur mutatur esse, quod non videtur: & cum, qui scilicet praescribit, videtur, scilicet praescribere idem significat, ac in tabulis accepti & expensis scriptio: sed vox istius significatio non rationem, praescriptionem dicitur. *Forstius.**



detur, si modo ea facere, & persequi volent, quæ a te, Crasse, præcepta sunt: qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere visus es huic ætati, sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum prope necessarias. Nam & subita ad propositas causas exercitationes, & accuratæ & meditatæ commentationes, ac stylus ille tuus, quem tu vere dixisti *perfectionem dicendi esse ac magistrum*, multi sudoris est; & illa orationis suæ cum scriptis alienis comparatio, & de alieno scripto subita vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi causa, disputatio, non mediocris contentionis est, vel ad memoriam, vel ad imitandum.

LXI. Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquemque nostrum quasi quendam esse Roscium; dixistique, non tam ea, quæ recta essent, probari, quam quæ prava sunt, fastidiis adhærescere: quod ego non tam fastidiosè in nobis, quam in histriionibus, spectari puto. Itaque nos rancos sæpe attentissime audiri video: tenet enim res ipsa, atque causa: at Ælopum, si paulum irraulerit, explodi. A quibus enim nihil præter voluptatem aurium queritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa sunt, quæ teneant: quæ si omnia summa non sunt, (& pleraque tamen magna sunt,) necesse est, ea ipsa, quæ sunt, mirabilia videri.

Ergo, ut ad primum illud revertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodatè ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quæ sunt in usu civitatum vulgari, ac forensi: remotisque cæteris studiis, quamvis ea sint ampla, atque præclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes & dies urgeatur: imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta nature diligentia industriaque superaret: cumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando,

ut

ut nemo planius eo locutus putaretur. Deinde cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo esset assecutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant) binæ ei contentiones vocis, & remissiones continerentur. Qui etiam (ut memoria prodium est) coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuecebat; neque is consistens in loco, sed ambulans, atque ascensu ingrediens arduo.

Hæc ergo cohortationibus, Crasse, ad studium, & ad laborem incitandos juvenes vehementer assentior: cætera, quæ collegisti ex variis, & diversis studiis, & artibus, tametsi imple es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere sejuncta esse arbitror.

LXII. Hæc cum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius, & Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere.

Tum Crassus, Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis; atque haud scio, an aliter sentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam præstitit: ejus quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed jam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. Verum ego non solum arbitrabor, his præsertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet: sed majus quiddam videbam, cum censebam, oratorem, præsertim in nostra republica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officiis, præceptisque oratoris quaesita sunt: sed, opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. <sup>27</sup> Nunc & Scævola, quo-

<sup>27</sup> Nunc & Scævola ] Cur in his dialogis non peritet Scævola, causam afferit Tullius lib. xv. ad Atticum epist. 16. Quod in iis libris, quos laudas, perfero nam desideras Scævola; non tam temere dimovii; sed sui idem, quod in Scævola, deus



quoniam in Tusculanum ire constituit, paulum requiescet, dum se calor frangat: & nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam.

Placuit sic omnibus. Tum Scævola, Sane, inquit, vellem non constituiſſem, <sup>28</sup> in Tusculanum me hodie venturum esse, Lælio: libenter audirem Antonium: & cum exſurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod jus nostrum civile pervellit, quam jucundus, quod se id nefaire confessus est.

<sup>29</sup> deus ille noster Plato, cum in Piræum  
<sup>30</sup> Socrates venisset ad Cephalum locupletem,  
<sup>31</sup> & festivum senem: quoad primus ille sermo  
<sup>32</sup> haberetur, adeo in disputando sanæ;  
<sup>33</sup> deinde cum ipse quoque commodissime lo-  
<sup>34</sup> cutus esset, ad rem divinam dicit se vel-  
<sup>35</sup> le discolorere: neque postea revertitur. Cre-  
<sup>36</sup> do Platonem vix putasse satis consonum  
<sup>37</sup> fore, si hominem id ætatis in tam lon-  
<sup>38</sup> go sermone diutius retinisset. Multo ego  
<sup>39</sup> satis hoc mihi cavendum putavi in Scæ-

<sup>30</sup> vola; qui & ætate & valetudine erat ea,  
<sup>31</sup> qua meministi, & iis honoribus, ut vix  
<sup>32</sup> satis decorum videretur, cum plures dies  
<sup>33</sup> esse in Crassi Tusculano: & erat primi  
<sup>34</sup> libri sermo non alienus a Scævola stu-  
<sup>35</sup> diis. Reliqui libri *regiosius* habent, ut  
<sup>36</sup> scis. Hinc joculariter disputationis senem  
<sup>37</sup> illum, ut notas, interesse nolui. *Idem.*  
<sup>38</sup> <sup>28</sup> In Tusculanum] Aliam quandam agri  
Tusculani partem intelligit, ab ea disjunc-  
tam in qua erant. *Idem.*



D E  
O R A T O R E,  
L I B E R S E C U N D U S.

I. **M**AGNA nobis pueris; Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrina, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse: erantque multi, qui, quanquam non ita se rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus predicarent; ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor, & stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tam, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, & C. Aculeone propinquo nostro, & L. Cicerone patrio, solebamus; quod de Crasso pater, & Aculeo, <sup>1</sup> quocum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una <sup>2</sup> decesserat, multa nobis de ejus studio doctrinaque sæpe narravit: cumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filis, & ea disceremus, quæ Crasso placerent, & ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud sæpe intelleximus (cum essemus e-  
jusmodi, quod vel pueri sentire poteramus) illum & Græce sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, & docto.

<sup>1</sup> Quocum erat nostra matertera] Qui matris nostræ sororem habebat in matrimonio. *Plautus.*

<sup>2</sup> Decesserat] Id est, iussit se commiserat; non autem, ut quidam interpretantur,

mortuus fuerat: Cicero enim ille patruus, in patriam rediit, narrabat, quemadmodum Antonius Athenis & Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset. *Idem.*

quoniam in Tusculanum ire constituit, paulum requiescet, dum se calor frangat: & nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam.

Placuit sic omnibus. Tum Scævola, Sane, inquit, vellem non constituiſſem, <sup>28</sup> in Tusculanum me hodie venturum esse, Lælio: libenter audirem Antonium: & cum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod jus nostrum civile pervellit, quam jucundus, quod se id nefaire confessus est.

<sup>29</sup> deus ille noster Plato, cum in Piræum  
<sup>30</sup> Socrates venisset ad Cephalum locupletem,  
<sup>31</sup> & festivum senem: quoad primus ille sermo  
<sup>32</sup> haberetur, adeo in disputando sanæ;  
<sup>33</sup> deinde cum ipse quoque commodissime lo-  
<sup>34</sup> cutus esset, ad rem divinam dicit se vel-  
<sup>35</sup> le discolorere: neque postea revertitur. Cre-  
<sup>36</sup> do Platonem vix putasse satis consonum  
<sup>37</sup> fore, si hominem id ætatis in tam lon-  
<sup>38</sup> go sermone diutius retinisset. Multo ego  
<sup>39</sup> satis hoc mihi cavendum putavi in Scæ-

<sup>30</sup> vola, qui & ætate & valetudine erat ea,  
<sup>31</sup> qua meministi, & iis honoribus, ut vix  
<sup>32</sup> satis decorum videretur, cum plures dies  
<sup>33</sup> esse in Crassi Tusculano: & erat primi  
<sup>34</sup> libri sermo non alienus a Scævola stu-  
<sup>35</sup> diis. Reliqui libri *regiosius* habent, ut  
<sup>36</sup> scis. Hinc joculariter disputationis senem  
<sup>37</sup> illum, ut notas, interesse nolui. *Idem.*  
<sup>38</sup> <sup>28</sup> In Tusculanum] Aliam quandam agri  
Tusculani partem intelligit, ab ea disjunc-  
tam in qua erant. *Idem.*



D E  
O R A T O R E,  
L I B E R S E C U N D U S.

I. **M**AGNA nobis pueris; Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrina, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse: erantque multi, qui, quanquam non ita se rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus predicarent; ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor, & stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tam, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, & C. Aculeone propinquo nostro, & L. Cicerone patrio, solebamus; quod de Crasso pater, & Aculeo, <sup>1</sup> quocum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una <sup>2</sup> decesserat, multa nobis de ejus studio doctrinaque sæpe narravit: cumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filis, & ea disceremus, quæ Crasso placerent, & ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud sæpe intelleximus (cum essemus e-  
jusmodi, quod vel pueri sentire poteramus) illum & Græce sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, & docto-

<sup>1</sup> Quocum erat nostra matertera] Qui matris nostræ sororem habebat in matrimonio. *Plautus.*

<sup>2</sup> Decesserat] Id est, iussit se committere; non autem, ut quidam interpretantur,

mortuus fuerat: Cicero enim ille patruus, in patriam rediit, narrabat, quemadmodum Antonius Athenis & Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedidit. *Idem.*

doctoribus nostris ea ponere in percontando, eaque ipsum omnino in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. De Antonio vero, quamquam sæpe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis, vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset; tamen ipse adolescentulus, quantum illius incantis ætatis meæ patiebat pudor, multa ex eo sæpe quasi. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum, (nam jam tum ex me audiebas) mihi illum ex multis, varisque sermonibus, nullius rei, quæ quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, & nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre: Antonius autem<sup>3</sup> probabiliorẽ hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur: atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Græcos videretur. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere unquam & præstare potuisse.

II. Etenim cæteræ fere artes se ipsa per se tuentur singula: bene dicere autem, quod est scienter, & perite, & ornate dice-

<sup>3</sup> Probabiliorẽ hoc populo ] Ut se habet vulgata lectio, vox non eandem sententiam, quæ eorum adverbialiter: sed utraque semper comparativis præponitur, ut sæpe apud Ciceroam habes hoc scilicet, hoc magis, hoc inferioribus &c. Adde etiam, quod hoc tempus habet vel precedentem, vel sequentem particulam quæ, vel quia, sed in hoc loco vox hoc postponitur comparativo, & non aliam habet particulam, quam si, infrequentem. Facili scilicet mutatione locum sic licet restituere, Anonymus autem probabiliorẽ hunc populo orationem fore censebat suam, si, &c. hunc populo, id est, populo Romano. Nota hæc est, & vulgata Cicerois locutio. Sic l. 1. c. 51. qui in hoc po-

pulo foreque censebat. Omnem autem distributionem, opinor, eximet l. 2. c. 36. ubi sua dissimulationis rationem reddens Antonius dicit: Sæpe ego existimavi iustiores & probabiliores huic populo orationem fore, &c. Præterea.

<sup>4</sup> Bene dicere autem... cuius terminis septa tenetur ] Lambinus legit septimo: quod verissimum puto. Dicit enim est modus infinitivus substantivè acceptus, & neutrius generis. Immo quod neutrius est generis: vox idcirco septa feminini generis ferri non potest. Præterea. Si vera lectio est, septa, ore intellegitur, ex illis antecedentibus: Elegit orationem fore autem, Anonymus.

dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur. Omnia, quæcumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profiteretur; aut eloquentiæ nomen relinquendum est. Quare equidem & in nostra civitate, & in ipsa Græcia, quæ semper hæc summa duxit, multos & ingenii, & magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor: talem vero existere eloquentiam, qualis fuerit in Crasso, & Antonio, non cognitis rebus omnibus, quæ ad tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo.

Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis; vel ut illa opinio, quæ semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse: vel ut ea, quæ existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi, complectique potuissem: vel mehercule etiam ut laudem eorum jam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum, atque a silentio vindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse potuissem laborandum. Sed cum alter non multum, (quod quidem extaret,) & id ipsum adolescens; alter nihil admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingenii putavi, ut, cum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem.

Quod hoc etiam spe aggredior majore ad probandum, quia non de Servii Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria jam resellente: sed edo hæc iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, sæpe audierunt; ut duos summos viros, iis qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum & præsentium memoria teste, commendemus.

III. Nec vero te, carissime frater, atque optime, rhetorici nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor

Tom. I.

D d

ut

ut erudiam. Quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatus esse? Sed quoniam siue iudicio, ut soles dicere; siue, ut ille pater eloquentia de se Ilocrates scripsit ipse, pudore, a dicendo, & timiditate ingenua quadam refugisti; siue, ut ipse joci soles, unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem, sed pene in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, jejunitatem bonarum artium possit illudi. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi, & Antonii sermone esse praeferendum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci, ac percipi potuisse arbitraretur: quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam, rationemque dicendi per te ipsum; usum autem per nos percipere voluisti. Sed quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omnia nostra adhortatione, ad eorum, quos proposuimus, sermonem, disputationemque veniamus.

Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset, & apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Julio fratre venit: quod ubi audivit, commotus Crassus surrexit; omnesque admirati, majorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Qui cum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent, Quid vos tandem? Crassus; num quidnam, inquit, novi? Nihil sane, inquit Catulus. Etenim vides esse ludos. Sed vel tu nos ineptos licet, inquit, vel molestos putes. Cum ad me in Tululanum, inquit, heri vesperi venisset Caesar de Tulculano suo, dixit mihi, a se Scævola hinc euntem esse conventum, ex quo mira quadam se audisse dicebat: te, quem ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, & tanquam in schola prope ad Graecorum consuetudinem disputasse. Ita frater exoravit me ipsum, non quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed mehe-

mehercule verentem tamen, ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem. Scævola enim ita dicere ajebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. Hoc si tu cupidius factum existimas, Caesari attribues: si familiarius, utrique nostrum. Nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat.

IV. Tum Crassus, Equidem, quaecumque causa vos huc attulisset, letarer, cum apud me viderem homines mihi carissimos, & amicissimos: sed tamen vere dicam; quavis mallem fuisset, quam ista, quam dicis. Ego enim, (ut, quem admodum sentio, loquar,) nunquam mihi minus, quam hesternum die, placui: magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit; qui, dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus: secique id, quod ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod, transactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum venis-

Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus te in illa longiore ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta, plus quam ego apud te valere videantur, & te exorabo profecto, ut mihi quoque & Catulo tuae suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus licebit, non te urgebo, neque committam, ut, dum vereare ne tu sis ineptus, me esse iudices.

Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caesar, ex omnibus Latinis verbis hujus verbi vim vel maximam semper putavi. Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomine habere ductum, quod non sit aptus: idque in sermone nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt; aut plura loquitur; aut se ostentat; aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet; aut denique in aliquo genere, aut inconcinuus, aut multus est; is *ineptus* esse dicitur. Hoc vitio cu-

mulata est eruditissima illa Græcorum natio. Itaque quod vitium hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio impoluerunt: ut enim quæras omnia, quomodo Græci *ineptum* appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quæ sunt innumerabiles, haud scio, an ulla sit major, quam, ut illi solent, quocumque in loco, quoscumque inter homines vilium est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis argutissime disputare. Hoc nos ab istis adolescentibus facere, inviti & recusantes, heri coacti sumus.

V. Tum Catulus, Ne Græci quidem, inquit, Crasse, qui in civitatibus suis clari, & magni fuerunt, sicuti tu es, nosque omnes in nostra republica volumus esse, horum Græcorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt: nec tamen in otio sermones hujusmodi, disputationesque fugiebant. Ac si tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri; num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipsa, ubi inambulamus, & palæstra, & tot locis sessiones, gymnasiorum, & Græcarum disputationum memoriam quodam modo commovent? aut importunum tempus in tanto otio, quod & raro datur, & nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes hi sumus, ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus?

Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palæstram, & sedes, & porticus, etiam ipsos, Catule, Græcos, exercitationis & delectationis causa, non disputationis invenisse arbitror. Nam & seculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrere coeperunt; & hoc ipso tempore, cum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum, malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & gravissimis disputantem philosophum omnes

§ *Discum audire*] Discus est moles ferri, vel plumbi, vel etiam lapidis, quam juvenes certant ultra meram aliam, & finem constitutum, alius alio longius, projecte et conabantur. Quod ludi genus eleganter descripsit Homerus *Odyss.* lib. viii. Discum, quam philosophum audio malle, non sine proverbii specie dicitur de eo, qui ad ineptas voluptates propentior est, quam ad utilia. *Proflens.*

omnes unktionis causa relinquunt. Ita levissimam delectationem gravissimam, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. Orium autem quod dicis esse, assentior: verum otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio.

VI. Sæpe ex focero meo audivi, cum is diceret, focerum suum Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eoque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe, tanquam e vinculis, evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scævola, conchas eos, & umbilicos ad Cajetam, & ad Laurentum legere consuesse, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Sic enim se res habet: ut, quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suæ causa fingere & construere nidos; eandem autem, cum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa, passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestunt, ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore. Itaque illud, quod ego in causa Curiana Scævola dixi, non dixi secus ac sentiebam. Nam si, inquam, Scævola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus; omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? inquam: quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Tum illud addidi: Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit. In qua permaneo, Catule, sententia; neque, cum huc veni, hoc ipsum nihil agere, & plane cessare, delectat.

Nam, quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius, homo doctus, & perurbanus, dicere solebat, ea, quæ scriberet, neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam

6 *Umbilicos*] Id est, lapillos umbilicorum instar habentes. Quod noster hic vocat *umbilicos* & *umbilicos*. Val. Maximus lib. i. c. 8. vocat *umbilicos* & *calculos*. *Pearcius.*  
\* *Laurentum*] Man. *Lucrinum*

7 *In causa Curiana*] In oratione quam habui pro Curio, cujus causa expostio est libro superiore, cap. 30. *Præf.*  
\* *Quam ipse*] Lamb. *quam ipse de se intelligi vult; quo*

quam ipse; quo etiam scripsit, <sup>8</sup> *Perfium non curio legere*: (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus: ) <sup>9</sup> *Lelium Decimum volo*, (quem cognovimus virum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Perfium;) sic ego, si jam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi.

VII. Tum Cæsar, Equidem, inquit, Catule, jam mihi videor navasse operam, quod huc venerim. Nam hæc ipsa recusatio disputationis, disputatio quædam fuit mihi quidem perjuranda. Sed cur impedimus Antonium, cujus audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat, quemque jamdudum Cotta & Sulpicius expectant?

Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, & ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus. Ut hic suis hodie. Tum, cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Julius, pro utroque respondeo: sic faciemus: atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres.

Hic Catulus arrisit: & simul, Præcisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram; & hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facile promissit. Tum omnes oculos in Antonium conjecerunt: & ille, Audite vero, audite, inquit. Hominem enim audietis de schola, atque a magistro, & Græcis literis eruditum: & eo quidem loquar confidentius, quod Catulus auditor accessit; cui non solum nos Latini sermonis, sed etiam Græci ipsi solent

<sup>8</sup> *Perfium* ] De quo in Bruto, cap. 26. Idem.

<sup>9</sup> *Lelium Decimum volo* ] Nescio, consultatione, an errore in vulgatis editionibus comma post *Lelium* ponatur. Tam manifestum vero vitium non passus sum diutius Ciceroni adhaerere. Quippe Cicero singulos singulis opponit, Decimum Perfio, addisque relationem quoniam, non quæ. Omnes veteres editiones omittunt istam comam: in quo delendo nihil dubii est. Restat tamen alius nodus: nullquam enim *Decimus* cognomen est.

Sed præclare ad hanc rem facti, quod Cl. Spanhemius in suo tractatu de Re Nummaria observavit, nempe sapientissimum nomen poni noni nominis: sic in Dionysio Halicarn. habes *Πρω Αλκω*, & *Πρω Τρω*, l. 2. Antiq. Romanarum. Apud Dionem quoque, ipsiusque Ciceronem viri idem doctissimus observavit paritem ordinis mutationem. Porro Omphr. Panvinus in libro de Nom. Roman. dicit se lesisse *Mentium Cæcili*. Ergo *Lelium Decimum* idem valet, ac *Decimus Lelium*. Pezæus.

suae linguæ subtilitatem elegantiamque concedere. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid est, sive artificium, sive studium dicendi, <sup>10</sup> nisi accessit os, nullum potest esse; docebo vos, discipuli, id, quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam.

Hic posteaquam arriserunt, Res mihi videtur esse, inquit, facultate præclara, arte mediocri. Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur. Oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam & apud eos dicimus, qui nesciunt; & ea dicimus, quæ nescimus ipsi. Itaque & illi alias aliud iisdem de rebus & sentiunt, & judicant; & nos contrarias sæpe causas dicimus: non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, cum alterutri necesse sit falsum dicere; sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud defendat, cum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in ejusmodi re, quæ mendaciosa nixa sit, quæ sæpe ad scientiam non perveniat, quæ opiniones hominum & sæpe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiat.

VIII. Nos vero, & valde quidem, Catulus inquit, putamus; atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus. Exorsus es enim non gloriose; magisque, ut tu putas, a veritate, quam a nescio qua dignitate. Ut igitur de iplo genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam: sic illud affirmo, præcepta posse quædam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, & <sup>11</sup> ad excipiendas eorum voluntates. Hujus rei scientiam si quis volet magnam quandam artem esse dicere, non repugnabo. Etenim cum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant; nonnulli autem propter exercitationem, aut propter

<sup>10</sup> *Nisi accessit os* ] Os in hoc loco confidentiam, audaciam & impudentiam quandam significat. Oportet, inquit, mo pene esse impudentem, qui velim docere quod ipse nunquam didicerim: sed quoniam oratores audaciam hanc in laude ponunt, neque orator esse bonus quicumque potest, nisi sit idem ore durius, & paulo confidentior, aggrediens sane ad dicendum, quid sentiam de

eloquentia. Præstet.

<sup>11</sup> *Ad excipiendas eorum voluntates* ] Fortasse, ad excitandas. Muret. Lambini Mss. habuit *captandas*: sed cave quid mures; illa enim vox idem valet ac hæc; ut in Horatii epist. lib. 1. ep. 2. v. 78.

*Plerique videtur constanti curant*, Excipiuntque sententias, quæ in vicariis mutant. Pezæus.

pter consuetudinem aliquam callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit quare alii melius quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit.

Atque utinam, ut mihi illa videre videor in foro atque in causis, ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, possum vobis exponere! Sed de me videro: nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfectio oratore præclarius. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata & libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus aut mentibus jucundius percipi possit. Qui enim canis moderatè orationis pronuntiatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in suscipienda veritate jucundior? Quid autem subtilius, quam acuta, crebraque sententiæ? quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quæ quidem ornate dici graviterque debeat.

IX. Hujus est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententiæ: ejusdem & languentis populi incitatio, & effrenati moderatio. Eadem facultate & fraus hominum ad perniciem, & integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatus, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis mœrorem levare mitius consolando?

Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vitæ, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quæ verborum, aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profiteatur: aut si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem, eamque variare, & distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus: aut si via ulla, nisi

nisi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum, aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod hæc ars profiteatur, alienum esse, aut ei cum aliqua alia arte esse commune.

Sed, si in hac una est ea ratio atque doctrina: non, si qui aliarum artium bene locuti sunt, eo minus id est hujus unius proprium. Sed, ut orator de iis rebus, quæ cæterarum artium sunt, si modo eas cognorit, ( ut heri Crassus dicebat ) optime potest dicere: sic cæterarum artium homines ornatus illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. Neque enim si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit, aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit eloquentia: in qua quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur: sed, quod cujusque sit proprium, etsi ex eo judicari potest, cum videris quid quæque doceant, tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes alia sine eloquentia suum munus præstare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest: ut cæteri, si disertis sint, aliquid ab hoc habeant; hic nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

X. Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuæ, patiere tamen, mihi que ignosces. Non enim possum, quin exclamem, " ut ait ille in Trinummo: ita mihi vim oratoris cum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime; quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet. Debet enim ad eam laudandam, ipsam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porro: tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum, diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, cum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo.

Tom. I.

E e

At

<sup>12</sup> Ut ait ille in Trinummo ] Ut ait servus in comœdia Plauti, quæ Trinummus inscribitur, act. III. Sc. 2. vers. 78.

At Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit: nam hesterno sermone unius cuiusdam operis, ut ait <sup>13</sup> Cæcilius, remigem aliquem, aut bajulum, nobis oratorem descriperas, inopem quandam humanitatis, atque inurbanum.

Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos a te discipulos abducerem: nunc, Catulo audiente, & Cæsare, videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere. Sequitur igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro, atque in oculis civium constituendus, ut videamus, quid ei negotii demus, cuique eum muneri velimus esse præpositum. Nam Crassus heri, cum vos, Catule & Cæsar, non adfueritis, posuit breviter in artis distributione idem, quod Gracii plerique posuerunt: neque sane quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit: duo prima genera questionum esse, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum.

Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo: Expetendane esset eloquentia: expetendine honores. Certum autem, in quo quid in personis, & in constituta re, & definita quæreretur: cuiusmodi sunt, quæ in foro, atque in civium causis, disceptationibusque versantur. Ea mihi videntur aut in lite ordinanda, aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium, quod & a Crasso tactum est, &, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui hæc maxime illustravit, adjunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium.

Quidnam? inquit Catulus, an laudationes? id enim video poni genus tertium.

### XI. Ita,

<sup>13</sup> Cæcilius ] Natione Insulæ Gallus, professione comicus poeta. Quod servus fuisset, sterile nomen habuit *Stratus*, ut notat Gellius lib. iv. cap. 20. Vixit Romæ, & comædiæ princeps habitus est ætate sua. Eum licet dicat Cicero malum Latinitatis auctorem, tamen ei primas inter comicos tribuit Volcatius Sedigitus, quod refert Gellius lib. xv. cap. 24. Ipse Tullius lib. de opt. gen.

Orat. cap. 1. videtur ipsi primum inter comicos locum dare. Sine apud Nolum in verbo *poscere* Varro principatum in argumentis Cæcilio dedit. In *argumentis Cæcilius posuit palmam*, in *Ætate Tarentinus*, in *sermone Plautus*. Claruit Cæcilius anno U. C. DLXXVII. De illo plura Vossius. *Idem*.

XI. Ita, inquit Antonius, & in eo quidem genere scio & me, & omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, cum abs te est Popilia, mater vestra, laudata; cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto: sed non omnia, quæcumque loquimur, mihi videntur ad artem & ad præcepta esse revocanda. Ex his enim fontibus, unde omnia ornate dicendi præcepta sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare, quæ ut nemo tradat, quis est, qui nesciat, quæ sint in homine laudanda? Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis suæ, quam <sup>14</sup> contra collegam censor habuit, principio dixit, *Quæ natura, aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci, posse animo a quo pati; quæ ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati vinci non posse*: qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortuna bona. Ea sunt, generis, pecuniæ, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formæ, virium, ingenii, cæterarumque rerum, quæ sunt aut corporis, aut extraneæ: si habuerit, bene his usum: si non habuerit, sapienter caruisse: si amiserit, moderate tulisse. Deinde quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Hac, & quæ sint ejus generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam: & qui vituperare, contraria.

Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? non enim, si est Cæcilius, eo de numero quoque est excerpendum.

Quia nolo, inquit, omnia, quæ cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine præceptis suis. Nam & testimonium sæpe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse

E e 2 fuit

<sup>14</sup> Contra collegam ] Cn. Domitium Ahenobarbum, Neronis imperatoris avum, de quo dicebatur non esse mirandum, quod barbam haberet atheniensem, cui os ferreum, & cor plumbeum esset. Censor fuit anno U. C. DLXXII. Cum L. Crasso graves exercuit

inimicitias. Vide Plinium lib. xvii. cap. 1. & Valerium Maximum lib. ix. cap. 1. *Idem*.  
<sup>a</sup> *Esse* ] Lamb. *est natura & fortune*  
<sup>b</sup> *Sapienter* ] Lamb. *pariter*.



fuit in <sup>15</sup> Sex. Titium, seditiosum civem, & turbulentum: explicavi in eo testimonio dicendo, omnia consilia confidatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restititsem; quaque ab eo contra rempublicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audiui, multa respondi. Num igitur placet, cum de eloquentia præcipias, aliquid etiam de testimonio dicendis, quasi in arte tradere? Nihil sane, inquit Catulus, necesse est.

XII. Quid si (quod sæpe summis viris accidit) mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu? num quia genere orationis in huiusmodi causis accuratior est utendum, idcirco pars etiam hæc causarum numeranda videtur, aut propriis præceptis instruenda? Minime vero, inquit Catulus: non enim deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas, ex cæteris rebus & causis comparata.

Ergo item, inquit, illa, quæ sæpe diserte agenda sunt, & quæ ego paulo ante (cum eloquentiam laudarem) dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium, neque certum præceptorum genus, & agenda sunt non minus diserte, quam quæ in lite dicuntur, oburgatio, cohortatio, consolatio: quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret: sed ex artificio res ista præcepta non quarunt. Plane, inquit Catulus, assentior.

Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si, ut Græci scripserunt, summi, inquit Catulus: si, ut nostri, nihil opus est oratore: Satis est non esse mendacem. Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Græci ipsi sic initio scriptarunt, <sup>16</sup> ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei, memoriarque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulo-

<sup>15</sup> Sex. Titium ] Hic tribunus plebis fuit anno U. C. DCLV. Cum agraria lege lata plebem sibi vellet demereri, consulenti Antonium, qui hinc loquitur, sermō habuit ad-

verſarium. Julius Obſequens. Idem.

<sup>16</sup> Ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso ] De quibus in Bruto.

gulum annorum mandabat literis pontifex maximus, afferbatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc Annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos <sup>17</sup> Pherecydes, <sup>18</sup> Hellanicus, <sup>19</sup> Aschilas fuit, aliique permulti; talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent quibus rebus ornatur oratio, (modo enim huc ista sunt importata) & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse, breviter. Paululum se erexit, & addidit historiæ majorem sonum vocis vir optimus, Grassi familiaris, <sup>20</sup> Antipater. Cæteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

XIII. Est, inquit Catulus, ut dicis. Sed iste ipse Cælius neque distinxit historiam <sup>21</sup> varietate locorum; neque verborum colloatione, & tractu orationis leni & æquabili perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores.

Minime miram, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiæ nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat: apud Græcos autem eloquentissimi homines, remoti a causis foren-

<sup>17</sup> Pherecydes ] Atheniensis historicus, a quo a Pherecyde Scyrio antiquiore, physico, & theologo, historiam primæ orationis nomen sinita scriptis. Datis, Hythalpis filii, temporibus, adeoque floruit circa Olympiadem lxxvii. Eusebium & Suidam, qui duos agnoscunt Pherecydas historicos, graviter errare observavit Scæger, Scægele probat Vossius lib. iv. de historicis Græcis cap. 4. Idem.

<sup>18</sup> Hellanicus ] Hellanici duo sunt. Alter Mitylenæus, sive Lesbii, scripsit de antiquissimis gentium principibus, & alia quam plurima: Herodotum annis duodecim præcessit, ut ex Pamphila refert Gallus lib. xv. cap. xxxiii. adolescens natus est anno i. Olympiadis lxxi. nec nisi octoginta quinque post annis obiit, ut testatur Lucianus in Macro-

bitis. Alter Milesius fuit. De utroque suo more Vossius eruditè dissertit. Idem.

<sup>19</sup> Aschilas ] Argivus historicus: quæ vincta numeris oratione Heliodorus, eadem soluta scriptis; aut potius huius carmina pedestrem in sermonem tranſtulit, & tanquam sua edidit, ut docet Clemens Alexandrinus lib. vi. Stromatum. Paulo ante Persæum in Græcos expeditionem, hoc est, Olympiade cicciter lxxv. vixisse tradit Josephus lib. ii. contra Apionem. Idem.

<sup>20</sup> Antipater ] In Bruto, c. 26.

<sup>21</sup> Varietate locorum ] Id est, regionum: & ita Cicero in cap. sequenti, cum de Historiæ legibus sermo est, dicit, Rerum variis vicibus temporum distendat, regionum diversitatem. Pearcius.

forensibus, cum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego Græce scripta intelligere possim, magnopere delectet. Et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porro verbis aptus, & pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in republica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas distarunt: & hos libros tum scripsisse dicitur, cum a republica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero, <sup>22</sup> quasi ex clarissima rhetoris officina, duo prestantes ingenio, Theopompus, & Ephorus, ab Ilocrate magistro impulsu, se ad historiam contulerunt: causas omnino nunquam attigerunt.

XIV. Denique etiam a philologia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille; post ab Aristotele <sup>23</sup> Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam: & hic quidem rhetorico pene more: ille autem superior leniore quodam sono est usus, & qui illum impetum oratoris non habeat: vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium <sup>24</sup> Timæus, quantum

au-

<sup>22</sup> Quasi ex clarissima Rhetoris officina ] M. Hæc t. hunc ordinem verborum servat, ut scripta quasi Rhetoris officina. Bene, cum enim vox quasi ad vim solius vocis officina levandam usurpetur, longe ab ea abesse non debet. Sic Cicero de Leg. lib. 1. c. 13. Philosophi quasi officinas intraxerunt sapientie: & in Bruto c. 8. Domus Socraticæ, quasi ludus quidam atque officina dicendi &c. &c.

<sup>23</sup> Callisthenes ] Olympius, Aristotelis non

modo discipulus, verum etiam consobrinus, ut narrat Laertius, tantæ fuit arrogantia, ut scripta sua factis Alexandri Magni superiora esse prædicaret. Odiosus Alexandro, quod divinus ipsi decerni honores distulisset, minimeque aulæ & assentantium accommodatus ingenio, in fine in capite regis conjugationis falso suspectus, ante totum interitum Olympiæ cecit. Cassius, lib. viii. Proseus.

<sup>24</sup> Timæus ] Tauromenii in Sicilia natus, præterea

autem judicare possum, longe eruditissimus, & rerum copia & sententiarum varietate abundantissimus, & ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

Hæc cum ille dixisset, Quid est, inquit, Catule, Cæsar? ubi sunt, qui Antonium Græce negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter? quam proprie de unoquoque dixit? Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud jam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, cum hæc nesciret, in dicendo posse tantum. Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros, & nonnullos alios, sed delectationis causa, cum est otium, legere soleo. Quid ergo est? fatebor aliquid tamen: ut, cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer: sic, cum istos libros ad <sup>25</sup> Misenum (nam Romæ vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, hæc duntaxat in Græcis intelligo, quæ ipsi, qui scriperunt, voluerunt a vulgo intelligi. In philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis & illustribus, de virtute, de justitia, de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intelligo: ita sunt angustis & concisis disputationibus illigati. Poetas omnino, quasi aliena quadam lingua locutos, non conor attingere. Cum his me (ut dixi) oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scriperunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares. Sed illic redeo.

XV.

tus, recentis circiter ante Christum annis floruit, regnante Apagthocle: cui, ob insipientem exillum, incitendi studio fuit præter modum inferosus, adeo ut in hujus principis rebus nullam, auctore Suida, fidem mereatur. Varia fuit de ipso veterum sententia: hic eximie laudatur a Cicerone. Eum alii censent nullo delectu quilibet in suis historiis infarsisse, Helychiusque & Suidas tum præteritæ, tum collectivæ, appellatum fuisse referunt. Longius libro <sup>26</sup> Timæum dicit sæpe frigidum, & ad pue-

ria delabi. Ait Diodorus Siculus propter intempestivas reprehensiones nuncupatum esse Lucianum, id est reprehensorem. Annos xxvi. vixit, teste Luciano in Macrobiis. Item.

\* Quid ergo ] Lamb. Quid ergo? Est, fertur, aliquid tamen.

<sup>25</sup> Misenum ] Misenus, mons Campaniæ: oppidum vocat Josephus & Orosius: a Misenio qui Æneam in Italiam secutus erat, nomen accepit. Virgilius Æneid. lib. vi. Idem.

XV. Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis, & varietate maximum. Neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum præceptis. <sup>26</sup> Sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo; ne qua similitudo? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus.

Ipsa autem exadificatio posita est in rebus & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriae dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus expectantur, & de consiliis significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari non solum quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: & cum de eventu dicatur, ut causa explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gesta, sed etiam, qui fama ac nomine excellent, de cuiusque vita, atque natura.

Verborum autem ratio, & genus orationis, iusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili proficiens, sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Harum tot, tantarumque rerum videtisne nulla esse præcepta, quæ in artibus rhetorum reperiantur? In eodem silentio multa alia oratorum officia jacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda sunt omnia disertissime: sed locum suum in illis artibus, quæ tradita sunt, habent nullum.

Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique (ut etiam Crassus offendit) duo genera ad dicendum dederunt. Unum, de certa definitaque causa, quales sunt, quæ in litibus, quæ in deliberationibus versantur: addat, si quis volet, etiam laudationes. Alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, & sine persona, quæstionem. Hoc quid,

<sup>26</sup> Sita sunt enim ante oculos ] Nescio an quod mox dicitur: Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Mar. feret illud sita? Conjecturam confirmat, \* Peri ] Vid. Man. Grut. vire

& quantum sit, cum dicunt, intelligere mihi non videntur. Si enim est oratoris, quæcumque res infinite posita sit, de ea posse dicere, dicendum erit ei, quanta sit lols magnitudo, quæ forma terra: de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, reculare. Denique ei, qui profiretur esse suum, non solum de iis controverfiis, <sup>27</sup> quæ temporibus, & personis notæ sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quæstionibus dicere, nullum potest esse genus orationis quod sit exceptum.

XVI. Sed si illam quoque partem quæstionum oratori volumus adungere vagam, & liberam, & late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de virtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de cæteris virtutibus, contrariisque vitiis, dicendum oratori putemus: itemque de republica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus: assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus.

Equidem omnia, quæ pertinent ad usum civium, morem hominum, quæ versantur in consuetudine vita, in ratione republica, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto: si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat, at certe ut in causa prudenter possit intextere: hisce autem ipsis de rebus ut ita loquatur, ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates constituerunt, locuti sunt, simpliciter & splendide, sine ulla serie disputationum, & sine jejuna concertatione verborum.

Hoc loco, ne quæ sit admiratio, si tot, tantarumque rerum

Tom. I.

F f

rum

<sup>27</sup> Quæ temporibus & personis notæ sunt ] Imitatam hanc esse locutionem arbitror est Lambinus, & legit orate: quod vehementer probat. Sic enim olim edidit Manutius, & sic Cicero in lib. 1. de Or. c. 31. distinguit infinitam quæstionem a finita,

quia illa non designatur temporibus ac personis. Sic in Parc. Orat. Alterum inhumanum, nullis neque personis, neque temporibus notatum. Et alibi: Triæ disputationes sive, quæ in iis controversiis oriuntur, quæ sunt certis personis & temporibus notatæ &c. Pearce.

num nulla a me præcepta ponentur, sic statuo. Ut in ceteris artibus, cum tradita sunt cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non necesse esse: ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel formæ, vel ætatis, etiam si non didicerit, pingere: neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit: neque enim est omnino ars ulla, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed quæ primarum & certarum rerum genera ipsa didicerant, reliqua non incommode persequuntur: similiter arbitrator, in hac sive ratione, sive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de republica, aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad summum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus qualiturum esse quid dicat, quam Polycletum illum, cum Herculem fingeat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiam si hæc nunquam separatim facere didicisset.

XVII. Tum Catulus: Præclare mihi videris, Antoni, posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus; <sup>28</sup> quid, etiam si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. Deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarum; cetera innumerabilia exercitationi, & similitudini reliquisti. Sed video, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit & pellis: Hercules autem, & alia opera majora, ne in illis rebus, quas præmittis, relinquuntur. Non enim mihi minus operis videtur de universis generibus rerum, quam de singulorum causis, ac multo etiam majus de natura deorum, quam de hominum litibus dicere.

Non est ita, inquit Antonius. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam (id quod est majus) expertus. Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini

<sup>28</sup> Quid, etiam si non didicisset? Lambinum sequitur suum, elegantiorisque cæteris orationem fore, si sic eam interpungas, &c. Idem. Quid etiam, si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. Vulgo Quid, etiam si &c. Idem.

mini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum, & politioris humanitatis experti. In causarum contentione magnum est quoddam opus, atque haud sciam an de humanis operibus longe maximum: in quibus vis oratoris plerumque ab imperiti exitu & victoria iudicatur: ubi adest armatus adversarius, qui sit & feriendus & repellendus: ubi sæpe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario, & inimicus tibi est: cum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus: in quo sæpe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est: qui tanquam machinatione aliqua, tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad lætitiæ est contorquendus. Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum. Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, <sup>29</sup> plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tanquam Phidias, Minervæ signum efficere possit; non sane, <sup>30</sup> quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere discat, laborabit.

XVIII. Tum Catulus: Quo ista majora, ac mirabilia fecisti, eo me major expectatio tenet, quibusnam rationibus, quibusve præceptis ea tanta vis comparetur: non quo mea quidem jam interfit, (neque enim ætas id mea desiderat, & aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam

F f 2 sen-

<sup>29</sup> Plena veritatis? Id est, plena vis affectibus, quos non præ se fert; sed coverta habet Orator. Quintil. Inst. Or. lib. 6. c. 2. Histrionum affectus falsos vocat, Oratorum veros; additque, nec operari (i. e. nos Oratores) veris quasi alienis, sed assummas illius dolorem. Vide etiam quæ de eodem re loquitur Noster in hujus libri c. 45, 46, 47. Idem.

<sup>30</sup> Quemadmodum in clypeo idem ille artifex? Minus, ut sit hic locus integer. Per voces idem ille artifex significatur Phidias: num igitur hoc dicit Antonius, neminem sculpsit laboraturum esse, quemadmodum Phidias discat facere illa opera minora? Nihil minus: sed quemadmodum ipse discat. Enim scilicet igitur locum hoc modo censeo. Non sane, quemadmodum in clypeo, ut idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit. In doliis librarius voces ut &c. quemadmodum idem significare suspicari videbantur. Nunc vero postioris sententiæ priori bene respondet, Sensus autem est: Si quis possit efficere signum Minervæ, ut efficit Phidias, facile discet minora illa opera, quæ in clypeo erant, facere, ut idem Phidias facile didicit. Idem.

sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis, tantum quantum ipsi pariebantur, accepimus) sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus, requiro. Nec mihi opus est Græco aliquo doctore, qui mihi pervulgata præcepta decantet, cum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium aspexerit; ut Peripateticus ille dicitur Phormio; cum Annibal Carthagine expulsum Ephelum ad Antiochum venisset exul; proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitiis suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret; cumque se non nolle dixisset; locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum, cum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Annibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic Pænas non optime Græce, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes sæpe vidisse: sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria: quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Annibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi præcipiunt, videntur. Quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut Annibalem, sed pueros, aut adolescentulos docere conantur.

XIX. Erras, Catule, inquit Antonius. Nam egomet in multos jam Phormiones incidi. Quis enim est istorum Græcorum, qui quenquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perperior & perfero. Nam aut aliquid asserunt, quod mihi non displiceat: aut efficiunt, ut me non didicisse minus poeniteat. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Annibal, & eo fortasse plus habeo etiam negotii: sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possunt,

possunt, perdidicula. Dividunt enim totam rem in duas partes, in causâ controversiam, & in questionis. Causam appellant, rem positam in disceptatione rerum & controversia: questionem autem, rem positam in infinita dubitatione. De causa præcepta dant: de altera parte dicendi mirum silentium est. Denique faciunt quasi membra eloquentiæ, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere, ac pronuntiare: rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit, neminem posse apte dicere, nisi & quid diceret, & quibus verbis, & quo ordine diceret, haberet, & ea meminisset? Atque hæc ego non reprehendo: sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem, (quoniam aliter ab aliis digeruntur) in quas est ab his omnis oratio distributa. Jubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat benevolam nobis faciamus, & docilem, & attentum. Deinde rem narrare, ita ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis. Post autem dividere causam, aut proponere: nostra confirmare argumentis, ac rationibus: deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis, & quasi perorationem collocant: alii jubent, antequam peroretur, ornandi, aut augendi causa, digredi: deinde concludere, ac perorare. Ne hæc quidem reprehendo: sunt enim concinne distributa: sed tamen, id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis, non perire. Quæ enim præcepta principiorum, & narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam & ego mihi benevolam iudicem facilius facere possum in cursu orationis; quam cum omnia sunt inaudita: docilem autem, non cum polliceor me demonstraturum, sed tum, cum doceo, & explano: attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere possumus.

Jam vero narrationem quod jubent verisimilem esse, & apertam, & brevem, recte nos admonent. Quod hæc narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi

\*In discept. ] Lamb. in disceptatione fuit rerum controversiarum.

mihî videntur errare: omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile caterorum; cuiusmodi de ipso jure civili hesternò die Crassus componi posse dicebat: ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum prætermittatur: deinde singulorum generum partes, in quo & deesse aliquam partem, & superare, mendosum est: tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet, neque redundare.

XX. Sed hoc si in jure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt; non idem sentio tanta hac in re, tamque immensa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui hæc docent. Omnia jam explicata & perpolita assequuntur. Sunt enim innumera de his rebus libri, neque abditæ, neque obscuri. Sed videant quid velint, ad ludendumne, an ad pugnandum arma sumpturi. Aliud enim pugna, & acies: aliud ludus, campusque noster desiderat. Attamen ars ipsa ludicra armorum, & gladiatorii, & militi prodest aliquid: sed animus acer, & prærens, & acutus idem atque veritus invidios viros efficit, non difficilius arte conjuncta.

Quare ego tibi oratorem sic jam instituiam, si potero, ut, quid efficere possit, ante perspiciam. Sit enim mihi <sup>21</sup> tinctus literis; audierit aliquid, legerit, ista ipsa præcepta acceperit: tentabo quid eum deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos pervenire: non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur, obsecrabo. Tantum ego in excellentè oratore, & eodem viro bono, pono esse ornamentum universæ civitati. Sin videbitur, <sup>22</sup> cum omnia summa sece-

<sup>21</sup> Tinctus literis ] Contra Bodæum illuc explicat P. Victorius, Var. Lect. x. 27. Gruæ.

<sup>22</sup> Cum omnia summa secevit &c. ] Ut se habet vulgata lectio summa, ni fallor, Cicerò aliud dicit, ac dicere vult. Omnia summa secevit, est, esse perfectum in his rebus, quas quis aggreditur. Sed pater ex verbis sequentibus, tametsi ad mediocres &c. non

hoc Ciceronem velle. Lege igitur cum Mss. Cant. Wæ. Harl. & Joan. cum omnia summe secevit, id est, cum omnia tentaverit obtinere, & manibus ( ut ajunt ) perhibetur. Fieri vero potest, ut, aliquis totis viribus conetur, nihil tamen proficiat. Passim apud Ciceronem occurrunt, summe sollicitate, summe contentere &c. Pezzitur.

fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus: permittam ipsi, quid velit; molestus magnopere non erò. Sin plane abhorrebit, & erit absurdus: ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. Nam neque is, qui optime potest, deferendus ullo modo est a cohortatione nostra; neque is, qui aliquid potest, deterrendus: quod alterum, divinitatis mihi cuiusdam videtur: alterum, vel non facere quod non optime possis, vel facere quod non pessime facias, humanitatis: tertium vero illud, clamare contra quam deceat, & quam possit, hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixisti, stultitiæ suæ quam plurimos testes domestico præconio colligentis. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus adjuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea duntaxat, quæ nos usus docuit, ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus.

XXI. Atque, ut a familiari nostro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium, cum primum in causa parvula adolescentulum audivi, voce, & forma, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quaerimus: oratione autem celeri & concitata, (quod erat ingenii) & verbis effervescentibus, & paulo nimium redundantibus, (quod erat ætatis) non sum aspematus. Volo enim se efferat in adolescentente secunditas. Nam facilius, sicut in vitibus, revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur; ita volo esse in adolescentente, unde aliquid amputem: non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. Vidi statim indolem, neque dimisi tempus, & eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad dicendum: magistrum autem, quem vellet, eligeret: me quidem si audiret, L. Crassum. Quod iste arripuit, & ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratia scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meæ, cum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi

mihî sit visum inter eum, qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Crassi magnificum, atque præclarum natura ipsa ducebat: sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem, studio atque imitatione, intendisset, atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum atque omni animo intueretur.

XXII. Ergo hoc sit primum in præceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur, atque ita, ut, quæ maxime excellent in eo quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores sæpe cognovi, qui aut ea, quæ facilia sunt, aut etiam illa, quæ insignia, ac pene vitiosa, consectantur imitando. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicujus, aut statum, aut motum. Si vero etiam vitiole aliquid est, id sumere, & in eo vitiosum esse, non magnum est: ut ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in republica Fufius, nervos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non assequitur; oris pravitatem, & verborum latitudinem imitatur. Sed tamen ille nec deligere scribit, cujus potissimum similis esset, & in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit.

Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo: deinde, quem probavit, in eo, quæ maxime excellent, ea diligentissime persequatur. Quid enim causa censetur esse, cur ætates extulerint singula singula prope genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus judicare, quia scripta, ex quibus judicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Græcis: ex quorum scriptis, cujusque ætatis quæ dicendi ratio, voluntæque fuerit, intelligi potest.

Antiquissimi sere sunt, quorum quidem scripta consent, Pericles, atque Alcibiades, & eadem ætate Thucydides; subtiles, acuti, breves; sententiis magis, quam verbis abundantes. Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt

hos

hos Critias, Theramenes, Lyfias. Multa Lyfias scripta sunt, nulla Critias, de Theramene audivimus. Omnes etiam tum retinebant illum Periclis succum, sed erant paulo uberiori solo. Ecce tibi exortus est Ilocrates, magister istorum omnium, cujus e ludo, tanquam ex equo Trojano, \* meri principes exierunt; sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.

XXIII. Itaque & illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucrææ, multique alii naturis differunt: voluntate autem <sup>33</sup> similes sunt inter sese, & magistri: & ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Æschines, Dinarchus, alique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitanda genere veritati, quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi, studiumque vixit.

Posteaquam, extinctis his omnis eorum memoria sensim obscurata est & evanuit; alia quedam dicendi molliora, ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt fororis filium fuisse Demosthenis; tum Phaleræus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, alique eorum similes extiterunt. Quæ si volumus usque ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandenlem illum Meneælem, & ejus fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitatur Asia: sic semper fuisse aliquem, cujus se similes perique esse velent.

Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur. Quod si hic noster Sulpicius faceret, multo ejus oratio esset pressior: in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxurians quedam, quæ stylo depascenda est.

Tom. I.

G g

Hic

\* Meri ] Man. innumer.

<sup>33</sup> Similes sunt & inter sese, & magistri] Græci obvia nimis contendit pro vulgata lectione, & inter sese magistri: sed, quid vellet inter sese magistri, nescio. Auditorum igitur Mss. Caut. Noth. Bod. Bal. Nov. Wag. necnon omnium veterum editionum sic locum satvaxi, voluntate autem similes sunt &

inter sese, & magistri. Hoc sensu: Omnes illi discipuli Ilocratis idem scribendi genus secuti sunt: omnesque Ilocratis, magistri sui, in scribendo similes sunt. Sequitur ergo quod hoc exemplo probare voluit Antonius, eos omnes aliquem, nempe Ilocratem, sibi imitandum proposuisse. Idem.

Hic Sulpicius: Me quidem, inquit, recte mones, idque mihi gratum est: sed ne te quidem, Antoni, multum scripserat arbitrator. Tum ille: Quasi vero, inquit, non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipsi defunt. <sup>34</sup> Sed tamen <sup>35</sup> ne tabulas quidem conficere existimor: verum & in hoc, ex re familiari mea, & in illo, ex eo, quod dico, quantum id cumque est, quid faciam, judicari potest.

Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur, & suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur: quod & in vobis animadverti recte potest, Cæsar, & Cotta, quorum alter imitatum quidem nostris oratoribus leporem quandam, & salem; alter acutissimum, & subtilissimum dicendi genus est consecutus. Neque vero <sup>36</sup> vester æqualis Curio, patre, mea sententia, vel eloquentissimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imitari: qui tamen verborum gravitate, & elegantia, & copia, suam quandam expressit quasi formam, figuramque dicendi; quod ego maxime potui judicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Gossis dixit. In qua nihil illi defuit, quod non modo copiosius, sed etiam sapiens orator habere deberet.

XXIV. Verum, ut aliquando ad causas deducamus illum, quem constituimus, & eas quidem, in quibus plurculum negotii est, judiciorum, atque litium, (riserit aliquis fortasse hoc præceptum: est enim non tam acutum, quam necessarium; magisque monitoris non fatui, quam eruditi magistri) hoc ei primum præcipiemus, quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusque cognoscat. Hoc in ludo non præcipitur: faciles enim causæ ad pueros deferuntur. Lex pere-

<sup>34</sup> Sed tamen ne, &c. ] Hæc est Antonii sententia. Non tamen sum in scribendo tam negligens, quam dicit. Quomodo enim existimor non conficere tabulas, quas tamen a me confici fati probat res mea familiaris recte administrata: sic scribendi executionem penitus a me non mitti, fati declarax hæc mea, quantumcumque est, dicendi facultas & copia, quam videlicet nunquam, nisi crebro multumque feri-

bendo, affecturus essem. Præfatus.

<sup>35</sup> Ne tabulas quidem conficere ] Veteres Romani tabulas rei familiaris sue conficere solebant: qui eas non conficerent, suorum rerum negligentiores putabantur. De tabulis domesticis Romanorum vide Testin. Afcionii in Lex. Hoffmanni Tom. 4. Præfatus.

\* Vester ] Lamb. vester.

regnum vetat in murum ascendere: ascendit: hostes repulit: accusatur: nihil est negotii, hujusmodi causam cognoscere. Recte igitur nihil de causa discenda præcipiunt. Hæc est enim in ludo causarum fere formula. At vero in foro, tabularum, testimonia, <sup>36</sup> pacta, conventa, stipulationes, cognationes; affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentia plerasque causas, & maxime privatas (sunt enim multo sæpe obscuriores) videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare, & a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio; vel negligentia, susceptis rebus; vel perfidia, receptis: sed etiam illa major opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere. Ita dum <sup>37</sup> inertia vituperationem, quæ major est, contemunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis.

Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, & ut ne quis alius adit, quo liberius loquatur; & agere adversarii causam, ut ille agat suam, &, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque cum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi æquitate, meam, adversarii, judicis. Qui locus est talis, ut plus habeat adjumenti, quam incommodi, hunc judico esse dicendum: ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abjudico, atque ejicio. Ita allequor, ut alio tempore cogitem, quid dicam, & alio dicam: quæ duo perique ingenio freti, simul faciunt. Sed certe idem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Cum rem penitus causamque cognovi, sta-

G g 2 tum

<sup>36</sup> Pacta, conventa ] Lambinus & in hoc loco, & nonnullis aliis similibus comma delavit, & sic legit, pacta conventa. Sive, heus etiam dicit doctissimos quosdam viros sic olim legisse. Nec aliter Ulpianus in libro juris gentium. Solemus enim dicere pacta conventa iussu hæc fidei iudicis. Imo hodie inter Polonos pacta conventa, nomi-

hil mutato tamen sensu, usitate dicuntur. Idem.

<sup>37</sup> Inertia ] Locus hic Lambinus & alios exercuit, cum non viderent, quomodo inertia vituperatio potest dici maior, quam tarditatis. Inertia nihil aliud designat, quam aeris improbitatem, quæ in oratore sane est vitium maximum. Fæb.



tim occurrit animo, quæ sit causa ambigui. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur: sive ex crimine causa confertur, ut facinoris: sive ex controversia, ut hereditatis: sive ex deliberatione, ut belli: sive ex persona, ut laudis: sive ex disputatione, ut de ratione vivendi: in quo non aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, queratur, aut quale sit, aut quid vocetur.

XXV. Ac nostræ fere causæ, quæ quidem sunt criminum, plerumque inficiatione defenduntur. Nam & de pecuniis repetundis, quæ maximæ sunt, neganda fere sunt omnia: & de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere. De sicariis, de beneficiis, de peculatu, inficiari necesse est. Id est igitur genus primum caularum in judiciis, ex controversia facti. In deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam ex instantis, aut facti.

Sape autem res non, sit, necne, sed qualis sit, queritur: ut cum <sup>38</sup> L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nec negabat; sed id iure pro salute patriæ factum esse dicebat; ut eidem Carboni tribuno plebis alia tum mente rempublicam capefcenti P. Africanus de Tib. Graccho interroganti responderat, iure casum videri. Iure autem omnia defenduntur, quæ sunt ejus generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut causa facta esse videantur.

Jam quid vocetur, queritur, cum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in <sup>39</sup> Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quæ ab isto objiciebantur, cum confiterer, tamen ab illo

<sup>38</sup> L. Opimii causam ] Anno U. C. DCCXXIII. L. Opimius consul C. Gracchum in tertio tribunatus plebis petitione requisivit, ac vim parantem oppressit. Consulatus perfunctus, a P. Decio tribuno plebis accusatus est majestatis, quod civem indemonstrato occidisset: verum a C. Carbono delectus, frequentibus suffragiis est absolutus, Livii epitomæ lxx. Præf.

<sup>39</sup> Norbani causa ] Anno U. C. DCLX.

C. Norbanus, quod tribunus plebis Q. Servillum Capionem a Cimbris victum seditionis concionibus ultra modum vexasset, reus majestatis a P. Sulpicio Rufe juvene peractus est. Hostiis nocentissimi causam suscepit M. Antonius ejus olim quaestor, & tum eloquentia sua, tum etiam equitum favore obtinuit. De hoc iudicio pluribus infra cap. 38. differit Antonius Sulpicius alloquens. Idem.

majestatem imminutam negabam: ex quo verbo lege Apuleja tota illa causa pendebat.

Atque in hoc genere causarum nonnulli præcipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, cum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quæ versantur in artibus, disputatur, verborum definitio: ut, cum queritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc præcipit ratio atque doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimat, ut neque absit quidquam, neque superfit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset majestatem minuere. Etenim definitio primum reprehensio verbo uno, aut addito, aut dempro, sæpe extorquetur e manibus: deinde genere ipso doctrinam redolet, exercitationemque pene puerilem: tum in sensum, & in mentem judicis intrare non potest. Ante enim præterlabitur quam percipere.

XXVI. Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, existit etiam in scripti interpretatione sæpe contentio; in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, cum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui: quod tum explicatur, cum ea verba, quæ desunt, suggesta sunt: quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse: & ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. Itaque aut nunquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, ut referendis præteritis verbis, id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quæ propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambiguum.

Ambiguum autem complura genera sunt, quæ mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur: hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant: tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis, vel scripti, cum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint prætermissa.

Iterum

Iterum autem peccant, cum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaque res sit, disceptatur, sejungunt. Nusquam enim tam queritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est.

Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem & controversiam cadere possunt; Quid fiat, factum, futurumve sit, aut Quale sit, aut Quomodo nominetur. Nam & illud quidem, quod quidam Graeci adjungunt, Rectene factum sit, totum in eo est, quod, Quale sit, quarimus.

XXVII. Sed jam ad institutum revertar meum. Cum igitur, accepto causa genere, & cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis & iudicii: deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum, quos defendimus; alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse ea, quae defendimus: ut conciliemus nobis eos, qui audiunt: ut animos eorum, ad quemcumque causa postulat motum, vocemus.

Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies. Una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re posita, ratione tractantur: ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta, responsa, & reliqua, si quae sunt, quae non reperiuntur ab oratore, sed ad oratorem a causa, atque a reis deferuntur. Altera est, quae tota in disputatione, & argumentatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inventiendis cogitandum est. Atque isti quidem, qui docent, cum causas in plura genera secerunt, singulis generibus argumentorum copiam ingerunt. Quod etsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simul ac posita sit causa, habeant quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere; tamen

tamen & tardi ingenii est rivulos consecrari, fontes rerum non videre: & jam aetatis est ususque nostri, a capite, quod velimus, arcessere, & unde omnia manant, videre. Et primum genus illud earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditarum nobis in perpetuum ad omnem usum similibus rerum esse debet. Nam pro tabulis & contra tabulas; pro testibus & contra testes; pro quaestionibus & contra quaestiones; & item de ceteris rebus ejusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite de singulis temporibus, hominibus, causis: quos quidem locos (vobis hoc, Corta, & Sulpici, dico) multa commentatione, atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quaestiones oporteat. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maxima: artem quidem, & praecipua duntaxat haecenus requirunt, ut certis dicendi luminibus orientur.

Itemque illa, quae sunt alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explanationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque cum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum, quid; deinde, quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tamen artem requirit, tamen prudentiae est pene mediocris, quid dicendum sit, videre: alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate, copiose, varieque dicere.

XXVIII. Quare illam partem superiorem, quoniam semel ita vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam: quantum consequar, vos iudicabitis: quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut & concilientur animi, & doceantur, & moveantur. Haec sunt enim tria numero. Ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens assentandi suspensionem) neminem esse oratorem paulo illustri-

lustrionem arbitror, neque Græcum, neque Latinum, quem ætas nostra tulcrit, quem non & sæpe & diligenter audiverim. Itaque, si quid est in me, quod jam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingenis homines, tantum operæ mihi ad audiendum datis, ex eo est, quod nihil quisquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus infederit. Atque ego is, qui sum, quantumcumque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo & iudico, neminem omnium tot, & tanta, quantæ sint in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Quamobrem, si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aliter, constituturo; tradam eum Crasso, & vestiendum, & ornandum.

Tum Crassus: Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisi. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procreavit, & eduxerit, cum non & vestire, & ornare; præsertim cum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare<sup>40</sup> reum consularem, & ejus diloricare tunicam, & iudicibus<sup>41</sup> cicatrices adversas lenis imperatoris ostendere? Qui idem, hoc accusante Sulpicio, cum hominem seditiosum furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare gravissimis verbis, multos sæpe impetus populi non injustos esse, quos præstare nemo possit: multas etiam e republica seditiones sæpe esse factas: ut cum reges essent exacti, ut cum tribunitia potestas esset constituta: illam Norbani seditionem, ex iustis civium, & ex Cæpionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse, & jure esse constitam. Porrit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam no-

<sup>40</sup> Reum consularem ] M. Aquilius, qui post servile bellum in Sicilia confectum de reperendis pecuniis causam dixit. Cum iudicium misericordiam implorare vellet, M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam ab ejus pectore discedit, ut honestas cicatrices bello acceptas ostenderet. Quibus

conspicuis reus absolutus est. *Proffertur.*

<sup>41</sup> Cicatrices adversas ] Quæ in pectore, vel alia parte anteriori, accipiuntur vulnera, dicuntur *adversa*, erantque ploriosa: ut contra *aversa* inhonesta, utroque supra, & tergo accepta. *Idem.*

vus, sine quadam incredibili vi ac facultate dicendi tractari? Quid ego de<sup>42</sup> Cn. Manlii, <sup>43</sup> quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus hoc non maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare; sed hæc ipsa, quæ nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia & præstantia fuerunt.

XXIX. Tum Catulus: Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, cum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut prætermisum, aut relictum sit, non explices: neque, te Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse.

Hic Crassus: Quin tu, inquit, Antoni, omittis ista, quæ proposuisti, quæ nemo horum desiderat: quibus ex locis ea, quæ dicenda sint in causis, reperiantur. Quæ quanquam abs te novo quodam modo, præclareque dicuntur, sunt tamen & re faciliora, & præceptis pervagata: illa deprome nobis, unde afferas quæ sæpissime tractas, semperque divinitus.

Depromam equidem, inquit Antonius, & quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Mea totius orationis, & istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in cælum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi; una conciliandorum hominum, altera decendorum, tertia concitantorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adjudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quo-

Tom. I.

H h

niam

<sup>42</sup> Cn. Manlii ] A Cimbris Cn. Manlius & Q. Servilius Cæpio proconsules vieti prælio, castrisque binis exuti sunt: octoginta milia militum occisa, calorum ac lixarum quadraginta milia. *Livii epitome lib. xxxvii.* Ea clades incidit in annum D. C. Dcxlx. *Idem.*

<sup>43</sup> Quid de Q. Regis commiseratione di-

cam? ] Antonius in causa Quinti Regis in commiserationem movit iudices: de qua nihil alibi, quod meminerim, legi. Nomen est hic proprium Rex, nec officium comprehendit. Q. Marius Rex consul fuit cum M. Catone Nepote. Auctor est Gell. lib. xiii. cap. 18. & Plinius lib. 11. cap. 31. *Siculus.*

niam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem hujus generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, & pauca dicemus. Pauca enim sunt, quae usu jam tractata, & animo quasi habere notata videamur.

XXX. Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assestemur, ut singularium causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus: aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & causam, & orationem dispositio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi literae sunt cogitatione conquirendae: nec quoties causa dicenda est, toties ad ejus causae seposita argumenta revolvi nos oportet: sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam, statim occurrant.

Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est verus in rebus, vel usu, quem aetas denique affert; vel auditione, & cogitatione, qua studio & diligentia praecurrit aetatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem & acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. <sup>44</sup> Subactis mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato, & iterato, quo meliores fetus possit & grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literae.

Ac primum naturam causae videat, quae nunquam latet. Factumne sit, quaratur; an, Quale sit; an, Quod nomen habeat: quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit: deinde, quid veniat in iudicium, quod isti sic jubent quare-  
re:

<sup>44</sup> Subacta ] Translatio ducta ab agricultura. Ut ager non semel aratus, sed iterum ac tertio profectus potest meliores &

grandiores fructus afferre: ita perdomitum & excitatum ingenium & plura & meliora producit. Proferat.

re: Interfecit <sup>45</sup> Opimius Gracchum. Quid facit causam? quod reipublicae causa, cum ex senatusconsulto ad arma vocasset: hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium, Licueritne ex senatusconsulto, servandae reipublicae causa. Perpicua sunt haec quidem, & in vulgari prudentia sita: sed illa quaerenda, quae ab accusatore & defensore argumenta, ad id, quod in iudicium venit, spectantia, debeant afferri.

XXXI. Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes, atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum. Unum appellant, in quo sine personis atque temporibus de universo genere quaeratur; alterum, <sup>\*</sup> quod personis certis, & temporibus definiatur: ignari omnes controversias ad universi generis vim & naturam referri. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii. De ipso enim universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui civem ex senatusconsulto patriae conservandae causa interemerit, cum id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, ac non ex generum ipsorum universa disputatione quaeratur. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, Ceperitne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum & defensionis revocentur oportet ad genus, & ad naturam universam: quod sumptuosus, de luxuria: quod alieni appetens, de avaritia: quod seditionis, de turbulentis & malis civibus: quod a multis ar-  
gui-

H h 2

<sup>45</sup> Opimius ] Anno U. C. DCXXXIII. C. Gracchum seditionis tribunatu acto, cum A-

venturum armata quoque multitudine occupasset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus, interemptus est. Anno consequente L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemonstrato crimine in carcerem conj-

cisset, liberatus est. Epitome Livii lib. lxi. litem.

<sup>\*</sup> Quod personis ] Lamb. quod propriis nominibus personarum, locorum, ac temporum distinctum est: in quo vero illi occupari sunt. Superius vero illud, quod totum est in variis generis positum, quae non necessarium sit, nullis praecipit aperiri, ignari.

guitur, de genere testium: contraque, quæ pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque homine ad communes reum & generum summas revolventur.

Atque hæc forsitan homini, non omnia, quæ sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quæ veniant in iudicium tum, cum de facto quaratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum, aut locorum infinita.

XXXII. Quæ vero, cum de facto non ambigitur, quaruntur, qualia sint, ea si ex reis numeres, & innumerabilia sunt, & obscura: si ex rebus, valde & modica, & illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescumque is, quem paterpatrus dederit, receptus non erit, toties causa nova nascetur. Sin illa controversia causam facit, Videaturne ei, quem paterpatrus dederit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis, Mancini nomen pertinet. Ac, si quid affert præterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra questionem est, & ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est. Hæc ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam: quanquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas deseribunt in personis & in temporibus positas esse. Nam etsi incurrant tempora & personæ, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere questionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me. Nullum enim nobis certamen cum istis esse debet. Tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutus, quod in tanto otio, etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discerneret, eaque paulo subtilius explicarent. Verum hoc (ut dixi) nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster, & Sulpici.

Quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum: est enim infinita. Si in personis ponitur; quot homines, tot causæ. Sin ad generum universas questiones referuntur; ista modicæ & pauca sunt, ut omnes eas, dilig-

diligentes, & memores, & sobrii oratores percurfus animo, & prope decantatas habere debeant: nisi forte exilitatis, & a M. Curio causam didicisse L. Crassum; & ea re multa attulisse, quamobrem posthumo non nato Curium tamen heredem Coponii esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causæ vim ac naturam nomen Coponii, aut Curii, pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus omnis questio, cum scriptum ita sit, *Si mihi filius gignitur, isque prius moritur, & cætera, tum ut mihi ille sit heres*: Si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus heres sit, heres esse.

XXXIII. Perpetui juris, & universi generis questio non hominum nomina, sed rationem dicendi, & argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos jurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim in Catonis & Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de jure viro aut mulieri responderint: credo, ut putarem, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse; ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a jure cognoscendo, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiceremus. Sed hæc Crassus aliquando nobis expediet, & exponet descripta generatim. Est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se jus civile, quod nunc

46 A. M. Curio causam didicisse L. Crassum, & ea re multa attulisse &c. Verba ea re significant, ob eam causam, ob eam rem. Sic Cicero in l. 4. Tuscul. Disp. c. 38. Ea reque suscipi, quod ita restum esse videtur. Sic etiam in epist. Bruti ad Atticum: *Aut hæc ipsam ea re facti, quod illi proprio amplificationem omnia iam, utraque defenda parat*. Sed verba istius significationis huic loco non conveniunt; nulla enim ratio, aut causa significatur, cur Crassus multa attulisse suspicor legentium, & ex re multa attulisse. Sic in initio hujus capituli, ea, si ex reis nascerent, innumerabilia sunt. Sic in cap. præcedente: *Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, ac una generum istorum disputatione quaratur*. Nempe Antonius voluit dice-

re, Crassum non ex ipsa persona Curii, neque ex reo argumenta depremississe; sed omnia ab homine ad naturam universam questionis retulisse. *Petrus*.

47 *Debitari a jure cognoscendo*. Vox debilitatus, cum sine ablativo casu ponitur, significat nihil aliud, quam fractum, inanis usus: sed huic loco parum convenit ista significatio. Antonius paulo supra dixit, *non jurisconsultis impediunt, a discendoque deterrent*: idemque dicere etiam in hoc loco voluit, loquendi tamen formula variata. Legendum igitur censet: *debitari metu a jure cognoscendo* &c. Sic l. 1. c. 26. *fundus me fractum ac debilitatum metu videtur*. I. mo Mif. Cant. & Wag. exhibent reliquias hujus lectionis, leguntque, *debitari a me a jure cognoscendo*. Idem.

nunc diffusum & dissipatum est, in certa genera coacturum, & ad artem facile redacturum. Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui & quod disci potuit de jure, didicit: & quod iis, qui eum docuerunt, desuit, ipse asseret; ut, quae sint in jure, vel apte describere, vel ornate illustrare possit. Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, cum se de turba, & a subsellis, in otium (ut cogitat,) soliumque<sup>48</sup> contulerit.

Jam id quidem saepe, inquit Catulus, ex eo audiui, cum diceret, sibi certum esse a judiciis causisque discedere: sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit. Neque enim ipse auxilium suum saepe a viris bonis frustra implorari patietur, neque id aequo animo feret civitas: quae si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliata putabit. Nam hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum: & istam oscitantem & dormitantem sapientiam, Scavolarum & caterorum beatorum otio concedamus. Arrisit hic Crassus leniter, & Pertexa modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. Me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam conflugero, in libertatem vindicabit.

XXXIV. Hujus quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius: quoniam intelligitur, non in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quae in dubium vocarentur: genera autem esse definita non solum numero, sed etiam paucitate: ut eam materiem orationis, quae cujusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam, ornatamque comprehenderent, rebus dico, & sententiis. Eae sui verba parient, quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur.

Ac, si verum quaritis, quod mihi quidem videatur, (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam, & opinio-

<sup>a</sup> Apte ] Vis. Man. acute

<sup>b</sup> Solium ] Vis. Man. Lamb. solitudinemque.

<sup>48</sup> Soliumque ] Id est, sella, vel lectulus domi potius: de quo Noster lib. 3. c. 33. In solio sedentur &c. Idem.

nem meam) hoc instrumentum causarum & generum universorum in forum deferre debemus, neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus: quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito & usu pertractata esse possunt: sed tamen animus referendus est ad ea capita, & ad illos, quos saepe jam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc totum est fave artis animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venire debeas, ut pervestigas quod queras.<sup>49</sup> Ubi eam locum omnem cogitatione sepeferis, si modo usum rerum percullueris, nihil te effugiet, atque omne quod erit in re, occurreret, atque incidet.

XXXV. Et sic, cum ad inveniendum in dicendo tria sint; acumen, deinde ratio, quam licet (si volumus) appellemus artem, tertium diligentia: non possum equidem non ingenio primas concedere: sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Diligentia, inquam, cum omnibus in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis; haec semper adhibenda; haec nihil est quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est: ut adversarium attente audiamus, atque ut ejus non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est. Id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est. Deinde ut in iis locis, quos proponam paulo post, pervolvatur animus, ut se penitus insinuet in causam, ut sit cura & cogitatione intentus, diligentia est: ut his rebus adhibeat, tanquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires: haec magna sunt.

Inter ingenium quidem, & diligentiam perpaululum loci reli-

<sup>49</sup> Intra quas venire debeas ] Manutius, & Gruterus, intra quas vocare, ut sit transitio a venatione ducta. Idem.

<sup>50</sup> Ubi cum locum omnem &c. ] Familiaris more Johannes Walker pro cum reponit

ratio, & conjectura placet: in vulgata enim lectione nihil est, quod hanc sententiam priori connektat, nisi manifeste hic ratio redditor eorum, quae jam praefixerant. Idem.

reliquum est arti. Ars demonstrat tantum, ubi quæras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire: reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno verbo, quo sæpe jam usi sumus, diligentia: qua una virtute omnes virtutes reliquæ continentur. Nam orationis quidem copia videmus ut abundant philosophi, qui, ut opinor, (sed tu hæc, Catule, melius) nulla dant præcepta dicendi, nec idcirco minus, quæcumque res propofita est, fucipiunt, de qua copiose & abundanter loquantur.

XXXVI. Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi nulla tradant præcepta dicendi, & habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant. Sed Aristoteles is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio, non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur: a quo quidem homine jamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti, atque didicisti: quod quidem magis verisimile videtur. Plus enim te operæ Græcis dedisse rebus video, quam putaram.

Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule: semper existimavi, jucundiorē, & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alienius, deinde nullam Græcarum rerum significationem daret. Atque ego idem existimavi, pecudis esse, non hominis, cum tantas res Græci suscipere, profiterentur, agerent, seseque & videndi res obscurissimas, & bene vivendi, & copiose dicendi rationem hominibus daturōs pollicerentur, non admovere aures, & si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, & præcū, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, & istorum omnium summam causam & genera ipsa gustavi.

XXXVII. Valde hercule, inquit Catulus, timide, tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam

sophiam appulisti: quam hæc civitas aspernata nunquam est. Nam & relecta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, cum erat in hac gente magna illa Græcia: ex quo etiam quidam Numam Pompiliū, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt; qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras: quo etiam major vir habendus est, quam illam sapientiam constituendæ civitatis duobus prope seculis ante cognovit, quam eam Græci natam esse senserunt. Et certe non tulit illos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Græcia palam semper habuerunt. Atque ego ex istis sæpe audivi, cum dicerent, pergratum Athenienses & sibi fecisse, & multis principibus civitatis, quod, cum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius ætatis nobilissimos philosophos misissent, <sup>31</sup> Carneadem, & Critolaum, & Diogenem. Itaque eos, dum Romæ essent, & a se, & ab aliis frequenter auditos. Quos tu cum haberes auctores, Antoni, miror, cur philosophiæ, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris.

Minime, inquit Antonius: ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, *paucis: nam omnino haud placet*. Sed tamen hæc est mea sententia, quam videbar exposuisse. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint: opinionem istorum studiorum, & suspicionem artificii apud eos, qui res judicent, oratori adversariam esse arbitror: imminuit enim & oratoris auctoritatem, & orationis fidem.

XXXVIII. Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit orator.  
Tom. I. I i tio;

<sup>31</sup> Carneades, & Critolaum, & Diogenem.] Legati Romam Athenis missi sunt, uti multam remitti civitati peterent quingentorum talentum, quam fecerat propter Oropi vastationem, Sicyontis damnationibus, quibus illius cause iudicium a Senatu permissum fuerat. Legationis illius tempus inter auctorum dissensionem traditur. Gellius, lib. xvii. cap. ult. sub bellum Punicum alterum illos advenisse refert, ac posteriores

eorum adventu facit Ennium, quod ego falsum arbitror: si quidem obit Ennius anno U. C. 385. At Cicero (in Lucullo cap. 25.) legationem illam assignat P. Scipioni & M. Marcello Coss. qui est annus 599. Verum Pausanias in Achaicis sub annum Urbis 603. illos advenisse significat. *Persæus, Rer. Temp.* lib. xv. cap. 12. Eodem anno Urbis 603. id evenisse putat Casaubonus in Synopsi ad Polyb.

tio; ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videlicet Diogenem fuisse, qui diceret, artem se tradere bene differendi, & vera ac falsa dijudicandi, quam verbo Græco *διαλεκτική* appellaret? In hac arte, si modo est hæc ars, nullum est præceptum quo modo verum invenitur, sed tantum est quo modo iudicetur. Nam & omne, quod eloquimur, sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse; & si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent verumne sit an falsum: & si conjuncte sit elatum, & adjuncta sint alia, iudicent rectene adjuncta sint, & verane summa sit uniuscujusque rationis: & ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quærendo, reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorta, & potius detexta prope retexantur. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adjuvat, quoniam quemadmodum inveniam quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit, quod & multa reperit, quæ neget ullo modo posse dissolvi; & genus sermonis affert non liquidum, non fufum ac profuens, sed exile, aridum, concisum ac minutum: quod si quis probabit, ira probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Hæc enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.

Quare istam artem totam dimittamus, quæ in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele, a cujus inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem, cujus & illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, & illos, in quibus ipse sua quedam de eadem arte dixit, & hos germanos hujus artis magistros, hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque adpexit, quæ ad dicendi artem, quam ille despiciebat, perti-

pertinebant: illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitantur in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu in hoc uno genere, studioque majore. Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi, & varietas, perquam esset optanda nobis: qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probavit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc majus est quiddam, quam ab iis, qui hæc tradunt, & docent, postulandum sit.

XXXIX. Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mania, ut nutrices infantibus pueris, in os inferant. Sin sit is, qui & doctrina mihi liberaliter institutus, & aliquo jam imbutus usu, & satis acri ingenio esse videatur: illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquila teneatur, sed unde universum flumen erumpat: qui illi sedes, & tanquam domicilia omnium argumentorum commoñstret, & ea breviter illustret, verbisque definiat.

Quid enim est, in quo hæreat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, cum aut res, quæ sit tota, queratur, aut pars ejus, aut vocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat. Extrinsecus autem, cum ea, quæ sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colliguntur. Si res tota queritur, definitione universa vis explicanda est, sic: Si majestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui cum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit. Sin pars; partitione, hoc modo: Aut lenatus parendum de salute reipublice fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum: aliud consilium, superbum; suum, arrogans; utendum igitur fuit consilio senatus. Sin ex vocabulo, ut Car-



bo: Si consul est, qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo, quod rem attingat, plures sunt argumentorum sedes ac loci: nam & conjuncta quæremus, & genera, & partes generibus subiectas, & similitudines, & dissimilitudines, & contraria, & consequentia, & consentanea, & quasi præcurrentia, & repugnantia, & causas rerum vestigabimus, & ea, quæ ex causis orta sunt; & majora, paria, minora quæremus.

XL. Ex conjunctis sic argumenta ducuntur: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, cum <sup>52</sup> Q. Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis? Ex parte autem ea, quæ est subiecta generi: <sup>53</sup> Si omnes, qui republicæ consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores; quorum consiliis, virtute, periculis, retinemus & nostram salutem, & imperii dignitatem. Ex similitudine autem: Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberis nostros indulgentia esse debemus? At ex dissimilitudine: Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Atque utroque in genere & similitudinis, & dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, & fictæ narrationes sæpe ponenda. Jam ex contrario: Si Gracchus nefarie, præclare Opimius. Ex consequentibus: Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi visus est, & causa nemini, & tu semper audax; quid est, quod de facinore dubitare possimus? Ex consentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus, ut olim Crassus adolefcens: Non si Opimum defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt: simulasse te, & aliud quid

<sup>52</sup> Q. Metellum ] Anno U. C. DCLVII. præturam obtinuit Q. Metellus, Pii cognomen adeptus, quod, ut ait scriptor de Virtus illustribus, patrem Numidicum precibus ac lacrimis a mœnibus exilio revocasset. Qui singulari pietate hostem ad summos honores aditum paravit. Proflans.

<sup>53</sup> Si omnes, qui Republicæ consulunt ] Sentus est: Si illi, qui Remp. adjuvant consiliis, cari esse debent, multo magis Imperatores illi, qui non solum consiliis, sed & aliis rebus, scilicet fortitudine & periculis subeunt, ejus salutem & dignitatem timentur. Petrili.

quid quæsisse perspicuum est, quod Tib. Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis locus fuisti, <sup>54</sup> quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissensisti. Ex causis autem rerum sic: Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda, luxuries. Ex iis autem, quæ sunt orta de causis: Si ærarii copias & ad belli adjumenta, & ad ornamenta pacis utimur, vestigalibus serviamus. Majora autem, & minora, & paria comparabimus, sic: Ex majore: Si bona existimatio divitiis præstat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? Ex minore sic:

<sup>55</sup> Hic, parvæ consuetudinis

Causa, mortem hujus tam ferè familiariter:

Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: Est ejusdem, & eripere contra rempublicam, & largiri pecunias.

Foris autem assumuntur ea, quæ non sua vi, sed extranea sublevantur, ut hæc: Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius. Hoc falsum est; habita enim quæritio est. Hoc sequi necesse est: recito enim tabulas. De quo genere toto paulo ante dixi. Hæc, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt.

XLI. Ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossium, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa & notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, & id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore inveniret: sic has ego argumentorum novi notas, quæ illa mihi querenti demonstrent, ubi sint; reliqua cura & cogitatione eruantur.

Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisita præscribere, sed est mediocris ingenii judicare. Neque enim nunc id agimus, ut

<sup>54</sup> Quod eam legem ] Pighius ad annum Urbis DCXXXIV. ante hæc verba deesse nihil suspicatur, siquæ ex varia manuscriptorum codicum lectione locum esse certitudinem putat: Quod P. Africani necis fo-

cus fuisti, quod C. Gracchi dux te auctor reputanda ne scilicet tribunatus potestatis fuisset, quod eam legem, &c. Profl.

<sup>55</sup> Hic, parvæ consuetudinis ] Terent. Andr. act. 1. sc. 1.

ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quædam monita tradamus. His igitur locis in mente & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in illo genere dicendi. Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, & animos eorum ita afficiet, apud quos aget, ut eos, quocumque velit, vel trahere, vel rapere possit; nihil profecto præterea ad dicendum requirit.

Jam illud videmus, nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas: & id quare ita sit, ostendere: & ex iisdem illis locis interdum concludere: relinquere alias, alioque transire: sæpe non proponere, ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare: si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes: deinde quod agitur, adjungas: puncta argumentorum plerumque ut oculos, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

XLII. Hæc ut & properans, & apud doctos, & semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa majora veniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, majus, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione magis, quam judicio aut consilio, regatur. Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut letitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permissione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut juris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. Quare, nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus.

Paulum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscere, quo te dicis intendere. Quidnam, inquit? Qui ordo tibi placet, inquit Catulus, & que

quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles.

Vide quam sim in isto genere, inquit, Catule, deus. Non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem: ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnunquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo, vel casu potius incurrire. Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram, sic tanquam ignotum hominem præteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit. Sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis, & disponendarum rerum requisivisse. Nam si ego omnem vim oratoris in argumentis, & in re ipsa per se comprobanda posuissim, tempus esset jam de ordine argumentorum, & de collocacione aliquid dicere. Sed cum tria sint a me proposita, de uno dictum; cum de duobus reliquis dixerò, tum erit denique de disponenda tota oratione querendum.

XLIII. Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta, & facta, & vitam eorum, qui agent causas, & eorum, pro quibus: & item improbari adversariorum: animosque eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benevolentiam cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitæ: quæ facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, <sup>56</sup> vultus, pudoris significatio, verborum comitas: si quid persequere acrius, ut invitatus, & coactus facere videare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi, signa proferri perutile est: eaque omnia, quæ proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus hæc non sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda.

Sed

<sup>56</sup> Vultus pudoris significatio. Ita legendum puto, delato commate post vocem vultus: ut tam vultus, quam pudor, sit peritrogatus, & regatur a voce significatio. Hæc loquendi formula sæpius ad Ciceronem occurrit: exemplo sit illud in initio Orat. in Pisonem, Janus senilis, quæ si hominum quævela frontis sua. Peritrogatus.

Sed genus hoc totum orationis in iis causis excellit, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri & vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur: sic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet: & hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda, tantam habet vim, si est suaviter, & cum sensu tractatum, ut saepe plus, quam causa, valeat. Tantum autem efficitur sensu quodam, ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione leni, facilitatemque significanti, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur.

XLIV. Hinc autem est illa dispar adjuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes iudicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut saluum velint, <sup>57</sup> aut metuant, aut sperant, aut cupiant, aut abhorreant, aut latentur, aut mereant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos motus adducantur, si qui finitimi sunt, & propinqui his ac talibus animi perturbatio-

Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem (ut ajunt) incitare, quam commovere languentem. Sin id, aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis, & natura corporis cognoscenda est: sic equi-

<sup>57</sup> Aut metuant, aut sperant. J. Mss. Bon. Mag. Norf. Fal. quasi quunt. & debet hincque Lauritius. A.C. & editioes Veb. & Medial. aliisque exhibent, sperant. Recte tam, Lector: vides enim contrarias animi

permutationes sibi invicem opposi, amorem odio, invidiam favori, contraria vero permotio metui est spes. Nec aliter Cicero eas opposuit c. 42. hujus libri, aut dolere, aut letitiam, aut spe, aut timore. Item.

equidem cum aggredior ancipitem causam, & gravem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odoror quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant, & ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent, accipio quod datur, & ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer, quietusque iudex: plus est operis. Sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poeta dicta est *flexanima*, atque *omnium regina rerum*, oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

XLV. Hæc sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quae a me divinitus tractari solere diceret, & in causa M. Aquilii, Caiique Norbani, nonnullisque aliis, quasi praeclare acta, laudaret. Quae mehercule ego, Crasse, cum a te tractantur in causis, horrere soleo: tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, <sup>58</sup> digito denique isto tuo significari solet: tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integra sententiae, tam vera, tam nova, tam sine pigmentis, fucisque puerili, ut mihi non solum tu incendere iudicem, sed ipse ardere videaris. Neque fieri potest, ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invidet, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamque deducatur: nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse, atque inusti videbantur. Quod si fletus aliquis dolor suscipiendus esset, & si in ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatum, major ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio: de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos, atque amicissimos mentiar. Non me-

Tom. I.

K k

hercule

<sup>58</sup> Digito denique. Cum vos contracti dicitur, et in approbando & iudicando, unde giti pollice premuntur, cum digito ille, quo et remanet est, valet. Fabius, lib. xi. cap. 3. usum, optime Crassum Cicero dicit, explitari Præstus.

hercule unquam apud iudices, aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui; quin ipse in commoendis iudicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoveret. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, iudex, si tu ipse id lente ferre videare: neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui, verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderit. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesseris.

XLVI. Ac, ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præsertim in rebus alienis; magna vis est earum sententiarum, atque eorum locorum, quos agas tractetque dicendo, ut nihil opus sit simulatione & fallacis. Ipsa enim natura orationis ejus, quæ suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quenquam eorum, qui audiunt, permovet. Et ne hoc in causis, in judiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, in civitate, in foro accidere miremur, cum agitur non solum ingenii nostri existimatio, (nam id esset levius: quanquam, cum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est) sed alia sunt majora multo, fides, officium, diligentia: quibus rebus adducti, etiam cum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus. Sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur <sup>59</sup> spondalia illa dicentis,

<sup>60</sup> Segre-

<sup>59</sup> Spondalia ) An legendum hic Sophocles, ut cenetur Auratus, quod si versus ex Sophoclis Teucro a Pacuvio e Græco in

Latinum sermonem conversi? an spondialis, ut Turcibus, seu potius, quemadmodum Salmastius & Vossius putant esse magis fecerit.

<sup>60</sup> Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi? Neque paternum aspectum es veritus?

Nunquam illud aspectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere lectu filii videretur. Ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

Quem arate exacta indignum

Liberum lacraffi, orbaffi, exstinxisti; neque fratris necis, Neque gnati ejus parvi, qui tibi in turelam est traditus?

flens atque lugens dicere videbatur. Quæ si ille histrio, quotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat; quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo, ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audivi, poetam bonum neminem (id quod a Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris.

XLVII. Quare nolite existimare meipsum, qui non heroum veteres casus, histosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo; neque actor essem alienæ personæ, sed auctor meæ, cum mihi M. Aquilius in civitate retinendus esset, quæ in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem oratum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminisse, hunc cum afflictum, debilitatum, moerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem tum magnopere moveri iudices, cum excitavi mortuum ac sordidatum senem, & cum ista feci, quæ tu, Crasæ, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam; ut cicatrices ostenderem: cum C. Marius moerorem orationis meæ præfens ac sedens multum lacrimis suis adjavaret: eamque ego

K k 2 illam

condum analogiam, spondalia? spondalia sunt tibicines, spondalia enim tibia est. Atque hic spondalia, hæc, versus inter sacrificandum ad tibiam cani soliti, ne quid male ominarum audiretur. Idem. <sup>60</sup> Segregare. Sic in Teutro traspodalia Telamonem inducit loquentem Pacuvius.

Telamon rex Salaminis ad bellum Trojanum filios miserat Ajaxem & Teucrum, ut alter alterum mueretur. Ut audivit Ajaxem, ob nepotæ, Acillii arma; sibi manus intulisse. Teucrum, qui fratris necem ultus non fuerat, reversum eiecit. Idem.

illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem. Non fuit hæc sine meis lacrymis, non sine dolore magno miseratio, omniumque deorum, & hominum, & civium, & sociorum imploratio. Quibus omnibus verbis, quæ a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea.

Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis: quanquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali, & quaestore meo, tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi, & dolore, & ardore animi concitaras, ut ego ad id restringendum vix conarer accedere? Habueras enim tum omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam, in Capionis gravi miserabilique casu, in iudicium vocabas: deinde principem & senatus, & civitatis, M. Æmilium lapide percussum esse constabat: vi pulsum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemmo poterat negare.

XLVIII. Accedebat, ut hæc tu adolescens pro republica queri summa cum dignitate existimare: ego homo censorius vix satis honeste viderer seditiosum civem, & in hominis consularis calamitate crudelem, posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quadam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? quid fecerim, narrabo. Si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco proponetis.

Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni reipublica nostræ temporum varietate repetivi; conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes moleste semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas & prope necessarias. Tum illa, quæ modo Crassus commemorabat,

egit

egit: neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creati, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis, ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium disensione potuisse: ac, si illæ seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo Romano concessum esset, ut iure concitatus videretur, id quod docebam sæpe esse concessum, nullam illa causam justiore fuisse. Tum omnem rationem traduxi, & converti in increpandam Capionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. Sic & eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam, & animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Capionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam, atque revocabam.

XLIX. Quod ubi sensi me in possessione iudicii, ac defensionis meæ constitisse, quod & populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius jus etiam cum seditionis conjunctione defenderam, & iudicum animos totos vel calamitate civitatis, vel luctu, ac desiderio propinquorum, vel odio proprio in Capionem ad causam nostram converterem: tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis & mansuetudinis cœpi; me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more majorum esse deberet; & pro mea omni fama prope, fortunisque decernere: nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui sæpe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisset, sodali meo auxilium ferre non potuissem.

Petebam a iudicibus, ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent: præsertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro meipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte postum videbatur, ut de lege Apuleja dicerem,

cerem, ut, quid esset minuere majestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi, atque attingi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quae minime praecipis artium sunt perpolitae, omnis est a me illa causa tractata, ut & acerrimus in Capionis invidia renovanda, & in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita, magis affectis animis iudicium, quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.

L. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, ista commemoras. Nam ego nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Cum enim (quemadmodum dixisti) tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem; quod tuum principium, dii immortales fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio, tractulque verborum? Ut illud initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti; te pro homine perneccessario, quaestore tuo, dicere: quam tibi primum munisti ad te audiendum viam. Ecce autem, cum te nihil aliud profecisse arbitraret, nisi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur; seipere occulte coepisti, nihil dum aliis suspicantibus, me vero jam pertimescente, ut illam non Norbani seditionem, sed populi Romani iracundiam, neque eam injustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde qui locus abs te praetermissus est in Capionem? Ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti? Neque haec solum in defensione, sed etiam in Scuro, ceterisque meis testibus, quorum testimonia non refellendo, sed ad eundem impetum populi confugiendo, refutasti. Quae cum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecipua desiderabam. Istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum abs te ipso commemoratam, doctrinam esse non mediocrem puto.

Atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quae nos sequi in dicendo, quaque maxime spectare solemus. Docuit enim jam nos longa vita usulque rerum maximam,

rum, ut quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.

LI. Equidem primum confiderare soleo, postuletne causa. Nam neque parvis in rebus adhibenda sunt haec dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus: ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis, aut convellere adordimur ea, quae non possint commoveri. Nunc quoniam haec fere maxime sunt in iudicium animis, aut, quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, letitia, timor, molestia; sentimus amorem conciliari, si id velle videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere: si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare. Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem: plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. Enitenum est, ut ostendas, in ea re quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua. Invidetur enim commodis hominum ipsorum; studiis autem eorum ceteris commodandi faveatur. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligere volumus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his ex locis & odium in alios struere discemus, & a nobis, ac nostris, dimovere. Eademque haec genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda, vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum, aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur: si, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque

Si *Sic*, quod aut in bonos viros etc. ] *tur*, Nam si quod ipse, qui audient, pernitiosa certe est sententia, quam Lambinus eorum aut inutile sit, id augeas, alium creavit: *Si*, quod aut boni viri, aut tur: *Si*, quod aut in bonos viros factum, ut quis quisque minime laedere debeat, aut in eis etc. Certe si vox factum in posteriori sententiae parte in textum recipi non debet, subintelligi debet: ut factum in bonos viros idem sit ac contra bonos viros. *Sic* loco suspicor huc asserri debere. Lego igitur Notar de Amic. c. 12. Quid in P. Scipio-  
sem

que minime debuerit, aut in rempublicam, tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut invidia, aut odii non dissimilis offensio. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. Interior est ille proprius: sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus.

LII. Par, atque una ratio est spei, lætitiæ, molestiæ. Sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidia: nec minus virium opus sit in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse. Sed etiam superioribus invidetur sæpe vehementer, & eo magis, si intolerantius se jactant, & æquabilitatem communis juris, præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt: quæ si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse virtute paria; deinde etiam vitiis, atque peccatis. Tum si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse paria, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata; seseque, si quam gloriam peperisse videatur, tamen ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abjicere, atque deponere: omninoque perficendum est, (quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium & perpetuum: invidetur autem præstanti florentique fortunæ) ut hæc opinio minuat, & illa excellens opinio fortuna cum laboribus & miseris permista esse videatur.

Jam misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quæ de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut rulerit acerbis; aut timeat: aut intuens alium, crebro ad seipsum revertatur. Ita cum singuli casus humanarum miserationum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta & prostrata virtus maxime luctuosa est: &, ut illa altera pars orationis, quæ prohibitatis commendatione boni viri debet speciem tueri, lenis (ut sæpe jam dixi) atque sum-

*nem effecerint, sine lacrymis non quæ dicitur. Et ibidem Sc. 2. Veror, ut quid in illam Sic & Terent. Heaut. Act. 1. Sc. 1. Ego, fratris plus satis faxit pater, Peacius. quod me in te sit facere dignum, invenio:*

missa, sic hæc, quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta, ac vehemens esse debet.

LIII. Sed est quædam in his duobus generibus, quorum alterum lenè, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid; & ex hac vi nonnunquam animi aliquid \* infundendum est illi lenitati: neque est ulla temperior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis, oratoris ipsius humanitate conditur; remissio autem lenitatis quadam gravitate & contentione firmatur.

In utroque autem genere dicendi, & illo, in quo vis atque contentio quaritur, & hoc, quod ad vitam & mores accommodatur, & principia tarda sunt, & exitus tamen spissi & producti esse debent. Nam neque affluendum statim est ad illud genus orationis, (abest enim totum a causa; & homines prius ipsum illud, quod proprium sui iudicii est, audire desiderant) nec cum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque, & tertium poscitur: ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, quæ simul atque emissa est, adhærescit. Illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa, & varia, & copiosa oratione, & simili contentione actionis, nemo potest. Quare qui aut breviter, aut summissè dicunt, docere iudicem possunt, commovere non possunt, in quo sunt omnia.

Jam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. Sed argumento resistendum est, aut iis, quæ comprobandi ejus causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis, nec esse consequens: aut, si ita non refellas, asserendum est in contrariam partem, quod

Tom. I. L I

\* Infundendum ] Vid. Man. infundendum: Grut. inflammandum

fit aut gravius, aut æque grave. Illa autem, quæ aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus inferenda sunt, ut odio benevolentia, ut misericordia invidia tollatur.

LIV. Suavis autem est, & vehementer sæpe utilis jocus, & facetiæ: quæ, etiam si alia omnia trahi arte possunt, natura sunt propria certe, neque ullam artem desiderant: in quibus tu longe aliis, mea sententia, Cæsar, excellis: quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem falsi, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docebis.

Ego vero, inquit Cæsar, omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari. Itaque cum quosdam Græcos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis dicere. Inveni autem ridicula, & falsa multa Græcorum: nam & Siculi in eo genere, & Rhodii, & Byzantii, & præter cæteros, Attici excellunt: sed qui ejus rei rationem quandam conati sunt, artemque tradere, sic insulsi exierunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulitas, rideatur. Quare mihi quidem nullo videtur modo doctrina ista res posse tradi. Et enim cum duo genera sint facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone solum, alterum peracutum & breve: illa a veteribus superior, cavillatio, hæc altera, dicacitas nominata

63. Contrariis commotionibus inferenda sunt.] Verbum *inferere* sumpsit apud Ciceronem oppositum illi verbo, quod magis huic loco convenit, *alluere*, sive *propulsare*. Invito igitur, ut opinor, sensu hæc lectio retinetur. Vult enim Cicero significare affectus omnes contrariis affectibus tollendos, amovendos, frangendos, immittendos esse. Placeat igitur conjectura Johannis Walker, qui tenet Ciceronem sic scripsisse, *contrariis commotionibus insitanda sunt*. Nempe verbum *tollatur* fati nos docet, quid velit Cicero. Sic etiam in Oratore: *Compos animus in prima aggressione occupaverit*, infirmabit, excludetque contraria. Sed & hæc duas voces sæpe Cicero conjungit: Lib. 2. de Nat. Deor. *Quæ vos, Academicæ*, infirmatis & tollitis. Lib. 4. Acad. Quæst. *Hoc cum infirmat tollitque Philo*. Livius, lib. xxxiv. in Catonis

oratione: *Ut unum tollendo legem, veteres infirmatis*. Sed digna interim notata est lectio, quam servavit Mss. Joan. Nov. Mead. Harl. duo & Bal. *contrariis commotionibus offerenda sunt*. Si vox *offerenda* significat *vincenda*, *superanda*, &c. omnino retineri debet. Videtur autem hoc significare in Tusc. Disp. l. 4. c. 29.

Quod non natura humano portenda offerat.

Calepinus in Lex. dicit *offerre* significare, *videre*, *superare*, *quasi extra ferrè*: & ad eam significationem istius vocis probantiam hunc locum sic citat: *contrariis commotionibus offerenda sunt*. Unde constat in veteribus libris, quibus usus est Calepinus, esse *videnda*, *extitisse*. Carolus etiam Steph. invenit *offerenda* in suis veteribus libris. Idem.

ta est. Leve nomen habet utraque res: quippe leve enim est totum hoc, & risum movere.

Verumtamen (ut dicis, Antoni) multum in causis perfecte lepore, & facetiis profici vidi. Sed cum in illo genere perpetuæ festivitatis ars non desideretur, (natura enim lingit homines, & creat imitatores & narratores facetos, & vultu adjuvante, & voce, & ipso genere sermonis) tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, cum ante illud facete dictum emissum hæere debeat, quam cogitari potuisse videatur? Quid enim hic meus frater ab arte adjuvari potuit, cum a Philippo interrogatus, quid latraret, *Furem se videre* respondit? Quid in omni oratione Crassus, vel apud centumviros contra Scævolum, vel contra accusatorem Brutum, cum pro Cn. Plancio diceret? Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est, omnium sententia; concedendum. Non enim fere quisquam reperietur, præter hunc, in utroque genere leporis excellens, & illo, quod in perpetuitate sermonis; & hoc, quod in celeritate, atque dicto est. Nam hæc perpetua contra Scævolum Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam & joco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati, in quo ipso servabat suam; quod est hominibus facetis & dicacibus difficillimum, habere hominum rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cum falsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. Dicere enim ajunt Ennium, *flammam a sapiente facilis ore in ardente opprimi*, *quam bona dicta tenent*: hæc scilicet bona di-

L I 2

Et,

63. A Philippo interrogatus quid latraret.] Depeccatorem Philippum fuisse Catulus notavit, & ararii furem: solent autem canes nodis fures allatrare. Sic Cato privatorum futorum fures dixit in iure ætatem agere fures publicos, id est depeccatores, in usu atque pæpina. Cato etiam Uticensis apud Sallustium fures ararii appellat. Aut certe furem & spoliatorem provincialium: non enim hic confeam alia Philippo furta objicit. Tormentum.

64. Quam bona dicta tenent.] Versus est

trochaicus integer, & hemistichium. Itaque legi debet, *a sapienti*, ut versus constet. Citatur hæc Funjiana sententia a Symmacho in epistolis: quamquam Socratica potius est: nam Socratis verbum istud refertur. *Ἐπιπέπρωτος ἰδρυμα*, *ἢν ἴσως ἂν ἐν ἐπιπέπρωτος ἴσως*, id est, *Socrates dicitur, facilis homines ardorem carnis in lingua retentores, quæ quod aram commotum sit*. Os autem si ardeat, id est, in ore si sit flamma, qui non licet uri & ladi, os non occludat, sed quam maxi-



ta, quae falsa sint: nam ea dicta appellantur proprio jam nomine.

LV. Sed ut in Scævola continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque <sup>65</sup> lussit: sic in Bruto, quem odebat, & quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat; quam multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa breviter, cum ille diceret, *se sine causa sudare*: <sup>66</sup> *Minime mirum*, inquit, *modo enim existit de balneis*. Innumerabilia hujuscemodi fuerunt, sed non minus jucunda illa perpetua. <sup>67</sup> Cum enim Brutus duos lectores excitasset, & alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia; & cum contraria inter sese de republica capita contulisset; nosser hic facetissime tres patris Bruti de jure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo, FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. *Brute restitucatur pater se tibi Privernatam*

maxime hiante flammam exorat. Ennius aurem bona dicta, bonas sententias intelligeret, quas sapiens tenere se nos potest, quin loquatur. At homines faciti idem de dicitibus usurpare solebant, & aliter verum interpretari. Ab eadem mente Ennius docta dicta appellavit: *Haec dicta dictis ceceant, sed maledictis*. Et Catullus, *xxi. 19. Pater nunciat meae pacis non bona dicta*, cum Crispus, maledicta significavit. Sunt etiam alia significatione dicta, dicitur, & verba falsa. Plautus, *Cap. III. t. 23. Dico unum ridiculum dictum de dicitis volentibus*, Qui (Gronov. Quibus) solebant mentrantes epulas ante adspicere. In quem sensum verbum Enniamum faciti homines, ut dixi, accipiebant. *Idea.*

<sup>65</sup> Lussit J. Galli sic dicerent, *tourna eo blasphemie.*

<sup>66</sup> *Minime mirum*, inquit, *modo enim existit de balneis*. J. N. fallor, non modo non jocus, sed ne sentus in hac lectione inveniri possit. Brutus dixerat, *se sine causa sudare*: respondit autem Crassus, non esse mirum illum sine causa sudare: modo enim exierat e balneis. Voces minime mirum non solum ad sudare, sed etiam ad sine causa referri debent, si vulgata lectioni haerere-

mur. Solebant si, qui e balneis exierant, sudare, & aqua distillare. Vides igitur, *Lebor*; in hac vulgata lectione Crassum negare. Brutum habere causam sudandi, & tamen causam, cur sudet Brutus, afferre. Quis ferre possit haec tam secum pugnantia? M. Joan. & Harl. 1. omittunt voces *mirum*, & inquit: unde statim sic locum emendavi. *Atque illa brevis, cum ille diceret, se sine causa sudare: Minime, inquit, modo enim existit de balneis*. Clara mihi exhibetur sententia. Brutus dixerat, se sine causa sudare, id est, in impugnantia Plauti contra Crassum causa nimis vehementer agere, cum sine ulla accusari Plautus e voci Crassus potuerit. *Minime*, inquit Crassus, *non sudat sine causa: modo enim existit*. Soci. locus est in incipiti significatione verbi *existi*, quod significat, & vendere balnea, & e balneis lotum egredi. Voces *minime*, & *mirum*, adeo simili literarum dantur scribuntur, ut se hinc literari facile possint errare. *Parsiva.*

<sup>67</sup> *Cum Brutus duos lectores excitasset*. Hujus rei pro Cluentio Cicero meminit, cap. 31. De colonia Narbonensi, in Bruto, cap. 43.

natem fundum reliquisse. Deinde ex libro secundo, IN ALBANO ERAMUS EGO ET MARCUS FILIUS. *Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis, novat hunc gurgitem; metuebat, ne, cum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur.* Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit, (tot enim, ut audivi Scævolum dicere, sunt veri Bruti libri) IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO ET MARCUS FILIUS. *Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi <sup>68</sup> puberem te, inquit, jam haberet, quartum librum composuisset, & se etiam in balneis lotum cum filio, scripsit reliquisset.*

Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore, atque his facetiis non minus refutatam esse Brutum, quam illis tragediis, quas egit idem, cum casu in eadem causa funere essetretur anus <sup>69</sup> Junia? Pro dii immortales, quae fuit illa, quantavis? quam inexpectata? quam repentina? cum, conjectis oculis, gestu omni imminente, summa gravitate & celeritate verborum: *Brute, quid sedes? quid illam animum parvi muneris vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominari regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriae, cui virtuti stude-*

<sup>68</sup> *Puberem* J. Patri cum filio pubere in balneis lavari non licebat, nec foreo cum genere. Cicero de Off. l. 35. *Nostra quidem mos cum parentibus puberes filii, cum socris generi non lavabantur.* Tunch.

<sup>69</sup> *Junia* J. Populii omnium prima Roma in funere laudationem meruit, cum ante honoratis tantum viris ea tribueretur. Ac Cicero *dispicet*, lib. 11. de Legibus, c. 24. laudatio mulierum, cum legem tantum de viris hanc sanciat. *Honoratarum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur.* Quanquam Plutarchus jam inde usque a Camilli aetate honestis matronis tam fuisse dicit tributam, ob collatum ornamentorum suorum aurum in Apollinis crateram: cum Livius tamen scribat, tantum eis concessim, ut sacrorum & ludorum causa pientis carpentisque uteretur. Paulo post Popilliam, idem honores tributus Junia, quae ex Brutorum erat familia. Ducebantur autem in forum funera laudationis causa: quod quomodo feret, ex

Polybio subiocere placet: *Quo vis matronae* *ex his rebus dicitur non dicitur dicitur.* Seco. Id est: Cum apud eos illustris viri aliquid ex hac migravit vita, in funere cum reliquo ornatu in forum fertur; ad rostra quae vocatur, interdum sunt ante omnium oculos, raro recubans. Circumfusa autem populi corona, in rostra ascendit filius, si quem puberem reliquerit, qui forte addit: sin minus, propinquus aliquis, si quem puberem reliquerit, rebusque quas si prospere gesserit, cit. Et deinde sepulcro, iustitiae factis, mox tui imaginem in illustrissimo domus locum ponitur, in cellula lignea consistit. Imago autem persona est ad similitudinem egregie expressa & forma, & lineamentis. Has imagines & in publicis feris aperitur, ornantque magnifice: & cum ex familia clarus aliquis moritur, in funus producant. *Idea.*

re? *Patrimonio augendo? at id non est nobilitatis. Sed fac esse, nihil superest; libidines torum dissipaverunt. An iuri civili? est patrum: sed dicit, re, cum ades venderes, ne in iuris quidem & casis 70 solum tibi patrum recepisse. An rei militari? qui nunquam castra videris. An eloquentie? qua nulla est in te: & quidquid est vocis ac lingue, omne in istum turpissimum calumniam questum contulisti. Tu lucem aspiceris aures? tu hos inveneris? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perborrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti.*

LVI. Sed hæc tragica, atque divina: faceta autem & urbana, innumerabilia ex una concione meministi. Nec enim concio major unquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam hujus 71 contra collegam in censura nuper, neque lepore & festivitate conditior. Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, & multum facetias in dicendo prodesse saepe, & eas arte nullo modo posse tradi: & illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, & non hujus rei quoque palmam, ut cæterarum, Crasso detulisse.

Tum Antonius, Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paulum inviderem. Nam esse quamvis facetum atque salum, non nimis est per seipsum invidendum: sed, cum omnium sis venustissimus & urbanissimus, omnium gravissimum & severissimum & esse, & videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur.

Hic cum arrisisset ipse Crassus, Attramen, inquit Antonius, cum arte esse facetiarum, Juli, negares, aperuisti quiddam, quod præcipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid jocus de gravitate deciperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet. Sed hoc præceptum prætermittendum est facetiarum,

70 *Solum tibi patrum* ] In excipiendis casis & casis, que in mancipatione prædiorum excipi solent, non retinuisse felicitatem patris, in qua ille jus respondere solebat. Hic enim recipere est excipere. Cicero, lib. I. de legibus, cap. 3. *Præsertim*

*cum non recusarem, quiniam more patrio fident, in suis consuetudinibus responderem. Ita qui solum vendiderit, jus non respondebit. Idem.*

71 *Contra collegam* ] Domitium. In Bruto, cap. 44.

cum his nihil opus sit: nos autem quomodo utamur, cum opus sit, quarimus; ut in adversarium, & maxime, si ejus stultitia poterit agitari, in testem stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur.

Omni probabiliora sunt, quæ laceffiti dicimus, quam quæ priores: nam & ingenii celeritas major est, quæ apparet in respondendo, & humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus laceffiti: ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo objectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur.

LVII. Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur, Cæsarem, qui quanquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare totum nobis genus hoc jocandi, quale sit, & unde ducatur; præsertim cum tantam vim & utilitatem falis & urbanitatis esse \* fateatur? Quid si, inquit Julius, assentior Antonio, dicenti nullam esse artem falis?

Hic cum Sulpicius reticisset, Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius tamdiu loquitur, ars ulla sit. Observatio quædam est, ut ipse dixit, earum rerum, quæ in dicendo valent: quæ si eloquentes facere possint, quis esset non eloquens? Quis enim hæc vel non facile, vel certe aliquo modo posset edificare? Sed ego in his præceptis hanc vim, & hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quæ natura, quæ studio, quæ exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intelligamus, cum, quo referenda sint, didicerimus. Quare, Cæsar, ego quoque a te hoc peto, ut, si tibi videtur, dispuces de hoc toto jocandi genere, quid sentias; ne qua forte dicendi pars, quoniam ita voluistis, in hoc tali cœtu, atque in tam accurato sermone præterita esse videatur.

Ego

\* *Fateatur* ] Vid. Man. Grut. *fateamur?*

Ego vero, inquit ille, quoniam <sup>72</sup> colleſtam a conviva, Craſſe, exigis, non committam, ut, ſi deſugerim, tibi cauſam aliquam dem recuſandi. Quanquam ſoleo ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum, ſpectante Roſcio. Quis enim ſeſe commovere poteſt, cujus ille vitia non videat? Sic ego nunc, Craſſo audiente, primum loquar de facietis, & docebo ſus ( ut ajunt ) oratorem eum, quem cum Catulus nuper auდიſſet, <sup>73</sup> ſennum alios ajebat eſſe oportere. Tum ille, Jocabatur, inquit, Catulus, præſertim cum ita dicat ipſe, ut ambroſia alendus eſſe videatur. Verum te, Caſar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus. Et Antonius, Perpauca quidem mihi reſtant, inquit: ſed tamen deſeſtus jam labore, atque itinere diſputationis, requieſcat in Caſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno diverſorio.

LVIII. Atqui, inquit Julius, non nimis liberale hoſpitium meum dices: nam te in viam, ſimul ac perpaululum <sup>74</sup> guſtaris, extrudam & ejiciam. Ac, ne diutius vos demorer, de omni iſto genere quid ſentiam, perbrevis exponam. De riſu quinque ſunt, quæ quaerantur: unum, quid ſit: alterum, unde ſit: tertium, ſine oratoris velle riſum movere: quartum, quatenus: quintum, quæ ſint genera ridiculi.

Atque illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concietur,

<sup>72</sup> Colleſtam ] Graeci  $\pi\alpha\lambda\lambda\eta\sigma\tau\eta\varsigma$  appellant, id quod conſectur in coenam a convivis; quo verbo Plautus utitur. cum ſcribit iocans: *Parata ſunt ſaputis miſi ſymbola*. Sic collativum prandium dicunt Latini, quod Graeci  $\pi\alpha\lambda\lambda\eta\sigma\tau\eta\varsigma$ : & collativum ventrem elegantius translatione dixit Plautus. Vocant etiam Graeci  $\pi\alpha\lambda\lambda\eta\sigma\tau\eta\varsigma$  pecuniam quæ exigitur a convivis. Proinde in Terentio, Andr. l. 1. 67, *Quis Pamphilius? canthacii ſymbolum dedit*, legendum cenſeo, non ut vulgo, *ſymbolum*. Colledrix etiam apud Plautum eſt, quæ religionis cauſa ſtipem colligit: *Præſentrix, colledrix, ariola, ac quæ hæſpitæ*. Turnebus.

<sup>73</sup> *Fanum* ] Significavit alios videri Craſſo comparatos pecudes eſſe, proinde ſeno paſcendos: Craſſum autem divinum plane hominem, ut ambroſia paſcendus ſit, qui ci-

bus eſt deorum. *Idem*.

<sup>74</sup> *Guſtari* ] Guſtus cum alia ſignificat, tum interium id quod venditores guſtandi & explorandi cauſa dant emptoribus vini, quod *guſtus* dicitur a Graecis: ut cum quid oſenditur, ſpecimen a Latinis, a Graecis  $\nu\epsilon\gamma\alpha\varsigma$  vocatur; a quo per translationem dixit Seneca, *Dedit enim mihi guſtum, ad quem reſpondebit*. A qua etiam translatione illud Ciceronis proſectum eſt, *Et deguſtabis genus execrationum martino*. Significat enim Paradoxa guſtum Bruto fore exarum execrationum quibus uti ſolet. Eſt & guſtus interdum primus prandii miſſus. Martialis, (xi. 32. 4.) *Guſtu pecunias hæc ades in ipſo, hæc prima feret, altera veſana*. Sed & guſtate multo minus eſt, quam vel jentare, vel prandere: quo ſane hic modo intelligendum eſt. *Idem*.

tetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus: neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet; &, ſi pertinere, neſcire me tamen id non puderet, quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui pollicerentur.

Locus autem, & regio quaſi ridiculi ( nam id proxime quaeritur ) turpitudine, & deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur vel ſola, vel maxime, quæ notant & designant turpitudinem aliquam non turpiter.

Eſt autem, ut ad illud tertium veniam, eſt plane oratoris movere riſum; vel quod ipſa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt: vel quod admirantur omnes acumen uno ſæpe in verbo poſitum, maxime reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis: vel quod frangit adverſarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod reſiſtat: vel quod ipſum oratorem, poſitum eſſe hominem ſignificat, quod eruditum, quod urbanum: maximeque quod triſtitiam, ac ſeveritatem mitigat & relaxat, odioſaque res ſæpe, quas argumentis dilui non facile ſit, joco, riſuque diſſolvit.

Quatenus autem ſint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum eſt: id quod in quarto loco quaerendi poſueramus. Nam nec inſignis improbitas & ſcelere juncta, nec ruſus miſeria inſignis agitata ridetur. Facinorofos enim majore quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt: miſeros illud nolunt, niſi ſi ſe forte jaſtant. Parcendum eſt autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur.

LIX. Hæc igitur adhibenda eſt primum in jocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quæ neque odio magno, neque miſericordia maxima digna ſunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum eſt in iſtis vitiis, quæ ſunt in vita hominum neque cororum, neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur.

Eſt etiam deformitatis, & corporis vitiorum ſatis bella

materies ad jocandum. Sed quarimus idem, quod in cæteris rebus maxime querendum est, quatenus. In quo non modo illud præcipitur, ne quid insulse; sed etiam, si quid peridicule possis. Vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis focus sit, aut mimicus. Quæ cujuscumque sint, facilius jam intelligemus, cum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.

Duo enim sunt genera facietiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid, tanquam aliqua fabella, narratur: ut olim tu, Crasse, in Memmium, *comedisse eum lacertum Largii*, cum esset cum eo Tarracinae de amacula rixatus. Salsa tota, ac tamen a teipso ficta, narratio. Addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas, tria LLL, duo MM. Cum quæreres id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse, *75 Lacertat Lacertum Largii Mordax Memnius*. Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas vere, quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis aspergendum, sive fingas. Est autem hæc hujus generis virtus, ut ita facta demonstras, ut mores ejus, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur.

In re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet: ut idem Crassus, *Per tuam nobilitatem, per vestram familiam*. Quid aliud fuit, in quo concio rideret, nisi illa vultus & vocis imitatio? *Per tuas statuas vero cum dixit*, & extento brachio paulum etiam de gestu addidit, vehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis:

## 76 Tibi

75 *Lacertat lacertum* ] Hunc versum Crassus orator usque adeo vulgo iactatum ait, ut Tarracinae passim in omnibus parietibus inscriptis videretur. Fabula, unde natum est adagium, sic habet. Memnius quidam Romanus cum ageret Tarracinae, mulierulam quandam depererat, sed non citra rixalem. Cum hoc igitur cum aliquando rixam incidisset, eo iracundia provectus est Memnius, ut Largii (nam id rivali nomen) brachium mordicus arripere. Ea res postquam in populatrem abiit jocum, faceret qui-

diam & *adversus* senarium hunc in omnibus ejus parietibus quinque literis notatum, depictis tribus LLL, & duobus MM. videlicet ut adventus percontandi ministrarent occasionem. Itaque cum M. Crassus Tarracinae aliquando venisset, admiratus novam literarum ænigmata, senem quendam oppidanum percontatus est, quidnam sibi vellent ejusmodi literæ. Atque is, exposita fabula, vericulum explicavit.

*Lacertat lacertum Largii mordax Memnius.*

76 *Tibi ego, Antipho, bas sero*, inquit: senium est, cum audio. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit. 77 Mimorum est enim ethologorum, 78 si nimia est imitatio, sicut obscœnitas. Orator lurtipriat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam videat: præter idem ingenuitatem, & roborem suum, verborum turpitudine, & rerum obscœnitate vitanda.

LX. Ergo hæc duo genera sunt ejus ridiculi, quod in re positum est: quæ sunt propria perpetuarum facietiarum, in quibus describuntur hominum mores, & ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales sunt, intelligantur: aut imitatione <sup>a</sup> brevi injecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur.

In dicto autem ridiculum est id, quod verbi, aut sententiæ quodam acumine movetur: sed ut in illo superiori genere vel narrationis, vel imitationis, vitanda est mimorum ethologorum similitudo; sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a cæteris familiarem <sup>b</sup> vestram, <sup>c</sup> 79 Granium, a

M m 2

Var-

Tametsi Crassus, qui hæc loquitur apud Ciceronem, existimat narrationem hanc totam in Memmium adversarium dedita opera confictam fuisse. *Erasmus*, Adag. Chil. I. Cent. 11.

76 *Tibi ego, Antipho* ] Videntur hæc verba fuisse senis cujusdam arbores ferentis, siliisque suo dicentis, se non tam diu viturum esse, ut eas arbores maturitatem suam affecturas videret: juvenem illum, & vigentem olim ex illis fructus percepturum. Tum quod addit, *Senium est, eum audio*, hoc vult: Ita perfecta est illa Rosciana senis iustitias, & fracta voce ac tremula utentis imitatio ut non histrionem imitantem senem, sed Senectutem ipsam videat audire. *Parscius*.

77 *Mimorum* ] Sic eos appellat, qui mores & affectus personarum exprimunt: nec minus tantum dixit, ut hoc libro postea, & in Antonium fecit, & alii scriptores vocant, sed ethologos addidit, ne ambigue loqueretur, ac fabulam significari videretur, quam Mimum Græci, Latini Planipedem vocant, quales erant Mimi Publii & Laberii.

Quamquam Cicero pro Cælio mimum hujusmodi, fabulam, id est, comediam appellare non vult: *Mimi ego*, inquit, *est sane veritas, non fabula*. Pantomimorum hic non meminit. Exorti enim postea sunt Imperatore Augusto: erantque saltatores, qui gestu histrionas & fabulas ita exprimebant, ut sub oculos subicerent, ad quam saltationem respexit Horatius, cum scripsit.

*Passorum saltaret uti cyclops vagabat.*

Et Juvenalis, Sat. VI. 63.

*Chironium Ledæ nulli saltante Bæyli.*

lo. Turnebus.

78 *Si nimia est imitatio, sicut obscœnitas* ] Videtur oratio hujus. Quæ tamen verum de hederentur, non facile dixerim. Vellem ita legi: *Si nimia est imitatio. Si erit obscœnitas, orator, Ecce Muretus.*

a *Verus* ] Lamb. *servator*.

b *Vestram* ] Lamb. *vestrum*.

79 *Granium* ] Præconem, cujus multa dicta verbis erat complexus Lucilius. *Consistere in veris dictis orationis volens Græci*, ait Gellium, (IV. 17.) Vide Orat. pro Planco, (cap. 14.) Turnebus.

Vargulam, amicum meum? Non mehercule in mentem mihi quidem venit: sunt enim dicaces: Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne, quotiescumque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere.

Puffillus testis processit. Licet, inquit; rogare, Philippus? Tum quaesitor properans, *Modo breviter*. Hic ille, *Non accusabis; perpusillum rogabo*. Ridicule. Sed sedebat iudex L. Auriflex, brevior etiam, quam ipse testis: omnis est risus in iudicem conversus: visum est totum scurrile iudicium. Ergo hæc, quæ cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia.

Ut iste, qui se vult dicacem, & mehercule est, Appius, sed nunquam in hoc vitium scurrile delabitur. *Cenabo*, inquit, *apud te*, huic lusco, familiari meo, C. Sextio.<sup>80</sup> *Uni enim locum esse video*. Est hoc scurrile, & quod sine causa læcessivit: & tamen id dixit, in omnes lufcos conveniret. Ea, quia meditata putantur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextii, & ex tempore:<sup>81</sup> *Manus laeva*, inquit, *& cæna*.

Temporis igitur ratio, & ipsius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas dictorum distinguet oratorem a scurrile: & quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid; illi totum diem, & sine causa. Quid enim est Vargula affectus, cum cum candidatus A. Sempronius cum Marco suo fratre complexus esset; <sup>82</sup> *Puer abige muscas?* Risum quaesivit, qui est, mea sententia, vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicen-

<sup>80</sup> *Uni enim locum esse video* ] Jocus est sumptus ex communi illorum temporum consuetudine loquendi, quæ aliquot convivis vocatis, et quomodo præterea invitatum vellent, locum superflue dicebant. Plautus in Stichulo, *Edipus tibi etiam, opinor, uni locum cuspitor, ubi accubet*. Id scurrilliter ad vitium oculi convertit Appius. *Idem*.

<sup>81</sup> *Manus laeva* ] Appius irridens C. Sextium, qui altero oculo captus erat, ait, *Cenabo apud te, est enim uni locus: ita carpebat hominis vitium, cuius in vultu erat locus uni oculo: quasi in ejus trichilio & con-*

vivio uni fuisset homini locus vacuus. Respondit Sextius subtili ac subito joco: *Cenabo enim cenabo apud me, sed prius manus laeva: quod dicto, hominis impunitatem notabat*. *Idem*.

<sup>82</sup> *Puer abige muscas?* ] Propositi & amici, qui gratiosi erant aut clari, deducere solebant candidatos, qui presertim ibant, ut petiret & gratiam & auctoritatem majorem haberet. Igitur cum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam esset complexus, Vargula scurrilliter luse, jubens abige muscas. *Idem*.

di prudentia & gravitate moderabimur: quærum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

LXI. Nunc exponamus genera ipsa summamque, quæ risum maxime moveant. Hæc igitur sit prima partitio; quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias: maxime autem homines delectari, si quando risus conjuncte re verboque moveatur. Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, jocus in turpibus & quasi deformibus ponitur: velut in iisdem verbis & laudare frugi servum possumus, &, si est nequam, joculari. Ridiculum est illud<sup>83</sup> Neronianum vetus in furace servo, *Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec oclusum*: quod idem in bono servo dici solet; sed hoc iisdem etiam verbis.

Ex iisdem autem locis omnia nascuntur. Nam quod<sup>84</sup> Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob rempublicam accepto, & ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, *Quin prodis, mi Spuri, ut quotiescumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem?* præclarum & grave est. Quod<sup>85</sup> Calvino Glauca claudicanti, *Ubi est verus illud?*<sup>86</sup> *num claudicat? at hic claudicat:* hoc ridicu-

<sup>83</sup> *Neronianum* ] Illius, ut reor, Neronis, qui res adversus Annibalem gessit; estque exemplum hoc, ut plerisque hujus loci orificæ sumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. Diffam autem hoc & de furace accipi potest, ut a Nerone usurparum fuerat, qui omnia reſignet & recludat: & de servo frugi, cuius fidei omnia herus committat, cui nihil annulo obliget, cui nihil claudat fera. In quodam libro scripto legitur *Neronianum*, ut a Nevio poeta sumptum, quod fortasse verius. *Idem*.

<sup>84</sup> *Sp. Carvilio* ] Puto hunc esse, qui primus apud Romanos oxarem dimisit. Vir fuit illudris, qui ex equis loco manus ad summam pervenit dignitatem, ut Patrecolus scribit. Consul autem fuit cum Fabio Maximo. Auctor Cicero de Senectute. *Idem*.

<sup>85</sup> *Calvino* ] C. Sextius Calvinius, ut ait Cicero in Bruto, ingenio & sermone elegan-

ti, sed valetudine incommoda fuit, est cum remiserunt dolores pedum, non deerat in causis. Is igitur ex podagra plerumque claudicabat. *Idem*.

<sup>86</sup> *Num claudicat? at hic claudicat.* ] Sunt qui scribant hoc modo: *at hic claudicat*. Et sic interpretantur: Calvinius etiam claudicat pede, non tamen tam claudicat, quam Clodius, id est Clodius faver. Iborum sententia non habeo fidelem, quia Cicero confert exempla duo, quæ non hic sunt ex immutatione literæ, ut ex quæ sequuntur. Præterea immutantur codices sine ratione. Ad hæc, quando sinejatur Cæsar hæc trāstacite, cumque vixit Glauca homo impurus, ut ait Cicero in Orat. pro Rabirio Postumo, nullus erat Clodius, cui deforme esset favere. Nondum ceperat Republicam P. Clodius, quem Milo interfecit. Ego igitur sic interpretor: Glauca impurus homo cum videret Calvini-

ridiculum est; & utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. *Quid hoc?* <sup>87</sup> *Nevio ignavus?* severe Scipio. At in male olentem, <sup>88</sup> *Video me a te circumveniri*, subridicule Philippus. At utrumque genus continet verbi ad litteram immutati similitudo.

Ex ambiguo dicta, vel argutissima putantur, sed non semper in joco, saepe etiam in gravitate versantur. Africano illi majori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, cum ea sapius rumpetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari*, inquit, *si non convenit*. *Caput enim magnum est*: laudabile & honestum. At ex eodem genere est: <sup>89</sup> *Calvus satis est*; quod dicit parum. Ne multa: nullum genus est joci, quo non ex eodem severa & gravia fumantur.

Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula

nam pede claudicantem, recordatus est antiqui proverbii, quo veteres utebantur in hominem gerentem, vel dubia fidel. Querebant enim: *Nam claudicat?* hoc est constanter sibi, an potius errat, aut variat? Ex translatione verbi & ambiguitate obijcit homini mentis errorem, vel dubiam fidem. *Sic*.

<sup>87</sup> *Nevio* ] Dicitur est Africani, ut opinor, superioris in Navium, a quo fuerat accusatus, quod praeside bello Antiochi capta ararium fraudasset; alii tamen a Petilio accusatum fuisse scribunt. Locus annotationem habet. Nominatur a Livio oratio P. Africani, in M. Nevium, in qua, ut opinor, hoc dixerat. *Tornab.*

<sup>88</sup> *Video me a te circumveniri* ] Caesar dicit haec duo Scipionis & Philippi dicta verbi ad litteram immutati similitudinem contineri. In joco Scipionis verba *Nevius* & *ignavus* idem prope sonant, eademque fere sunt verborum litterae. In hoc vero Philippo, cui verba similia est verbum *circumveniri*? Foras nescio: jocus igitur non erit, nisi cum vulgaria nonnullis editionibus, & cum Lamb. & Steph. legimas, *Video me a te non conveniri*, sed *circumveniri*. Mementote lector, hoc in male olentem quendam dictum esse. Sensus autem est: Cum gravis est tibi halitus, quoties mihi occurras, non videaris mihi *convenire*, sed *invidias* mihi parare, & mali aliquid mihi inferre velle. *Parsons.*

<sup>89</sup> *Caput magnum* ] Ambiguum est, nam significatur & magnitudo partium, & amplitudo hominis. Publius autem fuit Licinius Varus bello secundo Punico bellis cum Veturio fuit ut Livius scribit. Postea etiam praetorem eodem bello adeptus est, in qua fuit ad populam, ut Iuli Apollinaris in statum diem in perpetuum vocentur. *Tornab.*

<sup>90</sup> *Calvus satis est* ] Hic *Calvus* esse nomen proprium non censent, sed appellativum, jocus ex eo est, vel quod veteres calvos fallaces consuebant, vel quod calvi miti, ut Nonius ait, omnibus erant frustrati: unde *calvus*, quod est frustror, decipio. *Satis est igitur quod dicit parum*, est ambiguum. Id est enim quod parum loquitur, vel quod parum orator est. Nam *dicitur parum pro oratore non est*, dicere solebant. Cicero in Bruto, *Nam T. Annius qui visit ad summam senectutem, vultus similitudo est horum, atque et hanc vir, & tamen sed dicitur parum*. Qui de Licinio Calvo oratore & poeta intelligunt, peccant ignorantia temporis. Si quis tamen, *Calvus*, nomen proprium, quod verum non puto, censent, eandem severae poterit ambiguitatem. Satis est quod parum loquatur, & parum sit eloquens, ne nos fallat verbis homo praesertim ineptus & molestus. *Idem.*

eula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam Sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.

XLII. Quare <sup>91</sup> primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum. Natura ridetur ipsa, quas personas agitare solemus, non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum, sed nobis tantum licet furim, si quando, & cursum: aliter enim minime est liberale. Tertium, oris depravatio, non digna nobis. Quartum, obscenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum. Detrahit igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facietia: reliqua sunt, quae aut in re, ut ante divisi, posita videntur esse, aut in verbo. Nam quod, quibuscumque verbis dixeris, facerem tamen est, re continetur: quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

Ambigua sunt in primis acuta, atque in verbo posita, non in re; sed non saepe magnum risum movent: magisque ut belle & literate dicta laudantur: ut in illum Titium, qui cum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque eum, <sup>92</sup> cum in campum non venisset,

<sup>91</sup> *Sannio* ] Sanna, inquit veteris Persii interpres, dicitur os distortum cum vultu: quod facimus cum alios iridemus: unde *Sannio* dicitur, qui non rectum vultum habent. Hic tamen doctissimus Budaeus animadvertit, nimis eum quoddam genus significari. Verum, ut reor, sana & sannio ab homine stulto & inepto. Sanna originem sumptere, qui tam stultus fuit: ut Cratinus Comicus sannam pro stulto usupaverit, quemadmodum relatum est ab Eudathio: quo etiam auctore deduci potest utrumque a Sannio populo Asiae, quos consuetudo Graecorum erat ejus aetate Tzanos vocare, qui moribus erant barbaris & incultis, ac proinde insulsis & infectis. *Aspert* & aliam originem a verbo *caino* idem.

<sup>92</sup> *Primum genus hoc...* non est nostrum, *morosum*, &c. ] Haec sunt Sannionum ridicula. Sullent enim personas eorum, qui

mores duros sequuntur & agrestes, qualis est Dema apud Terentium: qui nimia religione, & vano Deorum metu laborant, ejusmodi fere sunt mulierculae, qui nihil non suspicantur, ut senes: qui gloriam avidae captant, ut Thralo Terentianus: qui stulti sunt, ut Phaedria. Hujusmodi personas non sustinebit Orator, sed agitare vero, faceto aliquo dicto, aut lepida narratione perstringere. *Sic*.

\* *Locus Lamb. sic.*

<sup>93</sup> *Caus in campum non venisset* ] In campo Martio juvenis Romana cum aliis ludis, tum pila se exercebat, cujus studiosus erat Titius. Frangere autem brachium ambigue dixit Vespas Terentius, vel solum, vel signi sacri. Apparet istum Titium quaedam religionis opinione imbutum fuisse, qua simulacra damnabat, aut certe non satis pium.

nisset, requirent, excusavit Vespas Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. Ut illud Africani, quod est apud Lucilium:

<sup>94</sup> Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit.

Ut tunc amicus, Crasse, Granius, <sup>95</sup> non esse sextantis. Et, si quæritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit: sed risus movent alia majores. Ambiguum per seipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime in genio enim videtur, vim verbi in aliud, atque cæteri accipiant, posse ducere: sed admirationem magis, quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud genus ridiculi.

LXIII. Quæ genera percurram equidem: sed scitis esse notissimum ridiculi genus, cum aliud expectamus, aliud dicitur. Hic nobismetipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est etiam ambiguum, fit falsus: ut apud Nævium videtur esse misericors ille, qui <sup>96</sup> iudicatum duci videns, percontatur ita,

<sup>97</sup> Quanti

plum fuisse, qui signa sacra frangeret. Vespas proprium nomen non est meo iudicio, sed appellativum, significatque vestitionem. Pompeius, Vespas dicitur, qui foverandis corporibus officium gerens, non a minuti illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos offerant, qui funebri pompa duci proper inopiam nequeunt. Itaque, ut reor, hic dicitur Vespas Terentius, ut in Miloniana popa Licinius, id est sacrificulus. Si cui tamen Vespas proprium nomen esse videtur, non vehementer contra pugnabo. Tantum quid sentiam, testificor. Terentius.

<sup>94</sup> Quid? Decius, Nuculam &c. ] Africani dicitur, quidam interpretari voluerunt, & ad obscenitatem turpitudinemque perlegerunt. Satius esse duxerunt, effutire vulgus aures, quam se nescire quod nescirent, confiteri: quasi vero turpe sit ignorare, quod non culpa tua, sed temporum injuria ignores. Si Lucilli Satyre extarent, non esset difficile rem videre, quam Cicero tantam noxam attigit, non exprobravit. Perierant vel casti, vel misorum negligentia. Quid facias? unde sumas notionem? divinabitis, & incerta pro certis habebitis? Tanti-

ne tibi est verliculus maxime ridiculus, ut propter illum impudentiam tuam arque temeritatem vendides? Non placet mihi temere augurari: & si placeret, non referam ad obscenitatem, quia nec obscene loqueretur Africanus, nec obscena inter facta collo-car Cicero. Serebant.

<sup>95</sup> Non esse sextantis ] Jocus est ex ambiguo. Dicitur enim non esse sextantis, quod plaris est, id est, quod est magni pretii: & non esse sextantis etiam dicitur, quod minoris est, id est, quod nullius prece pretii. Nam non patrem diduci & distrali verbum debere, ut sex tantis dicitur, quo se modo interpretantur. Sic illud hominem nihil Granius, cum eum laudare videretur. Breuium enim in hostilibus dicebantur orta consuetudine ab emptione fervorum. Turnebus.

<sup>96</sup> Iudicatum duci ] Id est, condemnatum. Plautus, Male iudicatum est, iudicatum me esse abduci domum: & apud Gellium, Hæc confecti & debiti iudicatis rignata dies sunt dati. Sententia est: qui damnatum pecunie duci videt a creditore. Idem.

<sup>97</sup> Quanti additus? mille nummum.

Si addidisset tantummodo, Ducas licet; esset illud genus ridiculi præter expectationem: sed quia addidit,

Nihil addo, ducas licet:

addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, falsissimum. Hoc tum est venustissimum, cum in altercation arripitur ab adversario verbum, & ex eo, ut a Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui læcessivit, infligitur. Sed cum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quædam subtilior, attendere & acupari verba oportebit: in quo, ut ea, quæ sint frigidiora, vitemus, (etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur) per multa tamen acute dicemus.

Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum, Græci vocant παραφρασεις, ut <sup>98</sup> Nobiliorem, mobiliorem Cato: aut ut idem, cum cuidam dixisset, Eamus <sup>99</sup> deambularum: & ille, Quid opus fuit DE? Inmo vero, inquit, quid opus fuit te? aut ejusdem responsio illa, Si ru' & adversus, & aversus impudicus es.

Eriam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur; ut ego nuper, Nummum diviorem, ut Neoptolemum ad

Tom. I.

N n Tro-

<sup>97</sup> Quanti additus ] Versus est trochæus catalepticus. Quanti additus? Mille nummum. Nihil addo, ducas licet. Ille qui rogabat, videbatur iudicatum soluta summa aut promissa vindic liberaturus. Præter expectationem igitur, ducas licet, creditori dixit, significans se illi nullam facere moram. Adidit etiam ambiguum, cum dixit, Nihil addo, quod est, Nihil præterea rogo. Tantum enim scire volebam, quanti esset additus, nec peto ut a prætoris pluris addicatur mea causa. Nihil enim mihi debet, nec quicquam addo summx. Idem.

<sup>98</sup> Nobiliorem ] Fulvium Nobiliorem. (cum accusaverat Cato, eique ut probrum obsecerat: quod poetas in provinciam duxisset) Nobiliorem Cato appellavit ejus levitatem notans, quod maximum apud Romanos crimen erat, studiosos gravitatis & constantie. Idem.

<sup>99</sup> Deambularum ] Reprehendebat, quod

male esset Latine locutus, cum ambulationem dicere debuisset. Pierumque tamen composita idem quod simplicia significant, ut deambulare pro ambulare. Cato dixerat Latine. Idem.

Et aversus & aversus ] Obicit obscenitatem oris, cum aversus dicit, & imliberia, cum aversum: ne quis scortatorem aut adulterum cogitat, quos Latini non vocant impudicos. Nam impudicitia est in patiendo. Simile quiddam Anæstiles refertur in hominem castum illum quidem & integrum, voce tamen infraâ, & capillo composito, & oculis illicebrosis, Nihil interesse quibus membris homines cinadi sint potestrius, an principibus. Turnebus. Nec te movet obscenitas indigna liberali joco. Non enim jocabatur Cato, cum diceret hæc. In verbis, quæ cadunt jocunde, non in re, hoc dictum facetum est. Serebant.

Trojam, sic<sup>2</sup> illum in campo Martio nomen invenisse.

LXIV. Atque hæc omnia verbo continentur. Sæpe etiam versus facere interponitur, vel ut est, vel paululum immutatus, aut aliqua pars versus, ut Staius Scauro<sup>3</sup> stomachanti; ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant:

*St, tacere, quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater,  
Tanta confidentia estis? auferte istam superbiæ.*

Nam in Cælio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, cum ille a se pecuniam profectam diceret testis, & haberet filium delicatorem: abeunte jam illo,

*Sentim senem esse tædum triginæ minis?*<sup>4</sup>

In hoc genus conjiciuntur proverbia<sup>5</sup>: ut illud Scipionis, cum Asiellus omnes provincias stipendia merentem se peragrare gloriaretur, *Agas asellum*, & cætera. Quare ea quoque,

<sup>2</sup> *Illum in campo Martio* ] Romæ forum in campo Martio habebatur, ubi tabulæ nummulariorum erant, & ubi Divites numerum sui pecuniæ populo dividebant: & numerum igitur *Novemius* hic nomen suum traxisse iocose dicitur. *Perseus*.

<sup>3</sup> *Ut Staius Scauro* ] Gellius, IV. 20. *Cælius quoque ille communiarum poeta inclutus, sermo fuit, & propterea nomen habuit Staius*. Is forte, aut potius alius ejusdem nominis libertinus, Scauro stomachanti, paupertatem patris objecerat, qui, quamvis patricius, & nobilis, carbonariam tamen exercuisset. Ex eo natam ferunt legem Liciniam de Mitiarum, de regendis civibus, quæ bellum Italicum magno ex parte concitavit, quod qui vix liber esset, & civis, aut ne civis quidem, tam superbe principem se minus appellasset. Hinc usurpationi nos ad medium diffusus est *Asellus*, cum versum patrum immutatum, aut ad versus Poeta nobilitatissimum versum condidit, ut ad imitationem versuum Honori Hegemon Thasius poema totum (unde paradoxus poeta appellatus est) & Matronæ apud Athenarum, lib. 2. *Trojam*.

<sup>4</sup> *Sentim senem esse tædum triginæ minis* ] Antiochus orator censor factus de antiochæ causam dixit, accusatus a M. Duronio, Cælius, cujus filius erat intemperanti in libidines, (cum enim hic

delicatum vocat) pecuniam quandam a se profectam dicebat, quæ corrupta esset ab Antonio suffragia dixit Antonius ab adolescente in meretricibus infumtant emuncto patre, ut in comediis adolescentem facere solent. *Tangere enim hic fallere & circumvenire est*. Plautus, *Quia amare certis, tangere hominem vult holo*. Sic ferite dicebant, ut Terentius: *Ferietur alio munere Cæcæ*. M. autem Antonius & L. Flaccus censores hunc Duronium poëta senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam Trib. plebis abrogaverat. *Idem*.

<sup>5</sup> *Proverbia* ] Proverbia sunt, *Agas asellum*, *si sermo agere non potest*, quod cum de Claudio Asello, quocum gerebat inimicitias, usurpavit Scipio. *Græce sic est ferunt, & ad verba pæle, dæmæ, & ad ser, quo momente, ut si bubulci esse non possimus, nec queamus vel plaurum vel aratum agere, asinarum simus saltem*. Significavit ab imperatoribus eum inopia meliorum ductum fuisse; nec tam ductum militem ab imperatore, quam alium ab agatione alium esse. Nonnulli hic: *Ases asellum*, legunt, eosdem sensu, quod ab asinaris porcum quon ab imperatoribus ductus sit: sed, nisi fallor, proverbium quod protulit, verissimum sensum aperit. *Idem*.

quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur.

Est etiam in verbo positum non insulsum genus, ex eo, cum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare: ex quo uno genere totus est Tutor, mimus<sup>6</sup> vetus, oppido ridiculus. Sed ab eo a mimis; tantum genus hujus ridiculi insigni aliqua, & nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud, quod tu, Crasse, naper ei, qui te rogasset, num tibi molestus<sup>7</sup> esset futurus, si ad te bene ante lucem venisset: *Tu vero*, inquisi, *molestus non eris*. *Jubebis igitur te, inquit, suscipari?* & tu, *Certe negaras te molestum futurum*. Ex eodem hoc vetus illud est, quod ajunt Maluginensem illum M. Scipionem, cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, præcoque dixisset, *Dic de L. Manlio*:<sup>8</sup> *Virum bonum*, inquit *egregiumque civem esse arbitror*. Ridicule etiam illud L. Porcius Nafica censori Catoni, cum ille, *Ex tui animi sententia tu uxorem habes?*<sup>9</sup> *Non hercule*, inquit, *ex animi*

N n 2

mei

<sup>6</sup> *Tutor, mimus* ] Titulus est fabulæ mímica. *Idem*.

<sup>7</sup> *Non molestus* ] Quamquam sermo in interrogatione est, tamen apparet a Cicerone scriptum fuisse *Non*, alioquin non esset locus ioco: dicebantque non in interrogatione etiam, ut in negatione. Quod autem percontator dixerat interrogando, quasi insidioso dictum accepit Crassus, verba, non sententiam fecit. *Idem*.

<sup>8</sup> *De L. Manlio* ] Comitibus centuriatis consules & prætores creabantur. Consul autem factus est L. Manlius Acidinus cum Q. Fulvio Flacco, anno ab U. C. DLXXIV. quamquam alii etiam forte Acidini ante consulatum fuisse adepti, de quibus iocus forte accipi possit. In comitiis autem rogatores dicebantur consules, qui comitia habebant: sed & illi qui in centuria aliqua suffragia rogabant & renuntiabant consuli comitia habenti interrogante præcone, ut tum Scipio Maluginensis in sua centuria fuit. Meminit etiam Livius M. Cornelii Maluginensis lib. IV. qui consul fuit cum L. Papirio Crasso, multis aere hujus ætatem scoullis, si de eo Manlio quem dixi, iocum interpretaris, *Ac voce tum suffragia; non tabella creabantur, mundum hinc legibus tabellaris*. Rogatores

autem renuntiatores centuriarum fuisse, ita docet Cicero lib. II. de Divin. *Quæ enim Tib. Gracchus propter meriti reverentiam egerit tui in præconibus referendis subita cenodiffra, in statum introductisset, non ipsius rogatorum comitiarum fuisse dixerunt*. Præconis vide ut in eum dixerit, qui rogator centurie fuisse. *Idem enim erat mortuus*. Sed & consul renuntiabat, ut Cicero Murænanus se renuntiassit dixit. Præconem etiam populo renuntiabat quem centuria queque relata & renuntiata a rogatoribus consuli consulem faceret. Cum ergo Maluginensis a præcone rogaretur, ut de candidato L. Manlio diceret, quid ipsius centuria censuisset, ille tanquam non de renuntiatione interrogatus esset, sed de Manlii moribus, respondit: *Virum bonum & egregium civem esse roor*. Quod eo festivus est, quia non tantum de hominum moribus, sed & de candidatis ea verba vulgo usurpare solebant. *Idem*.

<sup>9</sup> *Ex animi tui sententia, tu uxorem habes* ] Interpunctione mutata recte iocum hunc sic explicat Lipsius. Censores, cum iustitiam condenderent, diligenter cavebant, ne quis civis sine uxore esset, Cicero de Legibus censorum officia describens, *salubres*, inquit, *esse præstatas*. Solebant porro in exigendo iuramentis.



mei sententia. Hæc aut frigida sunt, aut tum falsa, cum aliud est expectatum. Natura enim nos (ut ante dixi) nos-ter delectat error: ex quo cum quasi decepti sumus expectatione, ridemus.

LXV. In verbis etiam illa sunt, quæ aut ex immutata oratione<sup>19</sup> ducantur, aut ex unius verbi translatione, aut ex inversione verborum. Ex immutatione: ut olim Rufca<sup>21</sup> cum legem ferret Annalem, disfluator M. Servilius, *Dixi mihi, inquit, M. Pindari, num, si contra te dixerero, mihi male dicarurus es, ut ceteris fecisti? Ut sementem feceris, ita metes, inquit. Ex translatione autem: ut, cum Scipio ille major Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, *turmas*<sup>22</sup> dixit *dispersit*. Invertuntur autem verba: ut Crassus apud M. Perpernam judicem pro Aculeone cum diceret, *aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Helvius Lamia, de formis, ut nostis, qui cum interpellaret odiose: Audiamus, inquit, pulchellum puerum; Crassus. Cum esset arisum, Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere: ingenium potui. Tum hic, Audiamus, inquit, disertum. Multo etiam arisum est vehementius.**

Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis. Dixi enim dudum, materiam aliam esse joci, aliam severitatis: gravium autem, & jocorum, unam esse rationem. Ornant igitur in primis orationem verba relata contrarie: quod idem genus sæpe est etiam factum: ut Ser-

## VIII

jurando hæc verba præmittere: *Et animi sui sententia: id est, responde ad id quod rogabo, ita ut sentis: ac deinde addebat, Tuus equum habes? aut, tu uxorem habes? Quod idem in omni juramento servatum auctor Cicero in Academicis. Hinc factus hujus loci interpretatio. Cum enim censor Cato in ludro condendo a nescio quo Natica solemnibus verbis de more petisset, *Ex animi tui sententia dic videret, tu uxorem habes? ille incompetite dicit, & in alium sensum verba censoris detorqueus respondit, non hercle ex animi mei sententia. Quasi censor non rogasset utrum uxorem haberet, sed utrum morigeram & bonam, & ex animi sui sententia haberet. Quis iste fuerit L. Natica incertum; censores autem cui id contigit**

fulse M. Catonem illum censorium Liphus existimat. *Profr.*

<sup>19</sup> *In immutata oratione* ] Sic allegoriam convertit, quæ non in verbo, sed oratione posita est. Lib. 112. de Oratore, translationem & immutationem vocat, quam Græci *ἁναξω* appellant. Hæc immutatio orationis, *πονοια* ad Herennium dicitur. *Turmas*.

<sup>21</sup> *Olim Rufca* ] Legem Annalem M. Pindarius Rufca tulit, cum esset Tribunus plebis anno U. C. DCCXIII. *Erast.*

<sup>22</sup> *Turmas* ] Statum, turmas proprie dicuntur, & translate. Proprie dicte sunt statuz equitres: nam turme sunt equitum, non pedum. Improprie, & translate dicuntur gregales, & in turba collocatæ, cuiusmodi non expebat Scipio. *Strab.*

vius ille Galba, cum iudices L. Scribonio<sup>13</sup> tribuno plebis ferret familiares suos, & dixisset Libo, *Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exisibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. A quo genere ne illud quidem plurimum distat, quod Glaucia Metello, Villam in Tiburte*<sup>14</sup> *habes, chortem in Palatio*<sup>15</sup>.

LXVI. Ac verborum quidem genera quæ essent faceta, dixisse me puto. Rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi ante) ridendæ, in quibus est narratio: res sane difficilis. Exprimenda enim sunt, & ponenda ante oculos ea, quæ vide-

<sup>13</sup> *L. Scribonio* ] Magnus inter se similitudines & omnia exercebant Galba orator, & Scribonius Libo: adeo ut tribunus tandem Libo in eam rogationem ferret privilegii similitudinem, quod Lufitanorum magnam manum perfidiose intercessisset, tribunicia aditione Catone subscribente, quæ de re in Bruto scribitur. In quadam igitur altercatione, ac forte in concione, Galba de Libone conquerens, in eum invehens, postremo iudices ferebat, quod solent homines fieri in magna causa falsis adversariorum provocantes, cum aut iudicem ei ferunt, aut ab eo petant, Ferebat autem, id est, offerebat, & dabat ei Galba familiares suos, quibuscum esset epulari solitus. *Suorum & alienorum contrarie relata sunt. Cubiculum alienum dicitur obijcens ei adulteria. Turmas.*

<sup>14</sup> *Villam in Tiburte* ] Villa Tiburtina in maximo erat pretio, adeo ut doleat Catullus suam fundum Sabinum potius, quam Tiburtem, dicit.

<sup>15</sup> *O fidei vester, seu Sabine, seu Tiburte: Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est.*

*Cardi Castulani ledere: ac quibus cardi est.*

*Quis Sabinum pignore esse contendunt. Illic villam habebat magnificentissimam & elegantissimam, ideoque invidiosam Metellus. Ergo Glaucia vir impotissimus obijcit illi invidiosè villam Tiburtinam, ut & infra Caesar. Ego vero, inquam, a parva æquiline vides villam tuam. Idem Metellus in Palatio habitabat, ubi, ut ex oratione pro Cælio, intelligi potest, Metellorum datum fuit: cumque chore villæ sit, non domus, in qua imploratum dicitur potius, illi dicit choream habere in Palatio, ei*

obijcens crimen affectati regni. Chortem enim hominum intelligit. Palatio autem occupato Romam ferre habere potuisset in potestate. Itaque periculosus temporibus ei prædium imponebatur. Cicero in Catilinam: (I. 1.) *Nihil te nequam prædium Palatii.* In Metellum aut Numidicum istud dictum est, qui exulare maluit quam in Saturnini leges jurare. Glaucia Saturnini factionem sequebatur. *Idem.*

<sup>16</sup> *Chortem in Palatio* ] Cui Apulejus Saturninus, Tribunus plebis festivus ac turbulentus, cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, ex quod in eam minime jurasset, dicitur dixit. Qui cum a bonis civibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est. Hæc ex Floro, lib. 112, cap. 16. Qui descendeant Metellum, & vim parabant, conveniebant in Palatium, Consuleque vocabant adversus Saturninum, & Glauciam. *Chortem, forum etiam in funis. Quasmodum Glaucia homo dicitur, & tum infestus Metello, Villam, inquit, in Tiburte habes, chortem in Palatio.*

*Chortem dicit ut cohortem, pro multitudine eorum qui conveniebant in unum, quo Metellum tuentur. Est autem chort, spatium intra villæ macerem. Varro, de R. rust. Chortem barbari curiam vocant. A chore dicta est chort, quæ est decima pars legionis, & aliquando incerta multitudine. Illis Glaucia translatione. Transiit enim cohortem villam ad significandum hominum cohortem, ut sic scribitur. Qui villas habent, in illis habent cohortes, in quibus ævæ & pecudes alunt. Tu vero villam in agro habes, chortem Romæ in Palatio. *Strabon.**

antur & verisimilia, quod est proprium narrationis, & quae sint, quod ridiculi proprium est, subterpua: cujus exemplum, ut brevissimum, sit sane illud, quod ante positum, Crassi de Memmio. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum.

Trahitur etiam aliquid ex historia, ut, cum Sex. Titius se Cassandram<sup>16</sup> esse diceret, *Multos*, inquit Antonius, *possum tuos Aspacos Oileos nominare*. Est etiam ex similitudine: quae aut collationem habet, aut tanquam imaginem. Collationem: ut ille Gallus olim testis<sup>17</sup> in Pisonem, cum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus temeritate Magii redargueret: *Erras*, inquit, *Scave*. *Ego enim Magium non conservasse dico, sed, tanquam nudus nuce legeret, in ventrem abstulisse*. Ut illud M. Cicero senex<sup>18</sup>, hujus viri optimi, nostri familiaris, pater, *Nostris homines similes esse Syrorum venalium*<sup>19</sup>: *us quisque optime Graece sciver, ita esse nequissimum*.

<sup>16</sup> Cassandram ] Ita se vaticinatum esse dicebat, sed neminem credidisse. Nec enim Trojani fidem habebant Cassandram vati. Propertius, II. 13. 62.

<sup>17</sup> Vera loquer, sed nulla fides: neque enim illa quondam

<sup>18</sup> Senex Pergamensis Memas habenda viri. Quod & a Marone scribitur. Eam Ajax Oilei filius capta Troja in Templo Minervae conlupravit, ut multi pontae canunt: quod tamen Homerus non scribit, aliamque adest naufragii Graecorum causam, ut auctor est Strabo. Obijcit autem istam obsecrationem Titio Antonius propter molliorem fratris & soluti gelus & viro indigni: adeo ut ex ejus nomine saltatio quaedam mollis & delicata Titius diceretur. In Sextum Titium virum turbulentum & seditiosum se testimonium accuratissime dixisse, narrat hoc libro 11. Antonius. *Turbulentus*.

<sup>19</sup> Gallus olim testis ] Confirmabat innumerabilem ab illo pecuniam Magio praefecto per corruptelam esse datam. Scaurus, qui patronus aderat Pisoni, testimonium referre conabatur tenuitate, id est, paupertate Magii: non esse verisimile, eum qui innumerabilem pecuniam recepisset, tam pauperem esse. Tum Gallus facere: *Erras*, in-

quit, *Scave*, in hac tua refutatione. Ego enim Magium non conservasse pansoniam dico, sed tanquam nudus nuce legeret, in ventrem abstulisse. Qui nuce legit, id est, colligit modus, non potest auferre vel in sinum, vel in manicas: mittit in ventrem. Sic ille Magius in composito omnem pecuniam dicebatur abstulisse. *Serebatur*.

<sup>18</sup> M. Cicero senex ] Is avus Ciceronis oratoris fuit, qui in municipali republica M. Gratidius legem. Tabellariam ferenti resistit: pater autem Ciceronis Caesaris, Crassus, Antonio, familiaris fuit, sed & parvus. Itaque qui de patre Ciceronis intelligunt, peccant. *Turnebus*. Urinus censuit legendum esse *Cato*, quia nota sunt Catonis cum Graecis & Graece scientibus inimicitiae: sed cur non fieri potuit, ut ejusdem esset sententiae M. Cicero senex, scilicet avus nostri Ciceronis? De avo ejus hoc dictum patet, non de patre: is enim qui illius M. Cicero nis senex filius fuit, quique hic vocatur *vir optimus & Caesaris familiaris*, non fuit Cicero Oratoris, (nam tunc temporis non nisi decimum sextum annum aetatis agebat.) sed pater Oratoris, qui, ut discimus ex lib. 17. c. 1. familiaris Crassi & Antonii fuit. *Poeritius*.

<sup>19</sup> Syrorum venalium ] Venalitarii mag-

## Val-

Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitate, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris: ut meum illud in Helmiunc Manciam, *Jam ostendam, cujusmodi sis*; cum ille, *Ostendo, quae so*: demonstravi digito pictum Gallum<sup>20</sup> in Mariano scuto Cimbrico sub Novis<sup>21</sup> distortum ejecta lingua, buccis fluentibus. Rufus est commotus: nihil tam Manciae simile visum est. Ut cum Testio Penario<sup>22</sup> mentum in dicendo intorquenti, *Tum tu diceret, si quid velles, si nucem fregisses*.

Etiam illa, quae minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu, Crasse, in concione, ita sibi ipsum magnum videri Memmium, *us in forum descendens caput ad fornicem Fabii*<sup>23</sup> demitteret. Ex quo genere etiam

quam vim fervorem Syrorum Romani advertebant. Hinc illud Ciceronis, in Pison. cap. 1. *Nemo queritur Syrum nefcio quem de grege novitimum scitum esse consulere*. Nam praedones Cilices oram Syriae infestam habebant, & praedas illinc agebant, captivaeque corpora Delum deportabant ad necatum, unde Romani emebant. Qui autem Syri optime loquebantur Graece, diu servierant in Graecia, veteratioraque & noquam evaserant, nec novitii erant: sed quod servituri dixerunt, quae improbus & callidos reddit, attribuendum fuit, id in Graecorum more conferebat Ciceronis avus, qui infestus Graecis fuisse videtur non multo secus, ac Cato censorius. *Turnebus*.

<sup>20</sup> Pictum Gallum ] Tabernae erat circus forum, inquit Fabius: & scutum illud signi causa positum. Marianum autem scutum Cimbricum vocat, propterea quod Cimbris auget a Mario victis, in memoriam viri fortis dominus tabernae scutum suspenderat, sic pictum pro tabernae signo. Solebant etiam ad pompam triumphi ornatum multa hujusmodi scuta traduci, & in foro poni. Scutum igitur pendebat in taberna pro signo, in quo Gallus linguam ejiciebat, id est, exerebat. Sic enim in contumeliam & deformitatem eum fode pinxerant: fortasse etiam quod in historia scriptum scirent, Gallum qui cum Torquato pugnavit, linguam exerevit. Livius, *Arminius adortus quoque adersus Gallum solite latronis*. & (quoniam id quoque memoria dignum autemque visum est) linguam etiam ab irrivo exerevit,

producent. Plinius (xxxv. 4.) hunc jocum non Julio, sed Crasso tribuit, nec scutum, sed tabulam nominat. Sic enim scribit, *Hinc ille Crassi oratoris lepos agerit sub Veneribus, cum testis compellatur inflare*: Dic ergo Crasse, qualem me reris? Talem, inquit, ostendat in tabula pictum josacrissimum Gallum exerevit linguam. Idem.

<sup>21</sup> Sub Novis ] Ut locus erat in foro, qui sub Veneribus, sic, qui sub Novis dicebatur, a tabernis. Idem.

<sup>22</sup> Testis Penario ] Testis Penarius dicendo mentum non aliter intorquebat, quam qui dentibus frangit nucem: quod cum J. Caesar animadvertisset, excepit adversarium ridiculo. *Dixit*, inquit, *si quid velis, postquam nucem fregeris*. *Strebaxus*. Simile est illud in Vespasianum, qui vultu nitens errat: *Dicam, cum ventrem exonerare desieris*. *Turnebus*.

<sup>23</sup> Ad fornicem Fabii ] De homine prologo interpretatur Fabius (VI. 3.) hunc in modum: *Quale refero Cicero de Memmio homine prologo, caput cum ad fornicem Fabii ostendisset*. Sed censam potius accipi debere de animi vitio, ut C. Memmium infestum patribus tam magnum sibi videri dicat, ut ad fornicem Fabii, qui altissimus erat, caput demitteret. Sic enim reprehenduntur magi ejus spiritum: & notatur insolentia hominis sese afferente supra modum. Ut ita intelligant, faciunt & verba Ciceronis scribentis ipsum Memmium ita sibi videri magnum, & historia. Idem.

iam illud est, quod Scipio apud Numantiam, cum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, *Si quinrum<sup>24</sup> pareret mater ejus, asinum fuisse parituram.*

Arguta etiam significatio est, cum parva re, & saepe verbo res obscura & latens illustratur: ut, cum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus & furax, sed egregie fortis & bonus imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulenti fecisset, bello praesertim magno & gravi; *Nihil est, quo mihi gratias agas, inquit, si malui compilari, quam venire<sup>25</sup>.* Ut Afello Africanus objicienti lustrum illud infelix, *Noli, inquit, mirari. Is enim, qui te ex arariis exemit<sup>26</sup>, lustrum condidit<sup>27</sup>, & taurum immolavit.* Tanta suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse<sup>28</sup> videatur Mummium, quod Afellum ignominia levarit.

LXVII. Urbana etiam dissimulatio est, cum alia dicuntur ac sentias; non illo genere, de quo ante dixi, cum contra-

<sup>24</sup> *Si quinrum* ] Q. Metellus Macedonicus quatuor habuit filios consulares, quorum ut quisque ceteros aetate, sic ingenio superabat. Omnium igitur minime ingeniosus fuit C. Metellus, cujus tarditatem accusans Scipio dicebat, si mater ejus quinrum pareret, asinum fuisse parituram: quasi ita obtusus fuisset Metellus, ut nullus nisi asinus ipsi posset esse inferior. *Problema.*

<sup>25</sup> *Compilari, quam venire* ] Gellius, lib. xv. cap. 8. refert quosdam scribere id Fabricium, non Rufinum, sed aliis mirantibus, quod hominem inimicum & avarum consulenti fecisset, respondisse. Apud Fabium lib. xii. cap. 2. scribitur, *Malui a civi me sperari, quam ab hoste venire.* Turnebus.

<sup>26</sup> *Ex arariis exemit* ] Ceulores malos civis sic notabant, ut qui senator esset, Senatui moveretur, qui eques Romanus, equum publicum amittere; qui vero plebejus, fieret ararius, nec esset in albo censorie suae tanquam civis, sed tantummodo pro capite suo tributi nomine *arsa* penderet. Si quis plebejus hac ignominia levabatur illum ex gratiis *exoni* dicebant. *Strebatus.* Porro notandum est morem fuisse Consulis taurum immolandi, cum lustrum conderet, & finirent. *Peaseius.*

<sup>27</sup> *Lustrum condidit* ] Censu peracto, im-

molatque sacra, ovae, taurus, lustrum condidit, quod in censendo finis effectus: non autem semper acto censu lustrum condebatur. Nam si quid dicitur, & omnino sum, aut finitrum accidisset, lustrum conditas erat: Livius, *Census actus eo anno lustrum, propter Capitolium captum, consulem actum, tandi religiosum fuit.* Itaque census is, quo lustrum condebatur, ab Ulpiano census lustralis appellatur. Significat igitur Scipio, civitati prope opus esse expiatione, quod cum Afellus exemptus sit ex arariis, quod omnino sum & dicitur videtur, conditum tamen lustrum sit: inde enim infelix lustrum & calamitosum fuit, multumque mali postea reip. evenisse. Verba Africani de Mummio, qua a Valerio scribuntur, hic adscribam: *Cum haberet, inquit, censoris consulem Mummium, ut videlicet, in arariis vitiis, pro Roscio dixit, se esse molestam reip. omnia gesturum, si sibi civis, vel delictum collegam, vel non delictum.* Turnebus.

<sup>28</sup> *Religione obstrinxisse* ] Religione civitatem obstringere, est cum metum violatae religionis incutere civibus, ut expiandum civitatem, & Deos esse placandos existiment. *Strebatus.*

ria dicas<sup>29</sup>, ut Lamia Crassus, sed cum toto genere orationis severe Judas, cum aliter sentias ac loquere: ut noster Scævola Septimulejo<sup>30</sup> illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se in Afiam praestum duceret, *Quid tibi vis, inquit, insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.* In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Emilianum dicit fuisse, & eum Græco verbo appellat *επαισι*: sed, uti ferunt, qui melius hæc norant, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiæque longe lepore, & humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans, & cum gravitate falsum, cumque oratoris dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. Et hercule omnia hæc, quæ a me de facietis disputantur, non majora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, *P. Mummium civis temporis<sup>31</sup> hominem esse*: sic profecto res se habet, nullum ut sit vitæ tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari.

Sed redeo ad cætera. Est huic finitimum dissimulatio, cum honesto verbo vitiosa res appellatur: ut cum Africanus censor tribu movebat cum centurionem, qui in Pauli pugna<sup>32</sup>

Tom. I.

O o

<sup>29</sup> *Cum contraria dicas* ] Genus illud superius dicit, quo per inversionem quis jocatur, a quo ironiam hic distinguit, quam dissimulatioem appellat, ac mox etiam dissimulantiæ. Es plurimum usus est Socrates in sermonibus, praesertim cum sophistis disputans. Nam ut levis dicitur, plurimum tribuebat vis, quos volebat retellere. *Turnebus.*

<sup>30</sup> *Scævola Septimulejo* ] C. Gracchus, solitissimo Tribunatu acto, cum Aventinum armata multitudine occupasset, L. Optimum Consul ex senatusconsulto persequens illum, praemium pollicitur ei, qui Tribuni caput auferret, ad seque deferret. Id fecit Septimulejus Anagninus, & aurum in praemium accepit. Cum Scævola in Afiam pro-

ficeretur, & Anagninus rogaret ut eo se praefectum duceret. *Quid tibi vis, inquit, &c.* Videtur severe & graviter homini consule, quem ut avarum crudeliumque deludat, quia pro capite malorum civium velit aurum sibi rependi. *Strebatus.*

<sup>31</sup> *Civis temporis* ] Simile quiddam de Afiano Pollione refert Fabius hunc in modum: *Ut de Pollione Afiano scribitur, sicque pater accommodata dicitur est, esse cum omnium horum. P. autem Mummium lepidus & factus cum esset, homo civis temporis a Publicio dicitur est, quod in otio, in negotio, in rebus laetis, in asperis, jucundis hominibus esset, & cunctumque temporis agrus.* *Turnebus.*

<sup>32</sup> *Pauli pugna* ] *Pauli pugna*

gna<sup>32</sup> non affuerat, cum ille se custodia causa diceret in castris remanisse, quaereretque cur ab eo notaretur; *Non amo, inquit, nimium diligentes.*

Acutum etiam illud est, cum ex alterius oratione aliud excipias atque ille vult: ut Salinatori Maximus, cum Tarento amisso, arcem tamen Livius retinisset, multa ex ea praelia praelia fecisset, cum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse; *Quidni, inquit, meminerm?* nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses.

Sunt etiam illa subaburda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis:

*Homo fatuus,*

*Postquam rem habere cepit, est mortuus.*

*Quid est tibi*

*Ista mulier? Uxor. Similis medius fidius<sup>33</sup>.* &

*Quamdiu ad aquas<sup>34</sup> fuit, nunquam est mortuus.*

LXVIII. Genus hoc levius, & ut dixi, mimicum; sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancua, cum audisset te censorum a M. Duronio de ambitu postulatum, *Aliquando, inquit, tibi tuum negotium<sup>35</sup> agere licebit.* Valde hæc ridentur, & hercule omnia, quæ a prudentibus,

<sup>32</sup> *Pauli pugna* ] Prælium illud intelligo, quo confixit cum Perse rege Macedonia Paulus Emilius, *idem.*

<sup>33</sup> *Similis medius fidius* ] Quidam cum deforme & foedam mulierem videret, iuterrogavit virum qui aderat illi perimilis: *Quid est tibi ista mulier? Soror, an cognata?* Cum respondisset, *uxor est mea: tum ille, Similis est tibi medius fidius.* Ac si diceret, Ex lineamentis corporis iudicaveram tuam sororem esse, vel cognatam. Hoc modo facite notavit illius viri foeditatem.

*Srebent.*

<sup>34</sup> *Ad aquas* ] Aquas in plurali cum dicunt, aquas calidas & medicatas intelligunt, ut Bajanas & Purcolenas: ægri autem valetudinis causa ad aquas Bajanas ibant: Horatius, *epist.* 15. lib. 1. Quidam igitur

lento contabescens morbo, ad aquas recreatus tandem esse videbatur, reversus paulo post obiit. Id absurdum videri vult cavillans, quod ad aquas positus, ubi valetudinis causa tandiu descendat, mori debeat. De piscatione intelligi jocum minime placeat. *Turnebus.*

<sup>35</sup> *Tuum negotium* ] Erat Antonius admodum occupatus in perenda censura, & negotium multis succedebat. Accusatus de ambitu coactus est, ut se defenderet, omittente aliena negotia. Visus est illi Mancua quidam grarulari, quod de suis tandem negotiis, quæ, ut publica curaret, neglexisse videbatur, serio ipsi cogitare liceret. Verum clam arguebat his verbis miniam illius in aliena re serietatem & diligentiam & negligentiam in sua. *Præterit.*

tibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subaburde, falseque dicuntur. Ex quo genere est etiam, non videri intelligere quod intelligas: ut Pontidius, *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? tardum.* Ut ego, qui in delectu, Metello<sup>36</sup>, cum excusationem oculorum a me non acciperet, & dixisset, *Tu igitur nihil vides? Ego vero, inquam, a porta Esquilina video villam tuam.* Ut illad Nafica, qui cum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse: Nafica sensit, illum domini iussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Naficam venisset Ennius, & cum a janua quaereret, exclamavit Nafica, se domi non esse. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nafica, Homo es impudens. Ego cum te quaerem, ancilla tuæ credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irrideret in eo ipso genere, quod dixit: ut, cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset, *Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu & lana? Non pot, inquit, audeo. Nam me ad famosas vetuis mater accedere.*

LXIX. Salsa sunt etiam, quæ habent suspicionem ridiculi absconditam: quo in genere est illud Siculi, cui, cum familiaris quidam quaeretur, quod diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu, *Amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore quos seram surculos.* In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo; qui cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse: *Ac magnam quidem, inquit, neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.*

O o 2

Me

<sup>36</sup> *Metello* ] Metellum hunc esse puto Numidicum, qui Numidiam sortitus provinciam bello Jugurthino, delectum, ut Sallustius scribit, Romæ habuit: in quo petenti militia vacationem Casari, morbumque oculorum juranti; *Tu istud, inquit, nihil vides?* quasi sola cecitas excusanda esset, nec legis esset morbus oculorum ad vacatio-

nem. *Isa vero, inquit ille, a porta Esquilina video villam tuam Tiburtinam.* In quo ei obiecto invidiosè villam nimis magnificam, mimique alto ædificaram; & quid ageretur, dissimulavit, atque ita respondit, quasi tantum interrogaretur quantum videret, non quasi iusta excusatio esset: *Turnebus.*

Me quidem hercule valde illa movent stomachosa, & quasi submorosa ridicula, non cum a moroso dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, per falsum illud est apud Nevium,

*Quid ploras pater?*

*Mirum in causam: condemnatus sum.*

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti: ut, cum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, cum ille diceret, *Cove: rogavit, numquid aliud feres preter arcam?*

Etiam stultitia falsa reprehensio: ut ille Siculus, cui prator Scipio patronum causa dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum, *Quaso, inquit, prator, ad verbario meo da istum patronum; deinde mihi neminem dederis.*

Movet illa etiam, quæ conjectura explanantur longe aliter, atque sunt; sed acute, atque concinne: ut, cum Scaturus accusaret Rutilium ambitus, cum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, & in ejus tabulis ostenderet literas, *A. F. P. R.* idque diceret esse, *Actum fide P. Rutilii*; Rutilius autem, *Ante factum, post relatum*; *C. Canius*, eques Romanus, cum Ruso adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. *Quid ergo, inquit Scaturus? Amilius fecit, plectitur Rutilius.*

LXX. Ridentur etiam discrepancia. *Quid huic abest, nisi res & virtus?* Bella etiam est familiaris reprehensio, quasi errantibus:

*37* *Et in ejus tabulis* ] Veteres Romani (ut dixi ad c. 23.) tabulas rei familiaris suæ conficere solebant: has & Rutilius ille Rufus confecit, & ex his in iudicium prolatis Amilius Scaturus aliquid contra Rutilium attulit. Causa huiusmodi fuit: Scaturus & Rutilius una Consulatum petebant; Scaturus vero, qui eum obrulit, accessit Rutilium ambitus, & ad id crimen probandum postulavit, ut Rutilii tabulis in iudicium affererentur; in his tabulis Rutilius retulerat, ea quæ in sua petitione Consulatus contigerint, puta turbas populi, suffragiaque non sine seditione quadam lata, & in fine addiderat quatuor has litteras, *A. F. P. R.* Eas Amilius Scaturus malo animo sic explicavit, *actum fide Publici Rutilii*, itaque

innui contendit, id, quod actum fuerit & memoratum in Rutilii tabulis, actum fuisse auctoritate Rutilii ejusque sponte, quam clam promiserit vel pecuniam vel securitatem suffragia istiusmodi ferentibus. Rutilius vero dixit se his literis solum significasse, *ante factum, post relatum*, id est, ea quæ in tabulis ejus memorata processerant, ante (scilicet interfecto tempore) facta erant, quam ipse ea scripto mandasset. Interim Canius alio modo, quam vel Scaturus vel Rutilius, has literas traxerunt, scilicet *Amilius fecit, plectitur Rutilius*, id est, id in quo Scaturus Rutilium accusat, fecit Scaturus ipse, quamvis Rutilius ob id plectendus videretur. *Petr.*

ris: ut cum objurgavit Albius Granium<sup>38</sup>, quod, cum ejus tabulis quiddam Albucio probatum videretur, & valde aboluto Scævola gauderet, neque intelligeret contra suas tabulas esse iudicatum.

Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris: ut, cum patrono malo, cum vocem in dicendo obtulisset, suadebat Granius, ut nullum frigidum biberet, simul ac domum redisset: *Pordam, inquit, vocem, si id fecero: Melius est, inquit, quam rem.*

Bellum etiam est, cum, quid cuique sit consentaneum, dicitur: ut, cum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygonis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat: federetque advocatus reo Bestia, cum finis quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide, inquit, Scavre, mortuus rapitur, si potes esse possessor.*

Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est præter expectationem: cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis, & de lege Thoria<sup>39</sup>, & premeretur Lucilius<sup>40</sup> ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, *Non est,*

*38* *Ut cum objurgavit Albius Granium*, &c.] Sunt qui hunc locum emendandum censent omnes, ut opinor, male interpretati sunt. Albucius Scævola de pecuniis repetundis accusavit, ut dicit Cicero in Bruto, & libro primo de Finibus, ad probanda vero ea, quæ Scævola obsecrat, Granius tabulas protulit; Scævola iudicium sententis abolutus est; Granius igitur tabulas falsas esse istem sententis iudicatum est; si quid enim Albucius ex istis tabulis contra Scævola adhibuit, iudices vero Scævola abolverunt, manifestum est istas tabulas iudicibus visas fuisse falsas. Albius igitur quidam ex his, qui aderat, objurgavit Granium, qui & gaudere suam amicum Scævola abolutum fuisse, & non videret contra suas tabulas iudicatum fuisse. Movit igitur eum non tam ad Scævola res secundas, quam ad suas adversas respicere. *Liens.*

*39* *De lege Thoria* ] *Sp. Thorius*, ut inquit in Bruto Cicero, *valuit in populari ge-*

*neri dicendi, ut qui agrum publicum vitiosa & invidi lege vestigal levavit.* Appianus hoc aliter scribit, nec ei cum Cicero convenit. At enim a Thorio vestigal agri publico esse impostum, quod plebi vitium divideretur: ab alio deinde tribuno vestigal esse solutum. Sed Cicero silenti habeamus in legibus & institutis patriæ suæ, non peregrino nec hostii. Lege igitur Thoria agri publici, qui ante attributi fuerant civibus vestigales, publice possideri ceperit, & publicanis elocari, quod minus utile erat, quam si possessores vestigal pendissent. Nihilominus tamen Lucilius lege recentis, & populo iustis, in agros suam pecus immitterebat, fortasse non peccius, certe non petito a publicanis pascendi jure. *Tuener.*

*40* *Lucilius* ] Ex veteri codice Pighius ad annum U. C. DCXXXVIII. corrigendum putat *Lucullus*, L. Luculli qui Mithridatem vicit, patet, quem avaritia, luxu, & alioque vitis satanum fuisse scribit Plutarchus in Lucullo. *Preslaur.*

est, inquit, Lucilii pecus illud: erratis: ( defendere Lucilium videbatur ) ego liberum puro <sup>41</sup> esse: qua liber, pascitur.

Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Tib. Gracchum percudit. Cum ei M. Flaccus multis probris objectis P. Mucium iudicem tulisset, Ejero, inquit: iniquus est <sup>42</sup>. Cum esset admurmuratum, Ab, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus.

Ab hoc vero Crasso nihil facietis. Cum læsisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: Potesse fieri, inquit, Sile ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Potesse etiam, ut tu non recte intellexeris. Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. Potesse etiam, fieri, inquit, ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris. Hoc ita prater expectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret.

Hujus generis est plenus <sup>43</sup> Nevius, & jocus est familiaris <sup>44</sup>.

Sapiens si algebis, tremes.  
& alia permulta.

LXXI. Sæpe etiam facete concedas adversario idipsum, quod tibi ille detrahit: ut C. Lælius, cum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis majoribus, Ar bercule, inquit, tu tuus dignus. Sæpe etiam sententiose ridicula dicuntur: ut M. Cincius, quo die legem de donis & muneribus <sup>45</sup> tulit, cum C. Censo prodixisset, & fatis contumeliose,

<sup>41</sup> Liberum puro ] Id est, nullus esse puro, dominum habere non existimo. Vide si etiam cuiquam fortasse possit ductum a pecudibus, quæ diis consecrabantur, vocanturque liberi & liberi Cœ, quæ sine custode libere pascebantur. Terentius.

<sup>42</sup> Ejero, inquit, inquit est ] Rejectione, iudicem inquit. Nam ejerere est tanquam jurjurando redire, se recitare. Cum autem Natica ejerasset iniquum Scævolum, secuta est admurmuratio omnium, propter eximiam de Scævola aequitatis & probitatis opinionem. Præter expectationem ejeravit, quod in consulari causam publicam defendisset, nec tam armis adversus Tiberium Gracchum defendisset, patribus.

quo ejus opem implorantibus negasset se quoquam vi esse acturum. Idem.

<sup>43</sup> Nevius ] Lamb. Nevius. Est locus, est familia.

<sup>44</sup> Et jocus est familiaris ] Melius in libris veteribus scribitur, Est jocus, est familiaris, sapiens si algebis, tremes. Ita enim factus, uti integer, cujus sensus erit: Quantumvis urbanus fuerisque sis, quantumvis bonus leges natus, tamen illa non facient, qui si algeas, tremes; quod præter expectationem est dictum, cum prædicia non desurta expectaremus homini ingenioso & bonæ nato familia. Idem.

<sup>45</sup> De donis & muneribus ] Cuius Cincius, vir ætatis Lucilianæ, ut Macrobius scribit, legem tulit Muneralem, qua cavebatur.

Quid fers, Cinciole? <sup>46</sup>, quæssisset: Ut emas, inquit, Cai <sup>46</sup>, si uti velis.

Sæpe etiam falsæ quæ fieri non possunt, optantur: ut M. Lepidus, cum cæteris se in campo exercentibus, in herba imple recubisset, Vellem hoc esset, inquit, laborare. Salsum est etiam quærentibus, & quasi percontantibus, lente respondere quod nolent: ut censor Lepidus, cum M. Antistio Pyrgensi equum ademisset, amicique cum vociferarentur, & quærent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, cum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset: Me istorum, <sup>47</sup>, inquit, nihil credere.

Colliguntur a Græcis alia nonnulla, execrationes, admirationes, minationes. Sed hæc ipsa nimis mihi videor multa in genera descripsisse. Nam illa, quæ verbi ratione & vi continentur, certa fere ac definita sunt: quæ plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent.

Hæc autem, quæ sunt in re & in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Expectationibus enim decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis, & similitudine turpioris, & dissimulatione, & sub-absurda dicendo, & stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque imbuendus est is, qui jocosè vult dicere, quasi natura quadam apta ad hæc genera, & moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur: qui quidem quo severior est & tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quæ dicuntur, falsiora videri solent.

Sed

hatur, ne quis ob causam orandam munus aut donum caperet. De ea loquitur Plautus, cum scribit: Neque Muneralem legem neque Lenoniam, rogato necesse fuerit, foculæ astutus. Eam legem admodum senex fuisse Fabius Maximus. Verba hujus legis quætionem attulerunt, quid donum a munere differat. Labeo genus esse donum ait: a donando dictum, speciem munus. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalitium, nuptiarum: & quale patronorum fuerit honoratum. Idem.

<sup>45</sup> Quid fers, Cinciole ] Contumelia inest in dissimulatione, & contemptu, quam etiam

iam voce adjuverat. Idem.

<sup>46</sup> Ut emas, Cai ] Ducta est hæc sententia ab his, qui cum nolunt vicinis commo- dare vasa utenda, respondent, Emæ si vis: quam ad dona & munera patrocini- rum, quibus ditatus erat Censo, tradidit Cincius: illius perstringens operam venalem. Sese enim ait laturum, ne quis ei quid daret. Idem.

<sup>47</sup> Me istorum ] Id est, dicat patri suo, me non credere ipsum talem esse, qualem prædicatis, scilicet parcissimum, modestissimum, frugalissimum. Peccatur.

Sed jam tu, Antoni, qui hoc diversorio sermonis<sup>48</sup> \* mei libenter acquieturum te esse dixisti, tanquam in Pontinum diverteris, neque amicum, neque salubrem locum, censo ut satis diu te putes requiesse, & iter reliquum conficere pergas. Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, & cum doctior per te, tum etiam audacior factus sum ad joeandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviozem jam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. Sed habetis ea, quae voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum & cogitandum fuit. Nam caetera facilliora sunt, atque ex iis, quae jam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia.

LXXII. Ego enim cum ad causam sum aggressus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, persecutus; cum & argumenta causa, & eos locos, quibus animi iudicium conciliantur, & illos, quibus permovetur, vidi atque cognovi: tum constituo, quid habeat quaeque causa boni, quid mali. Nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem, aut controversiam vocari, quae non habeat utrumque: sed quantum habeat, id refert.

Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream: a malo autem vitioque causa ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum bono illo ornando, & augendo dissimulatum obruatur. Et, si causa est in argumentis, firmissima quaeque maxime tueor, si ve plura sunt, si ve aliquid unum. Sin autem in conciliatione, aut in permotione causa est; ad eam me potissimum partem, quae maxime commovere animos hominum potest, confero.

Sum-

<sup>48</sup> Hoc diversorio sermonis ] Qua sermo- nem absolvit Antonius metaphora cap. 57. despectus iam labore atque dimere disputationis, requiescent in Caesaris sermone, quos in aliquo properepono diversorio, eadem definit hic Caesar; ac veteri se dicit, ne sit inuicemum hoc sermonis sui diversorium, sed potius si-

mile Pontinarum paludum, in iuncturam, ac minime salubrum. Caeterum quod in ple- risque editionibus sermonis tui legitur, men- dum non ahibemus, ut ex citatis mox An- tonii verbis videre est. Ita huius.

\* Mei JVIA. Lamb. Grut. sermonis tui.

Summa denique huius generis haec est, ut, si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest, omnia in illum conferam tela. Sin nostra facilius probari, quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione, & ad nostram conor traducere.

Duo denique illa, quae facillima videntur, quoniam quae difficiliora sunt, non possum, mihi pro meo iure sumo. Unum, ut molesto aut difficili argumento, aut loco nonnunquam omnino nihil respondeam: quod forsitan aliquis iure irriterit: quis enim est, qui id facere non possit? sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo, confiteorque me, si quae premar res vehementius, ita cedere so- lere, ut non modo non abjecto, sed ne rejecto quidem scuto<sup>49</sup> fugere videar; sed adhibere quandam in dicendo spe- ciem atque pompam, & pugnae similem fugam: consistere vero in meo praesidio, sic ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cedere videar. Alterum est illud, quod ego oratori maxime cavendum & providendum puto, quodque me sollicitare summe solet: non tam ut prosum causis elaborare soleo, quam ut ne quid obsum: non quin enitendum sit in utroque: sed tamen multo est turpius oratori, nocuisse videri causa, quam non profuisse.

LXXIII. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an haec, ut sunt contemnenda, contemnitis? Minime, inquit ille: sed Caesar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur. Me vero lubente, inquit Antonius, dixerit, si ve refellendi causa, si ve quaerendi.

Tum Julius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri \* lectissimum; propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceret. Idque memoria teneo, cum mihi sermo cum hoc ipso

Tom. I.

P p

Craf-

<sup>49</sup> Sed ne rejecto quidem scuto ] Ad con- suctudinem spectat eorum, qui in praelio fugientes clypeos suos in tergum reducebant, ne averi vulnerarentur: neque enim solum clypeum abicere, sed in tergum rejicere,

imbecillitatis fuit. Freqventissime apud Ho- merum hic mos contumelia notatur. Peere. \* Lectissimum ] Man. Lamb. rectissimum. Grut. rectissimum.

Crasso, multis audientibus, esset de te institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum quod opus esset, diceres, sed etiam quod non opus esset, non diceres. Tum illum mihi respondere memini; cetera in te summe esse laudanda, illud vero improbi esse hominis, & perfidiosi, dicere quod alienum esset, & nocere ei, pro quo quisque diceret. Quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstrares velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore majus esse videatur.

LXXIV. Dicam equidem, Caesar, inquit, quid intelligam. Sed & tu, & vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis & consuetudinis meae mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cujusdam est ingenii ac singularis: cui quidam portentum simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obessetque ei, quem defenderet. Facit enim de se conjecturam: cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra seipsum sit, dicere. Sed ego non de praestanti quadam & eximia, sed prope de vulgari & communi prudentia disputo. Ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles: ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitum esse se traditurum. Cum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset; & ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci quae vellent, quam si meminisset, docuisset. Videte, quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens, & quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset insutum, unquam effluere potuisse: cum quidem ei fuerit optabilius oblivisci posse potius, quod meminisse nol-

let,

let, quam quod semel audisset, vidissetve, meminisset. Sed neque propter hoc Themistoclis responsum, memoriae nobis opera danda non est; neque illa mea cautio & timiditas in causis, propter praestantem prudentiam Crassi negligenda est. Uterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem.

Etenim permulta sunt in causis, in omni parte orationis circumspectanda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepè aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit, nisi laceatur: orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut maledicamus, denique ut interrogemus: non moveor, non obtempero, non satisfacio, neque tamen ullam assequor laudem. Homines enim imperiti facilius quod stulte dixeris, reprehendere, quam quod sapienter taceris, laudare possunt. Hic quantum sit mali, si iratum, si non stultum, si non levem testem laeseris? habet enim & voluntatem nocendi in iracundia, & vim in ingenio, & pondus in vita. Nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi, & saepe committunt: quo quidem mihi videri turpius nihil solet, quam cum ex oratoris dicto aliquo, aut responso, aut rogatu, sermo ille sequitur, *Occidit ille adversariumne? immo vero, ajunt, se, & cum, quem defendit.*

LXXV. Hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse; ego autem saepissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos. Quid illud, quod supra dixi, solere me cedere, & ut planius dicam, fugere ea, quae valde causam meam premerent? Cum id non faciunt alii, versanturque in hostium castris, ac sua praesidia dimittunt, mediocriterne causis nocent, cum aut adversariorum adjuncta confirmant, aut ea, quae sanare nequeunt, exulcerant? Quid? cum personarum, quas defendunt, rationem non habent? Si, quae sunt in his invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando & efferendo invidiosiora faciunt; quantum est in eo tandem mali? Quid? si in homines caros, iudicibusque iucundos sine ulla praemunitione orationis acerbis, & contumeliosus invehare, nonne abs te iudices abalienes? Quid, si, quae vi-



tia, aut incommoda sunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu in adversariis exprobrando non intelligas te in iudices inveni, mediocre peccatum est?

Quid, si, cum pro altero dicas, litem tuam facias, aut læsus esse iracundia, causam relinquo, nihilne noceas? In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia ego causam non libenter relinquo; nimium patiens & lentus existimor: ut, cum te ipsum, Sulpici, objurgabam, quod ministratorem<sup>50</sup> peteres, non adversarium. Ex quo etiam illud affequir, ut, si quis mihi maledicat, petulans, aut plane infans esse videatur.

In ipsis autem argumentis, si quid posueris aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dictumve sis, contrarium, aut genere ipso remorum ab usu iudiciorum ac foro, nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper, (dicam enim sapius,) si possim ut boni aliquid efficiam dicendo: sin id minus, ut certe ne quid mali.

LXXXVI. Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paulo ante laudabas, ad ordinem, collocacionemque rerum ac locorum. Cujus ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum: altera, quæ oratorum iudicio & prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus; deinde, ut rem exponamus; post, ut eam probemus nostris prædictis confirmandis, contrariis refutandis; deinde ut concludamus, atque ita peroremus; hoc dicendi genus natura ipsa præscribit.

Ut vero statuamus, ea, quæ probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus; id est vel maxime proprium oratoris prudentiæ. Multa enim occurrunt argumenta: multa, quæ in dicendo profutura videantur. Sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint: partim, etiam si quid habent adjumenti, sunt nonnunquam ejusmodi, ut insit in iis aliquid vitii; neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo jungatur. Quæ autem sunt utilia atque firma, si ea tamen (ut sæpe fit) val-

<sup>50</sup> Ministratorem | Ministrator is fuit, qui in causis advocato sine patrono solerè subditus, quos ministrator, &c. *Peccatus*.

de multa sunt: ea, quæ ex iis aut levissima sunt, aut aliis gravioribus confimilia, secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. Equidem cum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere.

LXXXVII. Et quoniam (quod sæpe jam dixi) tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo: una ex tribus his rebus res præ nobis est ferenda, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur: reliquæ duæ, sicuti sanguis in corporibus, sic illæ in perpetuis orationibus suis esse debent. Nam & principia, & cætera partes orationis, de quibus paulo post pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanere possint.

Sed his partibus orationis, quæ etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen, & commovendo proficiunt plurimum, quanquam maxime proprius est locus & in exordiendo & in perorando; digredi tamen ab eo quod proposueris, atque agas, permovendorum animorum causa, sæpe utile est. Itaque vel narratione exposita sæpe datur ad commovendos animos digrediendi locus: vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest: eaque causæ sunt ad agendum & ad ornandum<sup>51</sup> gravissimæ atque plenissimæ, quæ plurimos exitus dant ad ejusmodi digressionem, ut his locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur.

Atque etiam in illo reprehendo eos qui, quæ minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando (id quod mihi nunquam placuit) plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum expectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur: cui si initio satisfactum non sit, multo plus fit in

\* Copiam | Lamb. eamque copiam, velle ut fieri possit. *etiam*. *expendere*.  
<sup>51</sup> Ad ornandum | Lamb. & Robertus Stephanus impreferunt *agendum*: quomodo se habet MG. Mead. Et recte, quidem, ut opinor: loquitur enim Cicero de permovendis animis, quod fit agendo, & amplificando. *idem*.

in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quæ non statim, ut dici coepa est, melior fieri videtur. Ergo ut in oratore optimus quisque, sic & in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quæ excellent, servantur etiam ad perorandum: si quæ erunt mediocria (nam vitiosis nunquam esse oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem conjiciantur.

Hicce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune.

LXXVIII. Principia autem dicendi semper cum accurata, & acuta, & instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio & commendatio orationis in principio, quæ continuo cum, qui audit, permulcere atque allicere debet. In quo admirari soleo non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt: sed hominem in primis disertum, atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; & ait idem, cum brachium concalescerit, tum se solere pugnare; neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile ducat, illas primas hastas ita jactare leniter, ut & venustati vel maxime serviant, & reliquis viribus suis consulant. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens & pugnax non sæpe esse debeat: sed si in ipso illo gladiatorio vite certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa sunt, quæ non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione expectandum est, in qua non vis potius, sed delectatio postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se univrsam profundat, & quod totum repente evolet. Sic omnia, quæ sunt quæque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa prætexit.

Hæc autem in dicendo non extrinsecus aliunde querenda, sed ex ipsis visceribus causæ fumenda sunt. Idecirco tota causa per

perterritata atque perspecta, locis omnibus inventis, atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. Sic & facile reperietur. Sumentur enim ex iis rebus, quæ erunt uberissima vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi digredi sæpe oportere. Ita & momenti aliquid afferent, cum erunt pæne ex intima defensione \* deprompta, & apparebit ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quæ tum agatur, effloruisse.

LXXIX. Omne autem principium aut rei totius, quæ agitur significationem habere debet, aut aditum ad causam & munitionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem. Sed oportet ut adibus ac templis vestibula & aditus, sic causis principia proportionem rerum præponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis, ab ipsa re est exordium sæpe commodius.

Sed cum erit utendum principio (quod plerumque erit) aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Ex reo, (reos appello, quorum res est) quæ significant virum bonam, & liberalem, quæ calamitosum, quæ misericordia dignum, quæ valeant contra fallam criminationem. Ex adversario, iidem ex locis ferre contraria. Ex re, si crudelis, si infanda, si præter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quæ restitui sanarique non possit. Ex iis autem, apud quos agetur, ut benevolos, beneque existimantes efficiamus: quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam: sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. Nam & attentum monent Græci ut principio faciamus judicem & docilem; quæ sunt utilia, sed non principii magis propria, quam reliquarum partium: faciliora etiam in principii, quod & attenti tum maxime sunt, cum omnia expectant, & dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quæ in principii,

\* Deprompta ] Vir. Grut. deprompta, & apperitis... cas... comminuer.  
 \*] ut quæ plurimi iis judicandis interesset solent. Idem.  
 Infrequentibus intellige causas parum frequen-

cipis, quam quæ in mediis causis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo.

Maxima autem copia principiorum ad iudicem aut allicien- dum, aut incitandum, ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conciliandos inerunt in causa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantum impelli primo iudicem leviter, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio.

LXXX. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharædi proœmium affictum ali- quod, sed coharens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, cum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri velle videantur. Atque ejusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitem, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utitur; sed ut ipsi sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint.

Narrare vero rem quod breviter jubent, si brevitatis appella- da est, cum verbum nullum redundet, brevis est L. Crassi oratio: si tum est brevitatis, cum tantum verborum est, quan- tum necesse est, aliquando id opus est: sed sæpe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quæ narrationis est maxima, ut jucunda, & ad persuadendum accommodata sit, tollit. Ut illa, *Nam is postquam excessit ex ephebis*, quam longa est nar- ratio? Mores adolescentis ipsius, & fervilis percontatio, mors Chrysidis, vultus & forma, & lamentatio fororis, reliqua per varie jucundeque narratur. Quod si hanc brevitatem quæ- sisset,

*Effertur, imus, ad sepulcrum venimus,*

*In ignem posita est.*

fere decem versiculis totum conficere potuisset: quanquam hoc ipsum, *Effertur, imus*, concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset, nisi, *In ignem posita est*; tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed & festivitatem habet narratio distincta personis & inter- puncta sermonibus: & est probabilis, quod gestum esse di- cas,

cas, cum, quemadmodum actum sit, exponas: & multo a- pertius ad intelligendum est, \* si sic constituitur aliquando, ac non ista brevitate percurritur. Apertam enim narrationem tam esse oportet, quam cætera: sed hoc magis in hac elaboran- dum est, quod & difficilius est, non esse obscurum in re nar- randa, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando: & majore periculo hæc pars orationis obscura est, quam cætera: vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est: narratio obscura totam obæcat orationem: vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur.

LXXXI. Sed quando utendum sit, aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est, nec dubium quid gestum sit, narrari oportet; nec si adversarius narravit, nisi si refellemus: ac, si quando erit narrandum, ne illa, quæ suspicionem & crimen efficiunt, contraque nos erunt, acriter persequamur; & quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri pu- tat, ut causa noceamus, accidat. Nam ad summam totius causæ pertinet, caute, an contra, demonstrata res sit; quod omnis orationis reliquæ fons est narratio.

Sequitur, ut causa ponatur: in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causæ conjuncte, & infirmandis contrariis, & tuis confirmandis. Namque una in causis ratio quadam est ejus orationis, quæ ad probandam argumentationem valet. Ea autem, & confir- mationem, & reprehensionem quærit: sed quia neque repre- hendi quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes; ne- que hæc confirmari, nisi illa reprehendas; idcirco hæc & natu- ra, & utilitate, & tractatione conjuncta sunt.

Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice, quod mitigando: omniaque cum superiori- bus

Tom. I.

Q 9

\* Si sic ] Lamb. si hic... aliquando

bus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicum quam maxime permovendas, & ad utilitatem nostram vocandas, conferenda sunt.

Neque sane jam causa videtur esse, cur fecernamus ea præcepta, quæ de orationibus tradenda sunt, aut laudationibus: sunt enim pleraque communia: sed tamen suadere aliquid, aut dissuadere, gravissima mihi videtur esse persona. Nam & sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus; & honesti, & dilerti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit.

LXXXII. Atque hæc in senatu minore apparatu agenda sunt. Sapiens enim est consilium; multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii, ostentationisque suspicio <sup>57</sup>.

Concio capit omnem vim orationis, & gravitatem varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suator, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, præsertim in tam clara civitate, quin putet experendam maxime dignitatem: sed vincit utilitas plerumque, cum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri.

Controversia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilis: aut etiam cum id convenit, certatur, utrum honestati potius, an utilitati consulendum sit. Quæ quia pugnare sæpe inter se videntur, qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentia, pecunia, vestigalium, præsidii, militum, utilitates cæterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda con-

trario-

\* Ingenii 3 Man. Lamb. *ingenii ostentationis suspicio*. Ut sit, ne videamur ostentare ingenium velle.

57 *Ingenii, ostentationisque suspicio* 3 Optimi quique dicendi & sentiendi magistri præceperant, ut vitaremus suspensionem iactationis, & ostentationis. Nullibi vero, nisi in hoc loco, præceptis traditur, ut vitanda sit suspicio ingenii. Imo nisi ingenio excellere videamur, parum proderit nostra o-

ratio. Optime igitur Manutius & Lambinus legunt. *Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio*. Nec aliam exhibent editionem Mf. Pal. pr. & sec. Mem. Pith. Joan. Harl. 1. & a pr. manu Norf. Tandem dignum Cicerone præceptum videmus, idemque præcipit Quinctil. Lib. 11. c. 1. *In cæteris admiserit tenetissimum aliquid moris, non iactandi ingenii gratia &c. Idem.*

triorum. Qui ad dignitatem impellit, majorum exempla, quæ erunt vel cum periculo gloriosa, colliget: posteritatis immortalæ memoriam augebit: utilitatem ex laude malci defendet, semperque eam cum dignitate esse conjunctam.

Sed quid fieri possit aut non possit, quidque etiam sit necesse aut non sit, in utraque re maxime est quaerendum. Inciditur enim omnis jam deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas assertur: & qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit.

Ad consilium autem de republica dandum, caput est, nosse rempublicam: ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis; qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est sæpe mutandum. Et, quanquam una fere vis est eloquentiæ, tamen, quia summa dignitas est populi, gravissima causa republicæ, maximi motus multitudinis; genus quoque dicendi grandius quoddam, & illustrius esse adhibendum videtur: maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos; sæpe etiam a temeritate, iracundia, spe, injuria, invidia, crudelitate revocandos.

LXXXIII. Fit autem, ut, quia maxima quasi oratori scena videatur concio, natura ipsa ad ornatus dicendi genus excitetur. Habet enim multitudo vim quandam talem, ut quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator, sine multitudine audiente, eloquens esse non possit. Et cum sint populares multi varique lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, si asperere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur; aut hominum offensione, vel invidia, quæ aut justa est, aut ex criminatione atque fama; aut res si displicet; aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis, aut merus multitudo: hisque quatuor causis totidem medicina opponuntur: tum objurgatio, si est auctoritas: tum admonitio, quasi lenior objurgatio: tum promissio, si audierint,

rius, probaturos: tum deprecatio, quod est infimum, sed nonnunquam utile. Nullo autem loco plus facietiae profunt, & celeritas, & breve aliquid dictum nec sine dignitate, & cum lepore. Nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia, & saepe ab acerbitate, commode, ac breviter, & acute, & hilare dicto deducitur.

LXXXIV. Exposui fere, ut potui, vobis, in utroque genere causarum quae sequi solemus, quae fugere, quae spectare, quaque omnino in causis ratione versari. Nec illud tertium laudationum genus est difficile, quod ego initio quasi a praecipis nostris secreveram: sed & quia multa sunt orationum genera, & graviora, & majoris copia, de quibus nemo fere praeciperet, & quod nos laudationibus non ita multum uti solemus, totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Graeci legendi; qui magis aut delectationis, aut hominis alicujus ornandi, quam utilitatis hujus forensis causa, laudationes scripserunt: quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander, alique laudantur. Nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sed tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum, velut Q. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius, vel ut nosmetipsi, ornandi causa, Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus; sit a nobis quoque tractatus is locus.

Perpicuum est igitur, alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiarum, caeteraque quae fortuna det, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem; quae debentur virtuti uni putatur; sed tamen quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec sunt naturae & fortunae bona: in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non

\* Infimum ] Man. Infimum

se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae; ut opes & copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dedisse.

Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis, & sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes, quae videntur in moribus hominum, & quadam comitate ac beneficentia positae: aliae, quae in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus jucunda est auditu in laudationibus. Omnes enim haec virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quam generi hominum, fructuosae putantur. Sapientia & magnitudo animi, quae omnes res humanae, tenues & pro nihilo putantur; & in excogitando vis quaedam ingenii, & ipsa eloquentia, admirationis habet non minus, jucunditatis minus. Ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri: sed tamen in laudando iungenda sunt etiam haec generum virtutum. Ferunt enim aures hominum, cum illa, quae jucunda & grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari.

LXXXV. Et quoniam singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera, & sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum ejusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in caeteris res gestae ad cuiusque virtutis genus, & vim, & nomen accommodabuntur.

Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac premio: quae vero etiam cum labore & periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum, quod & dici ornatissime possunt, & audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Magna etiam illa laus & admirabilis videri solet, tulisse casus sapien-

pienter aduersos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem.

Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis premia, res gestae, iudiciis hominum comprobata: in quibus etiam, felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui, laudationis est. Sumendae autem res erant aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares. Neque enim parvae, neque usitatae, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignae videri solent.

Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praecleara. De quo genere libitum est mihi paulo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensis, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam.

Jam vituperandi praecipua contrariis ex vitiis sumenda esse periculum est. Simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie & copiose laudari, sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite atque asperae posse. Atque his locis & laudandi, & vituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.

Habetis, de inveniendis rebus, disponendisque quid sentiam. Adjungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem, neque ei quidquam aliud, de quo differat, relinquam, nisi ea, quibus haec exormentur.

LXXXVI. Perge vero, inquit Crassus. Libenter enim te cognitum jam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuae, nudatumque perspicio: & quod mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percommodae facis, estque mihi gratum. Jam istuc quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo. Sin dissimulare, tu quemadmodum his satisfacias, videris. Sed, ut ad rem redeam, non sum tanto ego, inquit, ingenio, quanto The-

mistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriae, malim: gratiamque habeo Simonidi illi Geo, quem primum ferunt artem memoriae protulisse. Dicunt enim, cum coenaret Cratone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa ornandi causa poetarum more in Callistorem scripta & Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine, daturum: reliquum a suis Tyndaridis, quos aequae laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent: surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatium conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse. Quos cum humare vellet sui, neque possent obtritros intermolere ullo modo: Simonides dicitur ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse ferrum, ordinem esse maximum, qui memoriae lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, & ea, quae memoria tenere vellet, effingenda animo, atque in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret; res autem ipsas rerum effigies notaret: atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur.

LXXXVII. Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quae didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatus? ita audire vel eum, unde dicas<sup>54</sup>, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, & quatenus, & quomodo disturi

<sup>54</sup> Vel tunc, unde dicas? Interpretes volunt verba unde dicas significare, pro quo didicisti: sed nullibi, ut opinor, occurrit a Cicerone ista locutio. Malo quidem cum Mss. Joan. Harl. r. Norf. Mag. & excerptis Nov. & vet. libris Caroli Stephani legere unde distat; quae lectio procul dubio Ciceroniani coloris est. Idem.

Eturi sint, quid responderint, quid superfit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt.

Quare confiteor equidem, hujus boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium: sed hæc ars tota dicendi<sup>55</sup>, sive artis imago quædam est & similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingenio nostris pars nulla sit, pariat & procreet, verum ut ea, quæ sunt orta jam in nobis & procreata, educet atque confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut non dispositis, notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur: neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine & exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis<sup>a</sup> effingi nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res cæcas, & ab aspectus judicio remotas, conformatio quædam & imago & figura ita notaret, ut ea, quæ cogitando completi<sup>b</sup> non possemus, intuendo quasi teneremus.

His autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quæ sub aspectum veniunt, sedes opus est: etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota & pervulgata multus & insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis: imaginibus autem agentibus, acerbis, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, & similitum verborum conversa & immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, & unius verbi imagine totius sententiæ informatio, pictoris cuiusdam

<sup>55</sup> Sed hæc ars tota dicendi ] Scripsit Cicero, ni fallor, descendens. Pergit enim loqui de arte memoriae. Si autem tantum ut ajunt, sentius, quædam memoria tenentur;

quid mirum, si artem memoriae Cicero autem descendens vocet? Morret. a Effingi ] Lamb. affici. b Non ] Vid. Man. Lamb. vir.

judam summi ratione & modo, formarum varietate locos distinguentis.

LXXXVIII. Sed verborum memoria<sup>56</sup>, quæ minus est nobis necessaria, majore imaginum varietate distinguitur. Multa enim sunt verba, quæ, quasi articuli, connectunt membra orationis, quæ formari similitudine nulla possunt: eorum fingendæ nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris. Eam singulis personis bene posit<sup>57</sup> notare possumus, ut sententiæ imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, & divina prope memoria, Athenis Charmadam; in Asia, quem vivere hodie ajunt, Scepsum Metrodorum; quorum uterque tanquam literis in cera, sic se ajebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quæ meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non erueda memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si lateat, evocanda est.

Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis: illud quidem certe, non nimis verecundi: qui quidem cum te, Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum ætas minus me fortasse movere debuit. Sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quæ causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

LXXXIX. Nos vero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, & pro meo fratre respondeo) non modo tibi ignoscimus,

Tom. I.

R r

<sup>56</sup> Sed verborum memoria &c. ] Ut hunc locum intelligamus, observandum est, imagines aliud quiddam significare, ac similitudinem & similitudinem. Non enim necesse est, ut imaginis semper similes sint iis rebus, quas ad memoriam adjuvandam representant. Dicit igitur Antonius, multa verba, ut adverbia, præpositiones, &c. similitudine nulla significari posse. Si igitur eorum meminisse velimus, necesse est ut promptu habere quam plurimas quasi arbitrarías imagines, quæ, quamvis nihil simile ha-

beant, longo tamen usu perceptæ ea verba, quibus opus est, ab oculis nostris ponant. Hanc autem veram esse interpretationem confirmant verba Quintil. Lib. II. c. 2. *Mitra quod quædam (verba) nullis similitudinibus significari possunt: habentur enim sententiæ, ut qui notis scribantur, certas imagines omnium &c.* Peircius.

<sup>57</sup> Eam singulis personis bene positæ &c. ] Personæ in hoc loco significant imagines, facies fidas. Sic Lucret. 1. 4. 29. *Idem.*

mūs, sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam: & cum humanitatem & facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam & copiam. Equidem etiam hoc me affectum puto, quod magno sum levatus errore, & illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam, unde esset illa tanta tua in causis divinitas. Nec enim te ista attingisse arbitrabar, quæ diligentissime cognosse, & undique collegisse, uluque doctum partim correxisse video, partim comprobasse. Neque eo minus eloquentiam tuam, & multo magis virtutem & diligentiam admiror: & simul gaudeo, iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiæ laudem & eloquentiæ sine summo studio, & labore, & doctrina, consequi posse. Sed tamen quidnam est id, quod dixisti, fore ut tibi ignosceremus, si cognossemus, quæ te causa in hunc sermonem impulsisset? Quæ est enim alia causa, nisi quod nobis, & horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere voluisti?

Tum ille, Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso volui, quem ego paulo sciebam, vel pudenter, vel invitiis, (nolo enim dicere de tam suavi homine, fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? Consularem se esse hominem & censorium? eadem nostra causa est. An ætatem asseret? quadriennio minor est. An se scire? quæ ego sero, quæ cursim arripui, quæ subsicivis operis, ut ajunt: iste a puero, summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentem qui audierit, nemo unquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius, aut eodem modo se posse dicere: Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse consideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus.

XC. Tum ille, Ut ita ista esse concedam, inquit, Antoni, quæ sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio. Sæpe ego doctos homines,

mines, quid dico sæpe? immo nonnunquam: sæpe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam divitius, quam quaestor, abfuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, & Athenis cum essem, doctissimos viros, & in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, cum de his ipsis rebus disputaret. Neque vero mihi quisquam copiosius unquam visus est, neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, & aliquid intelligerem ab Antonio prætermisum: non essem tam inurbanus, ac pæne inhumanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem.

Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi ejus distinctionem atque ornatum relinqueret? Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut & partes faceret, & utram veller, prior ipse sumeret? deinde, si ego recte intellexi, cum valde libenter audirem, mihi conjuncte esse visus de utraque re dicere. Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attingit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipsum invenit. Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit.

Tum Cæsar, Si, quod difficilius est, id tibi reliquit: est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus. Sin, quod facilius, tibi causa non est, cur recuses. Et Catulus, Quid, quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Posses tibi, inquit, Crasse, concedere: sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis: opus hoc censorium est: id autem committere, vide quam sit homini turpe censorio. Agite vero, ille inquit, ut vultis. Sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, & requiescendum: post meridiem, si ita vobis est commodum, loquar aliquid, nisi forte in crastinum differre mavultis. Omnes se vel statim, vel, si ipse post meridiem mallet, quam primum tamen audire velle dixerunt.



D E  
O R A T O R E,  
L I B E R T E R T I U S.

**I**NSTITUENTI mihi, Quinte frater, eum sermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam, molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte extincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc & superiore libro continetur. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo; quem dixisse constabat, *videndum sibi aliud esse consilium*, illo senatu se rem-

<sup>1</sup> Extremo scenicorum ludorum die [ Eo enim tempore colligendi sui causa Crassus cum Antonio reliquisque in Tusculanum se receperat. Per senicis ludos Romanos intellige, ut ex primo libro palam est: qui & Circenses & Magni appellati. Hosce a Regibus institutos scribit Alconius. & magno appellatos, quod magnis impensis primum facti, idem, ducentis milibus nummum, vel quia illis magnis facti, id est, Latibus urbis Romae. Eosdem cum Consulibus facit, quod videtur etiam indicare S. Cygjanus lib. de Spectac. Romulus, inquit, Consul, quibus consilium Deo, ob sapientiam Sabinae, Circaenses primum consecravit. Tamen ex veteri Calendario diversis temporibus celebratos illos ludos colligimus. Nam Consulibus xii. Calendis Septemb. vel potius xviii. Augusti, hoc est ex Cal. Septemb. ut docet Plutarchus in Romulo Captus, inquit, ille paratur est 18. die Septembris, qui nunc Augustus, in quo Consulibus ludus quoque celebratur. Jam vero in eodem Calendario ludus Romani legitur, pridie Nonas Septembris.

publici. Quod autem non nemo ludos illos Magnos seu Romanos a Tarquinio institutos asserit, si quidem primus ab eo factos intelligat, non obscure errat, cum Livius, lib. 1. contrarium asserat his verbis: *Ludos upulentiis instructusque, quam prius Rex fecit, etc.* Caterum cum ante hi ludus Circaestes essent, hoc est gladiatorum, atque a senicis distinguerentur, postea etiam factos senicis, & ex hoc loco colligitur, & Augustinus etiam indicat lib. 1. de Civitate Dei, cap. 32. Celebrabantur hi ludus primo quidem uno vel altero die, tum triduo, & deinceps pluribus diebus. Petavio.

<sup>2</sup> A Philippo [ De gravi illa Philippum consulem inter & Drulium tribunal plebis contentione, egimus in notis ad lib. 1. de Orat. cap. 77. Proflens.

<sup>3</sup> Aliud esse consilium [ Per vocem consilium (pro qua alii caldere concilium) intellige circum vel congregationem, sive eos qui consulunt, non id quod consulentes sequuntur. Petavio.

publicam gerere non posse: mane idibus Septembris & ille & senatus frequens, vocatu Drusi, in curiam venit. Ibi cum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invecus. Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quanquam hoc Crasso, cum aliquid accuratius dixisset, temper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim calum atque orbitatem senatus: cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis: neque vero esse mirandum, si, cum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. Hic cum homini & vehementi, & disertio, & in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, & graviter exarsit, pignorumque ablati Crassum instruit coecere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. *An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani concideris; me his pignorum existimas posse terreri? Non tibi illa sunt cadenda, si Crassum vis coecere: haec tibi est excidenda lingua: qua vel excussa, spiritum ipso libertatem tuam libertas mea resutabit.*

II. Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat; sententiamque eam, quam 7 senatus frequens secutus est, ornatissimis & gravissimis verbis, Ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus neque consilium republicae neque fidem defuisse, ab eo dictam:

<sup>4</sup> Pignorumque ablati [ Val. Maximus, lib. vi. cap. 2. dicit Philippum consulem instruit pignorum ablatum L. Crasso instruit. Iste consilium iubeo bona Crassi fisco addici, decrevit cum militare pignora vera ea, quae sic a magistratu captentur & auferantur, ex di-

quantibus pates. Idem. <sup>5</sup> Sententiamque eam, quam [ In senatus-consultis ejus nomen, qui sententiam princeps esset, inscribatur: quod ex Cicerone & Alconio constat. Factum esse idem Athenis ex Demothene colligimus & ex Plutarcho. Petavio.

etiam: & eundem ( id quod in auctoritatibus perscriptis exstat ) scribendo adfuisse.

Illam tanquam cyanea fuit divini hominis vox? & oratio, quam quasi expectantes, post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum infutisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisset, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorrisset, cum febrim domum rediit, dieque septimo lateris dolore consumptus est.

O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur & corrunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum confpicere potuerunt. Nam, quamdiu Crassi fuit, ambitionis labore, vita districta, tandem privatis magis officiis, & ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicae dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfuntione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is ejus omnem spem, atque omnia vitae consilia, morte perverit. Fuit hoc laetuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus: sed ii tamen rempublicam casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors flagrantem bello Italiam<sup>8</sup>, non ardentem invidia senatum<sup>9</sup>,

NON

6. In auctoritatibus perscriptis ] Auctoritates hic pro decretis seu senatus-consultis simpliciter acciperis: nam alius auctoritas vocatur, aliud senatus-consultum fuit, ut eruditè Sigonius observavit ad xv. Livii. Nam senatus-consultum magis ratum erat, quam auctoritas. Si enim vel senatorum numerus iustus defuisset, vel magistratus intercessisset, decretum quidem perscriberetur: ut senatus-consultum erat, ut legitimum in locum senatus convocaretur: quae omnia discrete explicat Dio, lib. xv. litem.

7. Cyanea vox ] Graecum proverbium, cyanea vox, de cycnorum cantu nota fabula est: quam tamen asseverare non dubitat Aristoteles iv. de H. A. 16. Idem ha-

bet Plato in Phaedone. Nam quid potest commemorare, apud quos nihil est frequentius? Sed fabulosum hunc esse cantum existimat Plinius, x. 22. Item.

\* Expectantes ] Lamb. respicitur.

8. Non flagrantem bello Italiam ] Bellum sociale intellegit, de quo Appianus, lib. i. de Bell. civilibus, & alii. Concitatum autem est post Deuli mortem, quoniam Latini socii oblatam sibi spem civitatis impetrare non poterant. Idem.

9. Non ardentem invidia senatum ] Quam invidiam ejusdem opinor, criminis, quod scelus nefarium subinde vocat. Sollicitati scilicet ad defensionem Latini nominis. De quo ira Appianus. Sublato per invidiam Druso, qui Latini ad spem civitatis impulerat, equites, ut senatum ulcisceretur, Q. Valerium, vel potius, ut Latini

sq.

non sceleris nefarii principes civitatis reos, non laetum filiam, non exilium generi, non acerbissimum G. Marii fugam, non illam post reditum ejus eadem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua iple florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

III. Sed quoniam attingi cogitatione vim, vanitatemque fortunae, non vagabitur oratio mea longius, atque eis fere ipsis definitur viris, qui hoc sermone, quem referre cepimus, continentur. Quis enim non jure beatam L. Crassi mortem illam, quae est a multis saepe deserta, dixerit, cum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere collocuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria<sup>10</sup>, Q. Catulum, virum omni laude praestantem, cum sibi non incolumem fortunam, sed exilium & fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. Jam M. Antonii in his ipsis rostris<sup>11</sup>, in quibus ille rempublicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoris manubis ornata, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Julii caput, hospitii Etrusci<sup>12</sup> scelere proditum, cum L. Julii fratris capite ja-

cuit.

scriptores appellant. Varium, tribunum plebis subornant, qui rogationem ferret ad populum, de his quorum ope & consilio Latini socii concitati essent: ( in quo lapsus est Serebus, qui questionem illam contra Italos exercendam fuisse dicit ) qua per vim lege lata, constitutaque quaesione, multis statim ex senatoribus diem dixerunt. Quam ut insamiam fugerent, sponte urbe cesserit plerique; interque alios Aurelius Cotta, & everfor ille Corinthi Mummius. Nisi forte aberravit in hoc quoque vocabulo Appianus, atque ut antea Valerium Varium, ita hic Memmii substituit Mummius. Facti mox populum peroravit, & re ipsa

10. Tenemus enim memoria ] Clarissimum deinceps hominum necem atrocissimam

proponit, eorum duntaxat, qui in hoc dialogo inducuntur. In primis Catuli, qui Marii in consulatu collega, Cimbrici triumphi participes fuit. In illa vero Mariani flamma multis de quocumque mortem illius deprecantibus, cum hoc solum Marius responderet, moriendum illi esse, recentis calce illito, multoque igni percaesudo cubice se inciamiam permitit. Hinc Valerius lib. 9. cap. 12. praeter supra citatos auctores. Idem.

11. Jam M. Antonii in his ipsis rostris ] De hujus obitu adendum idem. Auger autem 228. a loco. Huc facit illud Juvenalis Sat. x. 121.

12. Negue vero longe ab eo C. Julii caput hospitii Etrusci, &c. ] Non angustum sanguinis candidi maduerunt vestra pu-

13. Negue vero longe ab eo C. Julii caput hospitii Etrusci, &c. ] Eodem tempore alio fratre C. & L. Julii Caesares Sylliam secuti, in via deprehensi trucidantur. Auctor est Appianus. Fugerant in aedem hospitii sui

cuit: ut ille, qui hæc non vidit, & vixisse cum republica pariter, & cum illa simul extinctus esse videatur. Neque enim propinquum<sup>13</sup> suum, maximi animi virum, P. Crassum, suapte interfectum manu, neque collegæ sui, pontificis<sup>14</sup> maximi, sanguine simulacrum Veltæ respersum esse vidit: cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimicissimi<sup>15</sup> hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentem Crasso se dicarant, horribiles miserolque casus: Ex quibus C. Cotta<sup>16</sup>, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depullus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiæ flamma fuisset, quibuscum privatus conjunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instruit omni dignitate: cui quidem ad summam gloriam eloquentiæ florenti, ferro erepta vita est, & pœna temeritatis non sine magno republicæ malo constituta.

Ego vero te, Crasse, cum vitæ flore, tum mortis opportunitate, divino consilio & ortum & extinctum esse arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi, constantiaque tua civilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut, si qua te fortuna ab atrocitate

sui natione Etrusci, & homini perfido se commiserant. Detestis hospitiæ, dicitur amplexata, a Marii in rostris postea. Locus, scelus hospitiæ, fratrum communis calamitas hic cetera affectum. Sunt qui L. Casarem domi interfectum ferunt, quibus consonat illud Justini: *Cæsar & Fimbria in penetralibus domus suæ trucidantur.* Srebræus.

<sup>13</sup> Neque enim propinquum. Crassus, inquit Appianus, persecutus eum filio sine militibus, filium autem occidere antecuravit, ipse vero ab interfectis est cæsus. Videtur tamen filius Appianus, vel quia de tanto viro nimium est atrox illud, quod nulla hujus rei a Cicerone facta mentio est, quod certe, ad arguendum videretur, non erat omittenda; vel denique quoniam contrarium a Floro traditur. In primis lib. 3. cap. 27. Crassus patrem & filium in mutuo alterum alterius aspectu occisos ait. Sed idem, Epitome lib. 80. Crassus, inquit, filius ab equitibus Fimbria interceptus. Pater Crassus,

me suis indignum cæsus suo patere, gladio se transfuit: quod postremum & verissimum est, & Ciceroni consentaneum. Idem.

<sup>14</sup> Neque collegæ sui Pontificis. Mucium Scævola intelligi, qui a Mario juniore cæsus est: de quo Florus lib. 3. cap. 27. Petavins.

<sup>15</sup> Etiam C. Carbonis inimicissimi. Maximorum hic, significat ex Africa a Pompejo Romanam ductus, & pro tribunali productus, cum res consultatum pelleret, damnatus ab eodem est. Idem.

<sup>16</sup> Ex quibus C. Cotta. Hic in gravi illa lætatorum invidia ab equitibus concitata, die sibi dicta, postquam in equites gravissimè esset invehens, solus verit. Sulpitius vero tribunus plebis fuit turbulentissimus, qui nefarias leges in gratiam Marii per vim tolerat, primoque adventu in urbem Solla est interfectus. Meminerunt supra dicti auctores. Idem.

citate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriæ spectatorem coegisset: neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam propter admistam civium eadem, bonorum victoria mœrori fuisset.

IV. Mihi quidem, Quinte frater, & eorum casus, de quibus ante dixi, & ea, quæ nosmetipsi ob amorem in republicam incredibilem & singularem pertulimus, ac sensimus, cogitanti sententia sæpe tua vera ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos, tamque præcipites casus clarissimorum hominum, atque optimorum virorum, me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti. Sed quoniam hæc jam neque in integro nobis esse possunt, & summi labores nostri, magna compensati gloria, mitigantur, pergamus ad ea solatia, quæ non modo sedatis molestiis jucunda, sed etiam hærentibus, salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum, ac pæne postremum memoriæ prodamus: atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam, debitamque referamus. Neque enim quisquam nostrum, cum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quantum illa scripta sunt divinitus, tamen majus quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. Quod item nos postulamus non a te quidem, qui nobis summa omnia tribuisti, sed a cæteris, qui hæc in manus fument, ut majus quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimeretur, suspicentur. Nos enim, qui ipsi sermone non interfuissemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos, ac sententias hujus disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium jejuniorem, aut Crassum fuisse pleniorum putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est: is erit ex iis, qui aut illos non audierit, aut judicare non possit<sup>17</sup>. Nam

Tom. I.

S f

fuit

<sup>17</sup> Non audierit, aut judicare non possit. Ue bene se habeat sententia, & ad normam Cum enim præcellerit, is erit ex iis, qui lingua Latine procedat, necesse videtur loci aut illos, rite sequitur non audierit, aut

fuit uterque ( ut exposui antea ) cum studio , atque ingenio , & doctrina præstans omnibus , tum in suo genere perfectus ; ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis , neque in Crasso redundaret .

V. Ut igitur ante meridiem discesserunt , paululumque requierunt , in primis hoc a se Corra animadversum esse dicebat , omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione poluisse : seseque , qui vultum ejus , cum ei dicendum esset , obtutumque oculorum in cogitando probe nosset , atque in maximis causis sæpe vidisset , tum de data opera , quiescentibus aliis , in eam exhedram<sup>19</sup> venisse , in qua Crassus lectuloposito recubisset : cumque eum in cogitatione defixum esse sensisset , statim recessisse , atque in eo silentio duas horas fere esse consumptas . Deinde , cum omnes , inclinato jam in postmeridianum tempus die , venissent ad Crassum , Quid est , Crasse , inquit Julius , imulse sessum ? et si admonitum venimus te , non flagitatum .

Tum Crassus , An me tam impudentem esse existimatis , ut vobis hoc præsertim munus putem diutius posse debere ? Quinam igitur , inquit ille , locus ? an in media silva placet ? est enim is maxime & opacus & frigidus . Sane , inquit Crassus : etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni . Cum placuisset idem cæteris , in silvam venitur , & ibi magna cum audiendi expectatione confiditur .

Tum Crassus , Cum auctoritas , atque amicitia vestra , tum Antonii facilitas eripuit , inquit , mihi in optima mea causa libertatem recusandi : quanquam in partienda disputatione nostra , cum sibi de iis , quæ dici ab oratore oporteret , sumeret ; mihi autem relinqueret , ut explicarem quemadmodum illa ornari oporteret ; ea divisit , quæ se juncta esse non possunt . Nam cum omnis ex re , atque verbis constet oratio ; neque

judicare non possunt . Facile fieri potuit , ut litera a librariis omitteretur ; cum linea brevi supra vocalem ducta exprimi soletet .

Footnote

18 Exhedram ] Id est , locum scilicet & convicium similitudinem ; ubi non lecti ad dormiendum ; sed sedes aut cathedra ad seden-

dum , vel recubendum otii causa apponuntur . De exhedris sic Victorius lib. 5. cap.

21. Constituantur in tribus partibus exhedra spatiosa , habentes sedes , in quibus sibi seipsi , retores , et iugentes , qui statim delectantur , sedere possunt . Idem .

neque verba sedem habere possunt , si rem subtraxeris , neque res lumen , si verba semoveris .

Ac mihi quidem veteres illi , majus quiddam animo complexi , plus multo etiam vidisse videntur , quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest : qui omnia hæc , quæ supra & subter , unum esse , & una vi , atque una consensione naturæ constricta esse dixerunt . Nullum est enim genus rerum , quod aut avulsam a cæteris per seipsum constare , aut quo cætera si careant , vim suam atque æternitatem conservare possint .

VI. Sed si hæc major esse ratio videtur , quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendere , est etiam illa Platonis<sup>19</sup> vera , & tibi , Catule , certe non inaudita vox , Omnem doctrinam harum ingeniarum & humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri . Ubi enim perspecta vis est rationis ejus , qua causa rerum atque exitus cognoscuntur , mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum , contentusque reperitur . Sed si hoc quoque videtur esse altius , quam ut id nos humi strati suspicere possimus , illud certe tamen , quod amplexi sumus , quod profitemur , quod suscipimus , nosse & tenere debemus . Una est enim , quod & ego hesternæ die dixi , & aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius , eloquentia , quascumque in oras disputationis , regione sive delata est . Nam sive de cæli natura loquitur , sive de terræ , sive de divina vi , sive de humana ; sive ex inferiore loco<sup>20</sup> , sive ex æquo , sive ex superiore ; sive ut impellat homines , sive ut doceat , sive ut deterreat , sive ut concitet , sive ut reflectat , sive ut incendat , sive ut leniat ; sive ad paucos , sive ad multos , sive inter alienos , sive cum suis , sive secum , rivis est diducta oratio in fontibus :

S f 2

&

19 Est etiam illa Platonis ] Apud Platonem sæpius sophista de rerum natura disputantes , res omnes unum quiddam esse continentur , ut in Parmenide . Privatim vero quod ad scientias pertinet , affines illas esse , & naturali vinculo constrictas ; sapientiamque ex omnibus constantem tanquam partibus , in Epinomide fufus dicitur . Peravius .

20 Sive ex inferiore loco ] Triâ principis loca distinguit , e quibus dicere solebant oratores . In forensibus controversiis , accusator ac defensor in subselliis confidebant , hoc est inferiori loco : in senatu , ex æquo loco dicebant ; e superiore insignitatus , qui ad populum pro rostris conciones habebant . Idem .

&, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatique comitata.

Sed quoniam oppressi jam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eraditorum, qui, quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa & quasi discepta contrectant; & qui, tanquam ab animo corpus, sic a sententiis verba sejungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest; non suscipiam oratione mea plus quam mihi imponitur: tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non partitis expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum. Sed prius quam illa conor attingere, quibus orationem ornari atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

VII. Natura nulla est <sup>21</sup>, ( ut mihi videtur ) quæ non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Nam & auribus multa percipimus, quæ, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia sæpe, ut id, quod proximum audias, jucundissimum esse videatur: & oculis colliguntur pæne innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent: & reliquos <sup>22</sup> sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis.

At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polyclethus, Lyfippus <sup>23</sup>, qui omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturæ, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiskquam est,

<sup>21</sup> *Natura nulla est* ] Generalem dispositionem præmittit de eloquentia, & oratorum in dicendo varietate. Summa autem hæc est. Cum una eademque sit ars dicendi, admirabilem tamen esse in eadem arte dissimilitudinem, pro eo quod alius alio in genere excellit: quod primo sensuum exemplo probat, qui cum singuli unum quiddam sint, variis tamen rebus afficiuntur, quæ natura dispares, delectatione sunt non mi-

nus diversæ. Idem in fingendi & pingendi arte declarat. *Idem.*  
<sup>22</sup> *Sensus* ] Lamb. *sensus singulos singule volupe.*

<sup>23</sup> *Myro, Polyclethus, Lyfippus* ] Opera pretium est videre quemadmodum eundem locum tractet Quintilianus lib. xii. c. 10. quæque de statuariis habet Plinius lib. xxxv. c. 9. ubi prolixè admodum insignium sculptorum invenit. *Idem.*

est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et, si hoc in his quasi minutis artibus est mirandum, & tamen verum: quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quæ cum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii <sup>b</sup> vituperandi sint, sed ut ii, quos constat esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles: quam apud Græcos, Æschylus, Sophocles, Euripides, quanquam omnibus par pæne laus in dissimili scribendi genere tribuatur.

Aspicite nunc eos homines, atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lyfias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo & canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? & suo tamen quisque in genere princeps.

VIII. Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis atque vivis? Quid jucundius auribus nostris unquam accidit hujus oratione Catuli? quæ est pura sic, ut Latine loqui pæne solus videatur: sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius & deterius futurum. Quid noster hic Cæsar? nonne novam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit prope singulare? Quis unquam res, præter hunc, tragicas pæne comice, tristes remisse, severas hilares, forenses scenica prope venustate tractavit: atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? Ecce præsentibus duo prope æquales Sulpicius & Cotta: quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere præstant?

Lima-

<sup>b</sup> *Alii* ] Lamb. *alii laudandi, alii vituperandi*

Limatus alter & subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis, haeret in causa semper: & quid iudici probandum sit, cum acutissime vidit, omisissis cæteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima & maxima voce, summa contentione corporis, & dignitate motus, verborum quoque ea gravitate & copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

IX. Ad nosmetipsos jam revertor: (quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium vocaremur) quid tam dissimile, quam ego in dicendo, & Antonius? cum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse præstantius; ego autem, quanquam memet mei pœnitet, cum hoc maxime tamen in comparatione jungar.

Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, præmunitum, & ex omni parte causa septum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem, quicumque in dicendo sumus, (quoniam esse aliquo in numero vobis videmur) certe tamen ab huius multum genere distamus; quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime quisque sibi notus est, & difficillime de se quisque sentit: sed tamen dissimilitudo intelligi potest, & ex motu mei mediocritate, & ex eo, quod, quibus vestigiis primùm insiti, in iis fere soleo perorare; & quod aliquanto me major in verbis, quam in sententiis eligendis, labor & cura torquet, verentem, ne, si paulo obsoletior fuerit oratio, non digna expectatione & silentio fuisse videatur.

Quod si in nobis, qui adsumus, tantæ dissimilitudines, tam certæ res cuiusque propriæ, & in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis<sup>23</sup>, quam genere distinguitur,

<sup>23</sup> *Facultate magis* ] Sensus est: Cum deteriorem, eo iudicio non significamus illum alium oratorem meliorem esse, alium eius oratoris genus dicendi potius esse quam huius.

tur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est: quid censeatis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt oratores, amplecti voluerimus? numne fore, ut, quot oratores, totidem pane reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si pane innumerabiles sint quasi formæ figuræque dicendi, specie dispares, genere laudabiles; non posse ea, quæ inter se discrepant, iisdem præceptis, atque in una institutione formari. Quod non est ita: diligentissimeque hoc est eis, qui instituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum & magistrorum exisse discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos; cum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur: Cujus est vel maxime insigne illud exemplum, (ut cæteras artes omittamus) quod dicebat Iococrates, doctor singularis, *se calcæribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere*. Alterum enim exultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quasi verecundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

X. Hæc eo mihi prædicenda fuerunt, ut, si non omnia, quæ proponerentur a me, ad omnium vestrum studium, & ad genus id, quod quisque vestrum in dicendo probaret, ad hærescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur. Ergo hæc & agenda sunt ab oratore, quæ explicavit Antonius, & dicenda quodam modo. Quinam igitur dicendi est modus melior, (nam de actione post videto) quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodecumque agetur, apte, congruenterque dicamus?

Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari a me, puri, dilucidique sermonis. Neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat: nec

speramus: in discendi enim genere possunt esse plus in suo genere valere, quam hunc in eo, quod sibi proprium habet. *Peroramus*. *Non sperare* ] Lamb. nec speramus.

sperare, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum: neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, usum necessarium. Nam alterum traditur literis, doctrinaque puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat: quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit.

Sed omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus & poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant, quæ dicebant, omnes prope præclare locuti: quorum <sup>b</sup> sermone affluenti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam: sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose & multum volutus.

XI. Atque, ut Latine loquamur, non solum videndum est, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat: & ea sic & castis, & temporibus, & genere, & numero conferemus, ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut præposterum sit: sed etiam lingua, & spiritus, & vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata & quasi anhelata gravius. Nam de voce nondum ea dico, quæ sunt actionis; sed hoc, quod mihi cum sermone quasi conjunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quæ nemo est, quin effugere cupiat; mollis vox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atque absurda. Est autem vitium, quod nonnulli de industria confectantur: rustica vox & agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis, L. Cotta <sup>24</sup>, gaudere mihi videtur gravitate linguæ, sonoque vocis agresti, & illud quod loquitur, præcum visum iri putat, si pla-

<sup>b</sup> Sermone ] Lamb. sermoni

<sup>24</sup> Sodalis L. Cotta ] Non ille intelligendus est, qui his in libris indicitur, sed a-

lius de quo mentio est in Bruto, cap. 36. Petavio.

si plane fuerit rusticum. Me autem tuus sonus, & suavitas ista delectat: omitto verborum, quanquam est caput: verum id assert ratio, docent literæ, confirmat consuetudo & legendi, & loquendi. Sed hanc dico suavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, sic in Latino sermone, hujus est urbis maxime propria. Athenis jam diu doctrina <sup>25</sup> ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur <sup>26</sup>, capti quodammodo nomine urbis & auctoritate: tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo, facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini: tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum <sup>27</sup>, lenitate vocis, atque ipso oris pressu & sono facile vincat.

XII. Quare cum sit quædam certa vox Romani generis: ubique propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur: neque solum rusticam asperitatem, sed etiam pe-

Tom. I.

T t

regri-

<sup>25</sup> Atheni jam diu doctrina ] Ciceronis tempore Athenarum versus illa gloria conciderat, nec quicquam præter nomen atque memoriam restabat: regibus primo, Macedoniae præsertim, tum Romanis ipsis assilgentibus. Quare peregrini in ea homines philosophiam atque eloquentiam profitebantur: ita tamen ut sola nominis auctoritate seducti, passim ex toto orbe, disciplinarum studio, Athenas navigarent: diu etiam post Ciceronis ætatem. Apud Smetium extat elegans epistola, qua inane illam curiositatem lepide cavillatur. Sane fuisse Athenis certam quandam, tamque purissimam pronuntiandi lingue Græcæ rationem, vel hoc unum indicio est, quod cum Theophrastus, vir aliqui Atticæ eloquentiæ confessor acerrimus, sed peregrinus, animum alioqueretur, pro hospite facile sit ab ea deprehensus. Idem Romæ fuit, quod ad Latinam linguam attinet, pronuntiandi principatus. Idem.

<sup>26</sup> Quibus vacant civis, peregrini fruuntur ] Quibus, est auferendi casus; & , os-

casu civis, est, vacui sunt, sive vacant civet: & , fruuntur, peregrini, opponitur, tantquam contrarium, hinc verbo, vacant civet. Vavallor, De vi et usu Græ.

<sup>27</sup> Valerium Soranum ] Hunc suspicor eundem esse, qui ob evulgatum arcumum patris nomen sit interfecus. Plinius lib. 3. c. 10. de Roma urbe loquens: Cuius novum dicere arcumum crevisseram nescit habetur: optimaque & salutaris fide abuliam connoctavit Valerius Soranus, cuique nux ponat. Non ultimam videtur hoc loco inserere exemplum soliquæ antiquæ, et hoc maxime flemzium videtur. Namque Deo Angerone, qui sacrificator d. d. xii: Calvitas Iovianus: et obligat, obsequatque fustularem habet. Eritra vero sunt qui nomen illud arcumum Valentium fuisse putant. Constat enim ex Solino aliud nomen fuisse: apud quem item quod apud Plinium legitur: nam postquam Romanus ante Valentiam dictum meminit, subdit: Traditur etiam proprium Romæ nomen, verum tantum actum publicari. Petavius.

regnam infolentiam fugere discamus. Equidem cum audio focrum meam Leliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant<sup>28</sup>, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Navium videam audire. Sono ipso vocis ita recto & simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores: non asperere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non huilce, sed presse, & aequabiliter, & leniter. Quare Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut *jors* literam tollas, & e plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed mēsores videntur imitari.

Hic cum arrisisset ipse Sulpicius, Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiat. Utinam quidem! inquit ille: id enim ipsum volumus, idque si feceris, multa (ut arbitrator) hic hodie vitia ponemus. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri. Tum ille, Tum quod monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitemur: ex quo veretur, ne nihil sim tui, nisi suppletionem pedis imitatus, & pauca quaedam verba, & aliquid, si forte, motum. Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne meipsum irrideam. Sunt autem mea multo & plura, & majora, quam dicis. Quae autem sunt aut tua plane, aut imitatione ex aliquo expressa, de iis te, si quis me forte locus admonerit, commonebo.

XIII. Prætereamus igitur præcepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici libri confirmant, & lectio veterum oratorum, & poetarum. Neque vero in illo altero diutius<sup>29</sup> commoremur, ut disputemus,

<sup>28</sup> Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant. Videtur hoc simpliciter ex Crasylo Platonis, in quo scriptum est: *Facilius mulieres quam viri antiquitatem servant.*

<sup>29</sup> Neque vero in illo alio diutius. See. cur.

temus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, intelligantur. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volumus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerpitis sententiis, non præposteris temporibus, non confusis perionis, non perturbato ordine. Quid multa? tam facilis est tota res, ut mihi perimur saepe videatur, cum difficiliter intelligatur, quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simul ac Fufius, aut vester aequalis Pomponius, agere coepit, non aequè, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo: ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum: tantaque infolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem & tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. Verum, si placet, quoniam hæc satis spero, vobis quidem certe majoribus, molestis & putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

XIV. Atque vides, inquit Antonius, cum alias res agamus, quam te inviti audiamus, qui adduci possumus (de me enim conjicio) relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova quædam est oratio tua.

## T t 2

## Faci-

candam partem, quæ erat de perspicuitate orationis, omittit, quoniam satis per se facilis est. Quædam tamen, ex quibus haberi illa possit virtus dicendi, breviter enumerat. Sunt numero decem. Parit enim dilucidam orationem sermonis proprietates & puritas Latini, quæ erat prima pars. 2. Voces usitate, neque aut vetustate obsoletæ, aut studio novitatis insolentes. 3. Proprie rem declarantes, accommodatæque rebus, quas significant; cum neque majestatem earum minuant, nec obtineant tenuitatem. 4. Resciant omnia verbi ac sermonis ambiguitas. 5. Vitanda nimia verborum circuitio, quoniam

auctore etiam Hermogene *τὸ καθαρόν*, id est, ambitus, & producta comprehensio cum perspicuitate repugnat. 6. Tollenda similitudinibus continuata translatio, hæc est, ne metaphora nimium dilatentur, quoniam illi in ænigma transiret. 7. Non debent minutatim consindi sententiæ; sed expleri, & ad justam mensuram numeri atque sensus produci. 8. Temporum servanda distinctio est, ut suo quoque tribuantur. 9. Concinna perionarum distinctio servanda est. Postremo argumentorum ceterorumque omnium digressus est ordo. *Perseus.*



Faciles enim, inquit, Antoni, partes eæ fuerunt duæ, quas modo percucurri, vel potius pæne præterii; Latine loquendi, planeque dicendi: reliquæ sunt magnæ, implicatæ, variæ, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim unquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus. Si est aliter, irrident: neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent quid diceret: sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset.

In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicite, qui abundanter, qui illuminate & rebus, & verbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quendam numerum verumque conficiunt; id est, quod dico, ornate. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum & congruens nomen.

Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonium, & iis hoc nomen dixit eloquentiæ solis esse tribuendum. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum præceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur; neque adhuc quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verum enim oratori, quæ sunt in hominum vita, (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materies) omnia quæ sita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Est enim eloquentia una quædam de summis virtutibus: quanquam sunt omnes virtutes æquales & pares, sed tamen est species alia magis alia formosa & illustis: sicut hæc vis, quæ scientiam complexa rerum, sensa mentis, & consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, possit impellere: quæ quo major est vis, hoc est magis probitate iungenda, summaque prudentia; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus,

non

non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus.

XV. Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem, vimque dicendi, veteres Græci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones; atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili & voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitæ studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transferunt: quæ vita propter tranquillitatem, & propter ipsius scientiæ suavitatem, quæ nihil est hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit. Itaque, ut ei studio se excellentissimis ingenii homines dederunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis, multo plura, quam erat necesse, doctissimi homines, otio nimio, & ingenii uberrimis affluentibus, curanda sibi esse, ac quaerenda, & investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur & recte facienda, & bene dicendi magistra; neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores, atque dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qui se a Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret <sup>oratorem verborum, actoremque rerum</sup>. Sed ut homines labore assiduo & quotidianò assueti, cum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum: sic illi a negotiis publicis, tanquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriat, totos se alii ad poetas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt; alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quæ repertæ sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque ætates suas consumpserunt.

XVI.

30 Oratorem verborum ] Respicit, Noster  
Homeri Iliad. lib. 9.

Μέγιστον τῆ ψυχῆς ὄργανον, & πρακτικὴ τῆ βίτης  
Πλάτων.

XVI. Sed, quod erant quidam, iique multi, qui aut in republica propter accipitem, quæ non potest esse sejuncta, faciendi, dicendique sapientiam, florent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes<sup>31</sup>, aut, qui minus ipsi in republica versarentur, sed hujus tamen ejusdem sapientiæ doctores essent, ut Gorgias, Thralymachus<sup>32</sup>, Isocrates: inventi sunt, qui cum ipsi doctrina & ingeniis abundarent, a re autem civili, & a negotiis, animi quodam judicio, abhorrent, hanc dicendi exercitationem exagitant, atque contemnerent: quorum princeps Socrates fuit, is, qui omnium eruditorum testimonio, totiusque judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venustate, & subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps. Hic iis, qui hæc, quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio, *philosophia* nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi, & ornate dicendi scientiam, re coherentes, disputationibus suis separavit: cujus ingenium, variorum sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, cum ipse literam Socrates nullam reliquisset. Hinc discidium illud extitit quasi linguæ atque cordis, absurdum sane, & inutile, & reprehendendum; ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam, cum essent plures orti fere a Socrate, quod ex illius variis, & diversis, & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, profeminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se, & multum disjunctæ & disparæ, cum tamen omnes se philosophi Socraticos & dici velent, & esse arbitrentur.

XVII. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles & Xenocrates; quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit.

<sup>31</sup> Theramenes ] Eius meminit Cicero in Bruto, cap. 7. & sicut Xenophon Hist. Gr. l. 2. Notatur mobile illius & callidum ingenium vulgato ad id proverbio, *Θρασύμαχος ἄνθρωπος*, quod genus istud calcamenti utriusque pedi convenit; quemadmodum & ille utrique parti accommodabat sese. *Petavius.*

<sup>32</sup> Thralymachus ] Chalcedonius, ait Suidæ; is fuit sophista, qui primum periodum invenit, discipulus Platonis, & Isocritis: excellens opinione eloquentiæ. Hinc proverbium apud Græcos: *non difficile est radere leonem, quam convincere Thralymachum.* Idem.

nuit. Deinde ab Antisthene, qui patientiam & duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici. Tum ab Aristippo, quem ille magis voluptariæ disputationes delectant, Cyrenaica philosophia manavit: quam ille, & ejus posterii simpliciter defenderant: ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt.

Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicebant; Eretriacorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: sed ea horum vi & disputationibus sunt jamdiu fracta & extincta. Ex illis autem, quæ remanent, ea philosophia, quæ suscepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videatur, procul abest tamen ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici consilii, & regendæ civitatis ducem, & sententiæ, atque eloquentiæ principem, in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiæ fiet injuria a nobis. Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet: sed in hortulis quiescet suis, ubi vult; ubi etiam recubans molliter & delicate, nos avocatur a rostris, a judiciis, a curia, fortasse sapienter, hac præsertim republica. Verum ego non quæro nunc, quæ sit philosophia verissima, sed quæ oratori conjuncta maxime. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus: sunt enim & boni viri, & quoniam sibi ita videntur, beati: tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tanquam mysterium, teneant, quod negant versari in republica esse sapientis. Nam, si hoc nobis, atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

XVIII. Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt: atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam, virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc<sup>33</sup>, quem instruimus, oratore valde

<sup>33</sup> Sed utrumque est in his, quod ab hoc, etc. ] Crassus Stoicos non omnino improbat.

abhorreat, vel quod omnes, qui sapientes non sunt, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem, aut senatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, & certe acutum; sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum, artamen ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possis. Alia enim & bona, & mala videntur Stoicis, & cæteris civibus, vel potius gentibus: alia vis honoris, ignominia, præmii, supplicii. Vere, an scous, nihil ad hoc tempus: sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expeditur possimus.

Reliqui sunt Peripatetici, & Academici: quanquam Academicorum nomen est unum, sententia duæ. Nam Speusippus Platonis fororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem, Polemo & Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissenit: copia fortasse & varietate dicendi pares non fuerunt. Arcefilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit: quem ferunt eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium, primumque instituisse (quanquam id fuit Socraticum maxime) non, quid ipse sentiret, ostendere; sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare.

Hinc hæc recentior Academia emanavit, in qua existit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades: cuius ego cæsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum, & focerum meum Scævola-

lam, qui hæc negat eorum philosophiam utilem esse oratori propter duas rationes: quia & sententia, & genere dicendi discrepat ab eloquentia forensi, & populari. Discrepat sententia, quoniam Stoici dicunt insipientes (quales sunt omnes) esse servos, latrones &c. Discrepat autem genere dicendi,

quoniam illi nihil dialectice loquuntur, & acute concludunt, non suavitate delectant. Vides, Lector, quod prædictum (ut vocant) cum enim Cicero dixerat, vel quod non repetit particulam est, sed sententiam sic variat, Accedit, quod Cr. Parcius,

lam, qui eum Romæ audivit adolescens, & Q. Metellum L. filium, familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, jam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat.

XIX. Hæc autem, ut ex Apennino<sup>34</sup> fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia: ut philosophi, tanquam in superum mare Jonium defluerent, Græcum quoddam & portuosum; oratores autem in inferum hoc Tuscum, & Barbarum, scopulosum atque infestum, laberentur, in quo etiam ipse Ulysses errasset.

Quare si hac eloquentia, atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare oportere, quod arguare; aut, si id non possis, tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa aut injuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessario; aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur; aut non ita agi, ut debeat ac licuerit: & si satis esse putatis, ea, quæ isti scriptores artis docent, discere, quæ multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, & uberius explicavit Antonius; sed, si his contenti estis, atque iis etiam, quæ dici voluistis a me: ex ingenti quodam oratorem, immensoque campo in exiguum sane gyrum compellit.

Sin veterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem, sequi vultis; & si illam præclaram & eximiam speciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamastis; aut vobis hæc Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. Namque (ut ante dixi) veteres illi usque ad Socratem, omnem omnium rerum quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ

Tom. I.

V u

ad

<sup>34</sup> Ut ex Apennino ] Propositam disputationem apta similitudine concludit. Quemadmodum enim Apenninus mons, qui Italiae amplissimus, per totius jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum, ut ait Plinius lib. 3, cap. 5, alia flumina emittit in superum, hoc est, Adriaticum mare, quæ inde in Jonium effluunt, alia in inferum, hoc est, Tyrrhenum, sive Tuscanum, quorum illud portuosum & Græcorum commercio frequens,

hoc barbarum, scopulosum, ac infestum; ita omnino eadem ex philosophia divortia facta sunt studiosorum; ut eloquentia studiosi facta sint eorum fluminum, quæ in procellosum illud ac scopulosum mare influunt, propter sollicitam & exercitam eorum hominum conditionem: qui vero philosophia se se dediderunt, cum iis fluminibus confluunt, quæ in Græcorum mare, tranquillum ac minus infestum labuntur. Peruvius.

ad virtutem, quæ ad rempublicam pertinebant, cognitionem & scientiam cum dicendi ratione iungebant: postea diffociati (ut exposui) a Socrate, deserti a doctis, & deinceps a Socraticis item omnibus: philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam: neque quidquam ex alterius parte retigerunt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur: ex quo promissæ haurirent, si manere in pristina communione voluissent. Sed, ut pontifices veteres<sup>35</sup>, propter sacrificiorum multitudinem, tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numma, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, infirmi: sic Socratici a se causarum actores, & a communi philosophiæ nomine separaverunt, cum veteres dicendi & intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

XX. Quæ cum ita sint, paululum equidem de me deprecabor, & petam a vobis, ut ea, quæ dicam, non de memetipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, cum summo studio patris in pueritia doctus essem, & in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non tantum quantum ipse forsitan vobis videat, detulissim, non possum dicere, me hæc, quæ nunc complector, perinde, ut dicam discenda esse, didicisse: quippe qui omnium maturime ad publicas causas accesserim, annosque natus unum & viginti nobilissimum hominem & eloquentissimam in iudicium vocarim; cui disciplina fuerit forum; magister, usus & leges, & instituta populi Romani, moque majorum.

Paulum sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustavi, quaestor in Asia cum essem, æqualem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius; & inde decedens, Athenis; ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quæ biduo serius veneram, successissem. Quare

<sup>35</sup> De Pontificibus veteribus. Alio exemplo, quemadmodum dissidium illud factum sit ostendit. Epulones initio tres duntaxat creati sunt, ut patet Livius lib. 39. Pompeius Lentus duos postea ait fuisse adiectos, ut quinque essent. Postmodum deinceps ad septem pervenisse certum est. Plerumque e-

nim septemviri epulonum commemorantur. Quantum vero de causa, & a quo sit numerus iste adauctus, incertum est. Murus illorum fuit publicis epulis præesse: quæ scilicet in iustis publicis probabantur, ut ex Cicerone de Aruspicio respicitur colligitur. Idem

re hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinæ, non modo non pro me, sed contra me est potius; (non enim, quid ego, sed quid orator possit; disputo:) atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, periculosos. Scribunt enim de litium genere, & de principiis, & de narrationibus. Illa vis autem eloquentiæ tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnique naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim, mutationesque teneat; eadem mores, leges, iura describat, rempublicam regat: omnia, quæ ad quamcumque rem pertineant, ornate, copioseque dicat. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus: neque tamen istis, qui in una philosophiâ quasi tabernaculum vitæ suæ collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.

XXI. Quid enim meus familiaris C. Vellejus asserere potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Vellejus est rudis, unusquisque nostrum versatus? Quid est, quod aut Sext. Pompejus, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panatio vixit, M. Vigellius, de virtute homines Stoici possint dicere, qua in disputatione ego his debeam, aut vestram quisquam concedere? Non est enim philosophiâ similis artium reliquarum. Nam quid faciet in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur. Hæc vero, quæ sunt in philosophiâ, ingenio<sup>36</sup> eruuntur ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum, acutis atque acribus, eaque exercitata oratione poliuntur. Hic, hic noster vulgaris orator, si minus erit doctus, artamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi, istos quidem nostros verberabit,

V u 2

neque

<sup>36</sup> Hæc vero, quæ sunt in philosophiâ, ingenio &c. Id est, in cæteris artibus tantum id scimus, quod diligentibus, elementis vero, sive principia philosophiæ natura nobis inserit: qui ingenio acutis & acribus

provocati sunt, facile ea, quæ probabilia sunt in philosophiâ invenient, & si idem in dicendo exercitati sunt, ea oratione ornabunt. Periculis.

neque se ab iis contemni ac despici finet. Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelico more de omnibus rebus in utramque sententiam possit dicere, & in omni causa duas contrarias orationes, præceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcefila modo, & Carneadis, contra omne quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adjungat hunc rhetoricum ulum, moremque exercitationemque dicendi; is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens & gravis, nec sine varietate doctrinæ satis politus & sapiens esse orator potest.

Quare Coracem istum<sup>37</sup> vestrum patiamur nos quidem pullos suos<sup>38</sup> excludere in nido, qui evolent, clamatores odiosi ac molesti; Pamphilumque<sup>39</sup> nescio quem sinamus in insulis tantam rem, tanquam pueriles delicias aliquas depingere; nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni & hodierni diei totum oratoris munus explicemus; dummodo illa res tanta sit<sup>40</sup>, ut omnibus philosophorum libris<sup>40</sup>, quos nemo oratorum istorum unquam attigit, comprehensa esse videatur.

XXII. Tum Carulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse, mirandum est, esse in te tantam dicendi vel vim, vel suavitatem, vel copiam; quem quidem antea natura rebat ita dice-

<sup>37</sup> Quare Coracem istum ] Corax ille rhetor, & quem merito cum Grecis *σοφιστας* appellares, hoc est, dignum suo nomine corvi scilicet garrulitate similem; rhetoricæ etiam inventor dicitur apud Suidam. Sed eximiam hanc laudem obcuratam fuisse necesse est, cum ab eo natum sit, eodem teste, dictum illud: *αρχὴ σοφίας, οὐδὲν ἄλλο*. Mali corvi, malum ovum. Coracis meminit Aristoteles, lib. 2. Rhetor. & in epistola ad Alexandrum, quæ operi rhetorico ad eum scripto præfigitur; ubi sese duo volumina mittere ait: unum a se, aliud a Coracæ scriptum. *Περικλῆς*.

<sup>38</sup> Excludere ] Lamb. excludere, & nido qui evolent.

<sup>39</sup> Pamphilumque ] Multorum hujus nominis meminit Suidas. Inter ceteros, quendam commemorat incertæ patriæ, Amphipoliten, vel Sicyoneum, vel Nicopoliten, vel philosophum, qui de pictura & de illis libris pictoribus scripsit. Quod quidem huic

Pamphilo accommodatum est, quia & hic in insulis, hoc est, fasciis, orationem omnem artem, quasi puerilia crepundia, depinxerat. At enim Nicopolita esse non potuit, cum hæc urbs ab Augusto condita sit post Adriacum victoriam. *Idem*.

<sup>40</sup> Dummodo illa res tanta sit ] Sensus est, modo illa res credatur tanta esse, ut non mimici spatio, quam omnibus Philosophorum libris, comprehenderetur. *Periclus*.

<sup>40</sup> Quæ nemo oratorum istorum ] Ibi homines, de quibus dixit modo, faciunt Corax & Pamphilus, non oratores, sed rhetores: nempe rhetorum horum & aliorum ignorantiam, & impudentiam exagitat Crassus, qui præcepta eloquentiæ tradebant, cum omnem moralem philosophiam, quæ maxime oratori necessaria esset, ignorant: quare rescribendum censo, *quæ nemo rhetorum istorum usquam accepit*. Ultima littera vocis *nemo* geminata huic errori locum dedit. *Idem*.

dicere; ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere: nunc intelligo illa te semper etiam potiora duxisse, quæ ad sapientiam spectarent; atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, cum omnes gradus ætatis recorder tuæ, cumque vitam tuam, ac studia considero; neque, quo tempore ista didiceris, video; nec magnopere te istis studiis, hominibus, libris, intelligo deditum; neque tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quæ mihi persuasas maxima esse adjumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere, an, si non potueris, posse isto modo dicere.

Hic Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, cum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim posse eum satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset: neque, ea cum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter nunc de oratore, vestro impulsu, loquor, summo scilicet. Semper enim quacumque de arte aut facultate queritur, de absoluta & perfecta quæri solet. Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo: (quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio) quod si ita est, summus tamen certe non sum: neque enim apud homines res est ulla difficilior, neque major, neque quæ plura adjumenta doctrinæ desideret.

Attamen, quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicam necesse est. Vis enim & natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis & quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor, neque hodie in istis libris, & cum istis hominibus vivere: nec vero, id quod tu recte commemorasti, illum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas, forenses feræ concesserint.

XXIII. At, si queris, Catule, de doctrina ista quid ego sentiam; non tantum ingenioso homini, & ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rempublicam spectet, opus esse arbi-

arbitror temporis, quantum sibi ii sumpserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt: aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium <sup>41</sup> summa jam senectute est, & quotidie commentatur: nihil enim curat aliud. At Q. Velocius puer addidicerat: sed quod erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

*quomvis bonus ipse* <sup>42</sup>

*Sannis in ludo ac rudibus, crevis satis asper:*

sed plus operæ foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat: erat enim scenicus: quid faceret aliud? At Numerius Furius, noster familiaris, cum est commodum, can-

<sup>41</sup> Magister hic Samnitium. Quantum ab iis qui artes transferunt ad usum, distent qui in eorum cognitione consistunt, tripliciter probat exemplo. Primum est diuina lanitarum, qui tunc temporis celebres erant. Alter quidem, quem apprine novitidis, magister Samnitium, id est, gladiatorum magister, (Samnites enim, teste Festo, platiatores) totus in arte sua occupatus, aliud nihil cogitat: aliter, Q. Velocius, quantumvis artis numeros omnes callebat, & pugando cederet nemini, tamen operam foro impendebat, amicis prædabat discendum, & rem familiarem curabat. Secundum exemplum est Valerii & Furi, iusticarum, hic incedum, ille quotidie cantabat. Tertium est Q. Tuberonis & Africani, qui philosophiz dabant operam: Tubero impallecebat illis studiis, quibus Africanus horis tantum subcivis incumbat. *Præfatus.*

<sup>42</sup> Quomvis bonus ipse. Verus ille ex Lucilio Satyrice poeta desumpti, in quibus Samnitium illum magistrum significare videtur acrem hominem, & non inopem fuisse. Verba ipsa obscura, ac fortasse mutila, & qualem alii aliter legunt. Sentis hic esse videtur: Samnitium illam in ludo atque ambratili exercitatione bonum & non imperitum. Quomvis pro quantumvis fuit Serebuzus, & causis legit: ego crevis arbitror retineri posse; respexique Lucilium ad gladiatorem. In primis enim nomen ipsius Samnitium proprium generis eiusdem fuit gladiatori, ut ex Ioculiere Livii testimonio constat lib. 12. ubi ait, Campano odio Sa-

mnitium gladiatores eo ornata armasse, quo ii in acie usi fuerant, Samnitiumque nomine appellasse. Ad quos alluisse Lucilium etiam vox, qua sequitur, rudibus, probat: hoc enim gladiatorum instrumentum, & quidem duplex: nam alia fuit rudis lanitarum propria, ferula instar: ita enim appellatur: qua donabantur gladiatores qui militem impetabant. Alia fuit trionum, in ensium ligneum formata: quo genere exercebantur triones: non gladiatores solum; verum etiam milites; quod *trionare* vocabatur. Dicit sententiam hunc videtur: propterea quod nullus alius commodior occurrit. Alioqui magistrum Samnitium ita videri, uti professione accipere, quemadmodum Strebant, nescio an ridiculum sit: recte non ita dixerit Cicero: quid enim potius Samnitium, quam aliorum doctor appellatur? horrida præsertim generis, nec apte admodum ad eloquentiam. Quid quod Lipsius lib. 1. Saturnalium 12. hoc de gladiatorii ludi magistro accipit? Quod tamen commentari dicitur, bene observat gladiatorum magistris etiam interdum didici dare fallaces. Unde Iuvenalis, Sat. xi. & *Strepentis ligræ & vicia vasa lausile*. Verum quid sequentibus verbis faciemus: sed plus operæ foro tribuebat, &c. Hoc enim oratorem & rhetorem spectare videtur. An idem ille gladiatorum magister in foro versabatur? plane, ut ita dicendum, aut criticorum communi cautione utendum, locutus multumve, aut translatus ex alieno locum hunc esse. *Petrivius.*

cantat: est enim paterfamilias, est eques Romanus: puer didicit, quod discendum. Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies & noctes virum summa virtute & prudentia videbamus, philosopho cum operam daret, Q. Tuberonem: at ejus avunculum vix intelligeres id agere, cum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si & tantum sumas, quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter possit, & scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio & quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiola delectatione vestiges. Ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocri opera tribuatur, memoria studiumque permaneat. Liber autem semper discere, ut si velim ego talis optime ludere, aut pilæ studio teneam, etiam fortasse si assequi non possim. At alii, quia præclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur; ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut senes ad eas accesserunt; aut usque ad senectutem in studiis detinentur; aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino possit perficere.

XXIV. Jam, jam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid dicas, & hercule assentior. Satis video tibi homini ad perfidendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quæ dicis, fuisse temporis.

Pergine, inquit Crassus, me, quæ dicam, de me, non de re putare dicere? Sed jam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi vero, Catulus inquit, placet.

Tum Crassus, Quorsum igitur hæc spectat, inquit, tam longa, tam alte repetita oratio? Hæc duæ partes, quæ mihi supersunt, illustrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici postulat ornate, altera apte, hæc habent vim, ut sit quam maxime jucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat, & quam plurimis sit rebus instructa. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acce,

acere, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicium est: illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non multo est majus, quam illud vulgare ac forense. Apparatu nobis opus est <sup>43</sup>, & rebus exquisitis undique, & collectis, arcessitis, comportatis, ut tibi, Cæsar, faciendum est ad annum; ut ego in adilitate laboravi, quod quotidianis & vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam.

Verborum eligendorum, & collocandorum, & concludendorum facilis est vel ratio, vel sine ratione, ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam cum Græci jam non tenerent, ob eamque causam juventus nostra dediceret pane discendo; etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistris dicendi exstiterunt: quos ego censor edicto <sup>44</sup> meo sustuleram, non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acuti ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Græcos, cuiusmodi essent, videbam tamen esse, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam, & humanitatem dignam scientia. Hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per seipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum traderetur, & cum impudentiæ ludus esset; putavi esse censoris, ne longius id ferperet, providere. Quamquam non hæc ita statuo ac decerno, ut delperem, Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri. Patitur enim & lingua nostra, & natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Græcorum, ad nostrum usum, moremque transferri. Sed hominibus opus est

<sup>43</sup> Apparatu nobis opus est. Alludit, quantum opinor, ad adilitatem, in qua plerumque populo spectacula proponebantur, & in eo genere, qui novi aliquid ederet, & hæreticus illustratum, omne punctum ferebat. Quod idem in aliis magistratibus, sed in illo præcipue valebat. Quare, quemadmodum ibi delectu atque apparatu exquisitarum rerum opus est; eodem modo orator vulgaribus tristicis neglectis, id consellari debet, quod ipsa præsertim novitate delectet. *Idem.*

<sup>44</sup> Quos ego censor edicto. Juvat super ea re Gellium audire, qui lib. xv. cap. 11. istud his verbis declarat: *Cuiusdam E. nobarum & L. Lætinus Crassus censoris de coercendis vobiscum Latinis ita edixit: Renunciatum est vobis esse homines, qui novum genus discipulorum instituerunt, et quos reverentur in ludus convenire; eos sibi nunquam possesse Latine docere; sed homines adulescentulus deos totos hinc hinc. Et. Idem.*

\* Humanitatem. Man. Lamb. humanitate dignum scientiam.

est eruditus, qui adhuc in hoc quidem genere nostri nulli fuerunt. Sin quando exstiterint; etiam Græcis erunt anteposendi.

XXV. Ornatur igitur oratio <sup>45</sup> genere primum, & quasi colore quodam, & succo suo. Nam ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum: in toto spectantur hæc corpore. Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse solum æquabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quædam insignia & lumina.

Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, & quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. Non enim a me jam expectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta: aliud quiddam majus, & ingenia me hortantur vestra, & ætates. Difficile enim dictu est <sup>46</sup>, quamnam causa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, & specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam & satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine <sup>47</sup> & varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quæ tamen, etiam si primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant; cum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido, obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt, & delicatiores in cantu flexiones, & falsa vocula, quam certæ & severæ? quibus

Tom. I.

X x

tamen

<sup>45</sup> Ornatur igitur oratio. Insuper deinceps aggredditur, ac de ornatu orationis distinet; atque in primis duplex illius genus distinguit: unum in toto solum corpore orationis, aliud spectatur in partibus. Quod similitudine humani corporis explicatur: in quo alla totus est pulchritudo: quæ in coloris bonitate, aptaque membrorum proportionem certatur; alla partium singularum. *Idem.*

<sup>46</sup> Difficile enim dictu est, &c. Non hic ratio redditur, quare Crassum aliud hortantur juvenum ingenia & ætates: sed hæc sententia pendet ab ista: *Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos,*

&c. Nempe habes rationem, cur satietas in delectatione vitanda sit. Sic igitur ore parentheses sententiam redit: *Sed etiam sine satietate delectet: (non enim a me jam expectari puto): difficile enim dictu est &c.* Eodem etiam modo Manutius hunc locum imprefit. *Petrus.*

<sup>47</sup> Quanto colorum pulchritudine. Exemplis, quod dixerat, illustrat. De vario genere picturæ, singulorumque generum præterea, superius dixit. Pictura vetus, etiam nuda, nec ita florida, ipsa tamen antiquitate delectat. Eodem modo in musica, vox ad suavitatem intrinsecâ & iuxta, si nimium iteretur, displicet. *Petrus.*

tamen non modo austeri, sed, si sapius sunt, multitudo ipsa reclamatur. Licet hoc videre in reliquis sensibus. Unguentis minus diu nos delectat, summa & acerrima suavitate conditis, quam his moderatis: & magis laudari quod terram, quam quod crocum<sup>48</sup> olere videatur. In ipso tactu esse modum & mollitudinis & levitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine præter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis porione uti, aut cibo dulci diutius potest? cum utroque in genere ea, quæ leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est: quo hoc minus in oratione miremur: in qua vel ex poetis, vel ex oratoribus possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatum, festivam, sine intermissione, sine \* reprehensione, sine varietate, quamvis claris fit coloribus picta vel poetis vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna. Atque eo citius in oratoris, aut in poetæ concinnis ac fisco offenditur, quod sensus in nimia voluptate natura, non mente fatiantur<sup>49</sup>: in scriptis & in dictis non aurium

48. Magis laudari quod terram, quam quod crocum? Alii errant, pro terram sic legunt, sed peperam. Juvat Plinii locum cum hoc conferre, qui ei lucem præferat. Igitur lib. xxi. cap. 5. Cori, inquit, Cicero, suo doctissimi altera, Meliora, inquit, inquit, inquit sunt que terram, quam que crocum sapimus. Hoc enim maluit dixisse, quam voluit. Ita est profecto: illa erit optima, que unguenta sapit. Quod si admundi somus, qualis sit terra odor ille qui queritur; coarctat sapere etiam quisque ea sub ususum solis, in quo loco necesse calefit de veris capis sua: Et cum a ficitur tantum immaduit inbre, tunc eritque illius forma balneum divisione ex sole conceptum, cui vapori subiacet nulla parte. Petrus. Tunc hunc eandem lectionem in suis notis & emendat. ad Plin. lib. xxi. n. 6. Harduinus.

\* Reprehensio. ] Lamb. reprehensione. 49. Sensus in nimia voluptate natura, non mente fatiantur. ] Illud, qui fatiatur mente aut natura, natura aut mens fatiatur: ne-

que enim alio sensu, vox fatiatur cum ablativo intelligi potest: sed non hoc voluit Cicero; imo aliud longe diversum voluit. Quod si intelligere possumus mente fatiari, quid, queso, est natura fatiari? Lambinus hanc labem vulgatae lectionis vidit, & sic corrigere voluit, ut non mente, fatiatur; ubi natura est nominativi casus. Sed manet in eadem eadem vitiosa locutio mente & sensu fatiari; & nec sententia satis numerosa videtur, nec ordo verborum elegans conservatur. Restat etiam hoc vitium, & in vulgata, & in Lambini lectione, quod hæc verba in nimia voluptate nimis universa sunt, & de omnimoda voluptate dicuntur: sed Cicero de uno solo genere voluptatum nunc loquitur, sc. earum, quæ ex sensibus oriuntur. Opus igitur esse emendatione, ut optior, lektor fatebitur, sententiamque leviori, quam illa Lambini, mutatione, sic forsitan restituet: Quod sensus in nimia voluptate natura, non mentes fatiantur; in scriptis & in dictis non aurium

aurium solum, sed animi iudicio etiam magis, infucata vitia noscuntur.

XXVI. Quare, bene, & præclare<sup>50</sup>, quamvis nobis sæpe dicatur; belle, & festivo, nimium sæpe nolo. Quanquam illa ipsa exclamatio, Non potest melius, sit velim crebra: sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam & recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, existare, atque eminere videatur.

Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest, Nam sapiens virtuti bonorem premium, haud prædium perit:

sed abjicit prorsus, ut in proximos,

Ecquid video? ferro sepsus possidet sedes sacras, incidat, adipisciat, admiretur, stupefeat. Quid ille alter?

Quid peram præsidii?

quam leniter? quam remisse? quam non actuose? Instat enim,

O pater, o patria, o Priami domus!

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu, & exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetæ, quam denique illi etiam, qui fecerunt

X x 2

runt

scriptis & in dictis, non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis, infucata vitia noscuntur. Id est: in gustatu, auditu, reliquisque voluptatibus, quæ a natura nobis sunt date, si nimia sint, non mentes gustantium, aut audientium, sed sensus soli fatiantur: in his autem voluptatibus, quæ ex arte proficiunt, ut in poetis & oratoribus, si nihil varietatis habeant, illud nimium similitudinis vitium nascitur, non solum aurium, sed etiam magis animi iudicio. Felicitas naturæ est voluptas a natura data. Sic nosse de Fin. lib. v. Quod in pueris facillime se abirentur naturæ voluptatem posse coguntur. Sic lib. 11. de Orat. c. 84. naturæ bona eadem sunt, quæ in c. 11. dicuntur naturæ data hominibus. Facillime autem ultima litera vocis mentes a sequenti abfocberi possunt. Petrus.

50. Quare bene & præclare. ] Solebant non modo in scholis audire, sed in foro populis oratoribus acclamare, cum aliquid impensius placeret: atque hæc erant acclamationis vitia, bene, præclare, belle, festivo.

hæc, euge, cuiusmodi attentionum infamiam reprehendit Petrus, Sat. 1. 47. & Plutarchus, Tractatu de audiendo. Atque eo etiam motus iste pervasit, ut nonnullos furbornatos homines haberent, qui in exclamando ceteris præirent. Hinc nam exclamatio, ut Græci dicuntur, quod est admiratio, pro eo quod est discipulum esse & auditorem, sumerent, ut est apud Helychium. Ceterum hunc locum ita accipit Strebens, quasi bene, præclare, & belle ac festivo ad idem exclamations & admirationis genus pertineant. Exillimo tamen ille esse generis ac diversa exclamandi; ut cum alia sit orationis commendatio, ex eo quod apta sit, & artificiosa, & accommodata rebus, ex quo bene & præclare exclamari solet, id in ea debere esse frequentissimum; alia vero cum sit laus ex nitore ac lepore, quæ lumina dicuntur, hoc est, insignior quidam ac fucator ornatus, ut propitice belle ac festivo acclamant; nonnumquam quidem erit illud aspergendum, sed parcius & rarius. Petrus.



runt modos, a quibus utrique summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur.

Ita fit nobis igitur ornatus & suavis orator, (nec tamen potest aliter esse) ut suavitatem habeat austeram & solidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipsa ad ornandum præcepta quæ dantur, ejusmodi sunt, ut ea quamvis vitiosissimus orator explicare possit. Quare, ut antè dixi, primum silva rerum, ac sententiarum comparanda est: qua de parte dixit Antonius. Hæc formanda sibi ipso & genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis. Summa autem laus eloquentiæ est, amplificare rem ornando: quod valet non solum ad augendum aliquid & tollendum aliud, dicendo, sed etiam ad extennandum atque abjiciendum.

XXVII. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel cum explanamus aliquid, vel cum conciliamus animos, vel cum concitamus. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum: eaque una laus oratoris est, & propria maxime. Etiam major est illa exercitatio, quam extremo sermone instruxit Antonius, (primo rejiciebat) laudandi & vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam & amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatifime facere posse. Consequentur etiam illi loci <sup>52</sup>, qui quam proprii causarum, & inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen, quia de universa re tractari solent, communes a veteribus nominati sunt: quorum partim habent vitiorum & peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec potest; ut in depeculatore, in proditore, in parricidam: quibus uti, confirmatis criminibus, oportet: aliter enim jejuni

<sup>52</sup> Consequentur etiam illi loci [Usum locorum communium commendat. Erant hi communes loci sententiæ quedam, sive promptuarie argumentorum vel disputationum variorum scilicet de rebus institutarum & generalibus, cujusmodi tria genera distinguit. Alii enim loci infestationes criminum quorundam continebant, de quibus nemo dubi-

tas quin pessima sit. Alii, deprecationis aut miserationis excitanda rationem continent. Tertium genus habet eorum questionum tractationem, quæ utramque in parte disputando trahuntur, ut sunt de virtute, de iustitia, carereque illi genus rebus institutarum disputationes. Idem.

juni sunt atque inanes. Alii autem habent deprecationem, aut miserationem. Alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem differi copiose licet: quæ exercitatio nunc propria duarum philosophiarum <sup>53</sup>, de quibus antè dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio & copia petebatur. De virtute enim, de officio, de æquo & bono, de dignitate, honore, utilitate, ignominia, premio, peena, similibusque de rebus, in utramque partem dicendi animos & vim & artem habere debemus. Sed, quoniam de nostra possessione depulsi, in parvo, & eo litigioso, prædiolo relicti sumus, & aliorum patroni, nostra tenere, tuerique non potuimus: ab iis, (quod indignissimum est) qui in nostrum patrimonium irruerunt, quod opus est nobis mutuemur.

XXVIII. Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex particula parva urbis <sup>54</sup> ac loci, nomen habent, & peripatetici philosophi, aut Academici nominantur; olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam, a Græcis politici philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur; omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definita controversia certis temporibus ac reis, hoc modo, Placcatne a Carthaginensibus captivos nostros, redditus suis, recuperari: aut inhaere de universo genere quærentis, Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit. Atque horum superius illud genus, causam, aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt: hæc autem altera quæstio infinita, & quasi proposita, consultatio nominatur. Atque hæc lenus loquuntur.

Etiam hæc <sup>55</sup> instituendo divisione utuntur, sed ita, non ut

<sup>53</sup> Nunc propria duarum philosoph. [Quædam significet, planum est & facile: Peripateticos enim & Academicos innuit. Idem.

<sup>54</sup> Particula parva urbis [E Lyceos scilicet, quod gymnasium, Athenis celeberrimum, dicebatur epoque *μικροῦ* & *ὀλιγοῦ*, quod inter decurbandum inde nominati peripatetici philosopharentur. Acade-

mia, gymnasium aliud Athenis, ab Academio Atheniensi nomen habuisse tradit Plutarchus in Theſeo. Præterea.

<sup>55</sup> Atque hæc lenus loquuntur. Etiam hoc [Omitto, loquuntur: ut sentis sit, Atque hæc lenus etiam hoc instituendo divisione utuntur, scilicet rhetores, etiam in eorum provinciam invaserint philosophi. Marcus.

ut iure aut iudicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure civili, furculo defringendo<sup>55</sup>, usurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinet, atque id ipsum lacrima<sup>56</sup>. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime vigere audio, etiam harum jam causarum cognitio, exercitatioque celebratur. Alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant, & oratoris esse dicunt: sed neque vim, neque naturam ejus, nec partes, nec genera proponunt; ut prateriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri. Nunc enim inopia reticere intelliguntur, tum iudicio viderentur.

XXIX. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua queri & disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur, sive in iis causis, quæ in civitate, & in forensi disceptatione versantur: neque est ulla, quæ non aut ad cognoscendi, aut ad agendi vim rationemque referatur. Nam aut ipsa cognitio rei, scientiaque perquiritur, ut, Virtus suamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos exepetur: aut agendi consilium exquiritur, ut, Sitne sapienti capienda respublica. Cognitionis autem tres modi, conjectura, definitio, &, ut ita dicam, consecutio. Nam, quid in re sit, conjectura queritur: ut illud, Sitne in humano genere sapientia. Quam autem vim quæque res habeat, definitio

<sup>55</sup> Ut denique ] Lamb. aut vi denique re-  
cuprare

<sup>56</sup> Lacrima defringendo ] Ita philosophus illos de rhetorica tradere aliquid docet, ut non sibi penitus illam vindicent, neque in eam tanquam possessionem manus injiciant, sed de ea etiamnum contententes imaginaria vindicatione usupent in exigua aliqua parte. Olim enim petitor possessionem una cum oratore in rem præsentem ducebat: unde adversarium manu prehensens, rem, de qua erat contentio, sibi vindicabat; quod manus transferre appellabant. Posteaquam vero propagatis Italæ finibus, prætores ne potius occupati proficisci ad longinquas res gravabantur, institutum est ut litigantes non apud prætores manum conferrent, sed ex iure, id est, ex eo loco ubi jus reddebatur, manum conferrent, id est alter, alterum ad manum conferendam in rem de

qua ageretur, vocaret; atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad præterem deferrent, & in ea glebâ, tanquam in toto agro, vindicarent. Nonnumquam & furculum ex arbore defrastrum ferebant. Multa de eo ritu Bellonius in Poemulis. Itaque similitudo Ciceroniana hæc est: Quo illi modo litigantes in parte agri exigua hærent, nec dum totum obtinuerunt; sic philosophos, dum paucula quædam delibant ex rhetoricis, non veterem possessionem ex toto usurpare, quasi pollinino, sed particulam illius quasi adhuc altene rei arripere. Petavio.

<sup>57</sup> Lacrima ] Lacrima aliquid tenere vel obtinere, idem valet, ac rem non nisi leviter tenere. Phrasis eadem in Plauti Aſina, 3. 2. 41. Petavio.

tio explicat: ut, si queratur, quid sit sapientia. Consecutio autem tractatur, cum, quid quamque rem sequatur, inquiretur: ut illud, Sitne aliquando mentiri boni viri.

Redeunt rursus ad conjecturam, eamque in quatuor genera disperiunt. Nam aut quid sit, queritur, hoc modo: Naturane sit jus inter homines, an opinionibus. Aut, quæ sit origo cuiusque rei: ut, quod sit initium legum, aut rerum publicarum. Aut causa & ratio: ut, si queratur cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant. Aut de immutatione: ut, si disputetur, num interire virtus in homine, aut num in vitium possit converti.

Definitionis autem sunt disceptationes, ut, cum queritur quid in communi mente quasi impressum sit: ut, si differatur, idne sit jus, quod maximæ parti sit utile. Aut, cum quid cuiusque sit proprium, exquiritur: ut ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis præterea possit. Aut, cum res distribuitur in partes: ut, si queratur, quot sint genera rerum expetendarum; ut, sintne tria, corporis, animi, externarumque rerum. Aut, cum, quæ forma, & quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur: ut, si queratur avari species, seditiosi, gloriosi.

Consecutionis autem duo prima questionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio, ut, si differatur, Expetendane sit gloria, aut ex comparatione, Laus, an divitiæ magis expetendæ sint. Simplicium autem sunt tres modi: de expetendis fugiendisve rebus, ut, Expetendane honores sint, num fugienda paupertas: de æquo aut iniquo, Æquumne sit ulci-

<sup>57</sup> Ut cum queritur ] Mutavi vulgatum ut in aut, quia exemplum non subjicitur, sed species quædam definitionis. Quatuor ejus sunt species. Prima est, cum queritur, quid in communi mente quasi impressum sit, quam Cicero in Topicis vocat notationem, & ejus speciei exemplum est, *Idne est jus, quod maxime parti sit utile?* Secunda est, cum, quid cuiusque sit proprium, exquiritur: quod Cicero in Topicis vocat proprietatem. Tertia, cum res distribuitur in partes: quod vocat divisionem. Quarta, cum quæ forma & quasi naturalis nota cu-

jusque sit, describitur: quem vocat descriptionem. Vides igitur, Lector, aut legendum esse, quod proponitur tribus postremis speciebus. Idem.

<sup>58</sup> Aut, cum, quæ forma ] Notationes, sive descriptiones morum indicat, quos characteres Græci vocant; quando res non simpliciter definitione aperitur, sed per multiplicia signa & quasi vestigia explicatur. Cuiusmodi sunt morales Theophrasti characteres, quæ in oratione collocata ethopæjam faciunt, & præcipue ad comœdias pertinent. Petavio.

ulcisci injurias etiam propinquorum: de honesto aut turpi, ut hoc, Sitne honestum, gloria causa mortem obire. Comparationis autem duo sunt modi. Unus, cum, idemne sit, an aliquid interfit, quaeritur: ut *metuere*, & *vereri*: ut *rex*, & *tyrannus*: ut *assentator*, & *amicus*. Alter, cum, quid praestet aliud alii, quaeritur: ut illud, Optimine cuiusque sapientes, an populari laude ducantur. Atque ea quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur.

XXX. Quae vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere, quid rectum faciendumque sit, quaeritur; cui loco omnis virtutum, & vitiorum est silva subiecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda, tollendave tractantur. Huic generi subiectae sunt cohortationes, oburgationes, consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum & impulsio, &, si ita res feret, mitigatio.

Explicatis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio. Eadem enim sunt membra in utrisque disputationibus, sed paulo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa. Nunc ad reliqua progrediar, neque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda: sed aliis generibus alii loci magis erunt apti; de quo non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse.

Ornatissimae sunt igitur orationes ea, quae latissime vagantur, & a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt & convertunt, ut ii, qui audiunt, natura, & genere, & universa re cognita, de singulis reis, & criminibus, & litibus statuere possint. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos, adolescentes, est cohortatus Antonius, atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim, varietatemque vos differendi traducendos putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scri-

seripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tuscularni, atque hujus ambulationis antemeridianae, aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis, neque procedenda lingua est; sed onerandum, complendumque peccus maximarum rerum & plurimarum suavitatem, copia, varietate.

XXXI. Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores & principes sumus) nostra est, inquam, omnis ista prudentiae, doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt; atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis praecipunt libellis, eosque *rhetoricos* inscribunt: quasi non illa sint propria rhetorum, quae ab iisdem de justitia, de officio, de civitatibus instituendis & regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturae ratione dicuntur. Quae quoniam jam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus, dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent, & quam intuentur, transferamus: neque (ut ante dixi) omnem teramus in his discendis rebus aetatem, sed cum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognovit, nunquam cognoscet omnino, tum, quotiescumque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum & ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre: neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit.

In hoc igitur tanto tamque immenso campo, cum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque consiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus, ornatulque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit: &, si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, existit ex rei natura quidam splendor in verbis. Sit modo is, qui dicit, aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque pueri,

rili, & flagret studio, & a natura adjuvetur, & in universo generum infinitis disceptationibus exercitatus, ornatusque scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque legerit: nam ille haud sane, quemadmodum verba struat & illuminet, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modo est exercitata, labetur.

XXXII. Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam rem varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, & in majorum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores, auctoresque dicendi nullam genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione versatos. Ex quibus Eleus Hippias, cum Olympiam venisset, maxima illa quinquenniali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta pene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenia continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem, & poetarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur: sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, foccos, quibus indutus esset, se sua manu consecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus; sed ex eo ipso est conjectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarent. Quid de Prodicio Chio? quid de Thralymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisque plurimum temporibus illis, etiam de natura rerum, & disseruit & scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philosopho succubuit orator; qui aut non est vicinus unquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est; aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit & disertior Socrates, & ut tu appellas, copiosior & melior orator: sed hic in illo ipso Platonis libro, de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicendum esse profiteretur: isque princeps

ex

ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire: cui tantus honos habitus est a Graecia, solum ex omnibus Delphis non inaurata statua<sup>59</sup>, sed aurea statueretur. Atque ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi doctores uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis; oratorisque nomen apud antiquos in Graecia, majore quadam vel copia, vel gloria floruisse.

Quo quidem magis dubito, tibi plus laudis, an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam: cum tu, in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis pene omnibus, vel orbis terra procuracione, ac summi imperii gubernatione districtus, tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum ejus, qui consilio & oratione in civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris: illi nati in literis, ardentisque his studiis, otio vero distantes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, & traditum, & suum conservaverint.

XXXIII. Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus, distributione partium ac separatione, magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, cum esset Hippocrates ille Cos, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam Damone aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discertas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret?

Equidem saepe hoc audivi de patre & de focero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti.

Y y 2

<sup>59</sup> Delphis non inaurata statua. Immo non a Graecis erecta illa statua, sed ab Ibero sibi posita, si audiendus ibi quis, qui lib. 32. cap. 1. Homanus, inquit, primus et auream statuam et solidam Graeciae Leontinus Delphis in templo sibi posuit, seponereque circum Olympiam: tantus erat do-

centa oratoria artis quaestus. Sed nihil haec in parte fidei habere Plinio. Praeterea & Cicero non credit, & Valerius lib. 8. cap. 15. & Pausanias, qui tamen non auream, sed inauratam esse ait, lib. 10. item.

\* Oculis. I. Lamb. oculis, alios qui ausibus mederentur.

plecti. Meminerant illi Sex. Ælium, M. vero Manilium nos etiam vidimus tranverso ambulante foro: quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam: ad quos olim & ita ambulantes, & in folio sedentes domi, sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncanii, hæc proavi, generi mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidemque & in senatu, & apud populum, & in causis amicorum, & militiæ consilium suum fidemque præstabant. Quid enim M. Cato, præter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam, defuit? Num, quia jus civile didicerat, causas non dicebat? aut quia poterat dicere, juris scientiam negligebat? at utroque in genere & laboravit, & præstitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in republica capeffenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum investigarit & scierit, tum etiam conscripserit.

Nunc contra plerique ad honores adipiscendos, & ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid assert, ut bellicam virtutem, aut usum aliquem militarem; quæ sane nunc quidem obsoleverunt; aut juris scientiam, ne ejus quidem universi: nam pontificum, quod est conjunctum, nemo discit: aut eloquentiam, quam in clamore & in verborum cursu positam putant: omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

XXXIV. Sed, ut ad Græcos referam orationem, (quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus: nam ut virtutis a nostris, sic doctrinæ sunt ab illis exempla repetenda.)

da) septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes & haberentur & vocarentur. Hi omnes, præter Milesum Thalem, civitatibus suis præfuerunt. Quis doctior isdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque præstaret. Quid Pericles? de cujus dicendi copia sic accepimus, ut, cum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ, severius tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus & jucundum videretur: cujus in labris veteres comici, etiam cum illi maledicerent, (quod tum Athenis fieri licebat) leporem habitasse dixerunt; tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non \* clamator aliquis ad clepsydram<sup>66</sup> latrare docuerat, sed, ut accepimus, Glazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Iraque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis, & urbanis, eodem tempore, & bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni

\* Clamator ] Vult. Man. declamator

66 Ad clepsydram ] Oratoribus ad causas agendas, ceterum tempus definitur per clepsydram, quo elapso silere necesse erat; fiebatque non raro quod ait Quintilianus lib. xii. c. 6. Laboratum congestaque diurnum ac multum studio altionem aqua deficit. De forma clepsydræ atque usu nonnulla scira necessaria ex antiquis scriptoribus juvat hic breviter exponere: præsertimque ex Aristophanis interprete, (Acharn. vers. 693. & Vesph. v. 23.) Η κλεψύδρα ἕρπυς... Clepsydra vas est, habens exiguum foramen in fundo; quod in iudicio plenum aqua ponebatur, ad quam oratores dicebant: hoc est, tandem dicere poterant ac perorare, quinidii aqua per angustum foramen fluebat. Apulejus lib. 3. Metamorph. Præconiis ampliorum citatus auctor quidam senior esturgi. & ad dicendum spatium vascula quodam in vicem celi graciliter fistulato, ac per hoc guttatum fluxu infusa aqua, populium sic adorat.

Falso sibi persuaderet aliquis, clepsydram nostris fuisse clepsammidis similem, hoc est, horologium, ut quidam vocant; pulveris, quibus scilicet horarum intervalla partitur efflatur arena. Nam neque dubius ex vasculis veterum clepsydræ constabat, quorum ex altero aqua in alterum per vias deflueret; sed uno tantum. Neque in eo aqua erat perpetua; sed quæ effusa identidem transmitteretur, subiecto, ut opinor, vase recepta: aut certe quæ singulis causis nova atque appensa transunderetur. Eam publicis hinc appendebat; quæ ubi omnis effluxerat, monebatur orator esse desinendum. Quod si sermonem interromperet, casu quopiam, aut aliquid de scripto recitaret, jobebat præconem aquam sistere. Apulejus in Apolog. At tu, interea dum legis, aquam sistim. Πίσυθες Νάγος, ad aquam dicere, perinde est, ac dicere ad clepsydram. Idem.

boni sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusum doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non lingua solum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato; aliis Isocrates clarissimum virum Timotheum, Cononis, præstantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem, hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum Epaminondam, haud scio an summum virum unum omnis Græciæ? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaum Archytas Tarentinus? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italia Græciam, quæ quondam magna vocitata est? Equidem non arbitror.

XXXV. Sic enim video, unam quandam omnium rerum, quæ essent homine erudito dignæ, atque eo, qui in republica veller excellere, fuisse doctrinam: quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, & se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia præstitisse. Atque ipse Aristoteles, cum florere Isocrates nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a causis forensibus & civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suæ, versumque quandam de Philocteta paulo secus dixit. Ille enim *ruppe* sibi ait *esse tacere, cum barbaros*; hic autem <sup>61</sup> *cum Isocratem pateretur dicere*. Itaque ornavit & illustravit doctrinam illam omnem; rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem acciecit, a quo eodem ille & agendi acceperet præcepta, & loquendi.

Nunc

<sup>61</sup> Cum barbaros; hic autem, *61* Verfus, ad quem alludit Cicero, existat apud Quintil. lib. 3. c. 1. & Diog. Laertium in vita Aristotelis.

*Ἀποκρίσιν ἰσχυρῶς, Πρωκρίσιν ἢ ἰσχυρῶς.* Verfus autem ipsius Euripidis in Philocteta sic se habet.

*Ἀποκρίσιν, ἰσχυρῶς, Πρωκρίσιν ἢ ἰσχυρῶς.* Ex quo apparet, non *barbaros* (ut vulgo)

sed *barbaros* legendum esse; quod & ipse Cicero indicat, cum dicit in accus. casu *Isocratem*; namque sic expletur sententia, *cum barbaros pateretur dicere*. Hanc mendam sæpe observarunt viri doctissimi; nemo tamen adhuc *barbaros* in textum reposuit. Adde, quod Ms. Bal. Harl. r. & Joan. *barbaros* rectissime exhibent. *Πρωκρίσιν* ἢ *ἰσχυρῶς*.

Nunc sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum, orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam junctam habere eloquentiæ, philosophum appellari malit, non impediam: dummodo hoc constet, neque infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque insipientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem.

Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos disjungunt; hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia: quæ quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Hæc cum Crassus dixisset, parumper & ipse conticuit, & cæteris silentium fuit.

XXXVI. Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videre aliud quiddam, & non id, quod susceperis, disputasse. Plus enim aliquanto attulisti, quam tibi esset tributum a nobis ac denuntiaturum. Sed certe & hæc partes fuerunt tuæ, de illustranda oratione ut diceres, & eras ipse jam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras: cumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter, exigueque dixisses, duas tibi reliquas feceras; quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte dicere. Quo cum ingressus esses, repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu patris omnium abstraxit; omnemque rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti, (neque enim fuit tam exigui temporis) sed, apud hos quid profeceris, nescio: me quidem in Academiam totum compulisti. In qua velim sit illud, quod sæpe posuisti, ut non necesse sit consumere ætatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo adspexerit: sed, etiam si est

si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam, neque defatigabor ante; quam illorum ancipites vias rationesque & pro omnibus, & contra omnia disputandi, percepero.

Tum Cæsar, Unum, inquit, me ex tuo sermone maxime, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere: ut mihi non sit difficile periclitari, & aut statim percipere ista, quæ tu verbis ad cælum extrulisti; aut, si non potuerim, tempus non perdere, cum tamen his nostris possim esse contentus.

Hic Sulpicius, Ego vero, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, nec philosophorum quemquam desidero: vel me licet existimes desperare posse ista perdiscere, vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium, & communium vulgaris hæc cognitio satis magna est ad eam, quam speo, eloquentiam; ex qua ipsa tamen permulta nescio: quæ tum denique, cum causa aliqua, quæ a me dicenda est, desiderat, quero. Quamobrem, nisi forte es jam defessus, &, si tibi non graves sumus, refer ad illa te, quæ ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent: quæ ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addicerem.

XXXVII. Tum Crassus, Pervulgatas res requiris, inquit, & tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum reliquit? Sed geram morem, & ea duntaxat, quæ mihi nota sunt, breviter exponam tibi: censebo tamen ad eos, qui auctores & inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendam.

Omnis igitur oratio conficitur ex verbis: quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis, conjunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quæ propria sunt, & certa quasi vocabula rerum, pene una nata cum rebus ipsis: aut iis, quæ transferuntur, & quasi alieno in loco collocantur: aut iis, quæ novamus, & facimus ipsi.

In

In propriis est igitur verbis illa laus oratoris, ut abjecta atque obsoleta fugiat: lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam & sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam judicio ponderandus: in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet, *Bonis in verbis*, aut *aliquis non bonis utitur*, non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu judicatur: in quo non magna laus est vitare vitium, (quamquam id est magnum) verum hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus & copia bonorum. Sed, quid ipse ædificet orator, & in quo adjungat artem, id esse a nobis quarendum atque explicandum videtur.

XXXVIII. Tria sunt igitur in verbo simplici, quæ orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem; aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum.

Inusitata sunt præca fere ac vetusta, & ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa, quæ sunt poetarum licentia liberiora, quam nostra: sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquid<sup>62</sup> verbum dignitatem. Neque enim illud iugerim dicere, ut Cælius, *Qua tempestate Pænus in Italiam venit: nec prolem, aut sobolem, aut effari, aut nuncupari*: aut, ut tu soles, *Catule, non rebar, aut opinabar*: & alia multa, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio sæpe videri solet.

Tom. I.

Z. z

Novan-

<sup>62</sup> Sed tamen raro habet etiam hæc. ] Lepidum esse, non raro, aperte ostendunt verba illa: Sed tamen. Tum ea, etiam in oratione. Muretus. Vox raro, cum adjecta (ut hic) voce etiam, significat, aliquando, non nunquam: quo sensu iterum Noster idem adhibuit utitur cap. 52. Translativè utitur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam percontatis: & in lib. 2. c. 3. & plerumque ex futuris, raro etiam ex instantis hæc. Pezirus.

<sup>63</sup> Poeticum aliquid ] Manifestum est singulas hujus loci partes rimanti. Ciceronem de suis inusitatis & poeticis verbis sermonem habere: &, cum exempla proferat, nun-

poetica verba afferit? Annon verba quædam, quæ poetis sunt inusitata, adducit? Opinabar, nuncupari, & alia nonnulla apud oratores inventientia sunt, apud poetas nullum habent locum. Si hoc modo locum recudas, sed tamen raro habet etiam in oratione percontatum aliquid verbum dignitatem: idem hic dicit Cicero, quod in c. 52. mox dicturus est, ut inusitatis etiam frequenter, interdumque factis, raro autem etiam percontatis. Adde, quod Quintilii lib. 8. c. 3. dicit, Propria dignitatem dat antiquitas: mox addit, Quædam tamen aliter vetero recussitate ipsa gratius videntur, quædam etiam necessario intermixta sunt, nuncupare, & fari. Idem.

Novantur autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipso gi-  
gnuntur, ac fiunt: vel conjugendis verbis, ut hæc,

*Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato expectoræ.*

*Nam non vis hujus me versutiloquas malitias?*

Videtur enim & *versutiloquas*, & *expectoræ*, ex conjunctione  
facta esse verba, non nata. Vel sæpe sine conjunctione verba  
novantur, ut, *ille senius*; ut, *Dii genitales*; ut, *baccarum*  
*ubertate incurvescero*.

Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem ne-  
cessitas genuit inopia coacta, & angustiis; post autem dele-  
ctatio, jucunditalque celebravit. Nam ut vestis frigoris de-  
pellendi causa reperta primo, post adhiberi coæpta est ad or-  
natum etiam corporis & dignitatem: sic verbi translatio in-  
stituta est inopiæ causa, frequentata delectationis. Nam *gem-  
mare vites*, *luxuriam esse in herbis*, *latas segetes*, etiam rusti-  
ci dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id  
translato cum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus,  
ejus rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo hæc  
translationes quasi mutationes sunt, cum, quod non habeas,  
aliunde sumas. Illæ paulo audaciores, quæ non inopiam in-  
dicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt. Quarum ego,  
quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera po-  
nam?

XXXIX. Similitudinis est ad verbum<sup>64</sup> unum contracta  
brevitas, quod verbum in alieno loco, tanquam in suo, po-  
situm, si agnoscitur, delectat: si simile nihil habet, repudia-  
tur. Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt  
rem, ut illa omnia:

*Inborrescit mare,*

*Tenebræ conduplicantur, noctisque ☉ nimbum occæcat ni-  
gror.*

*Flamma inter nubes coruscæ, cælum tonitru contremis,*

*Grando mista imbri largifluo subita præcipitans cadit,*

*Undi-*

<sup>64</sup> Similitudinis est ad verbum ] Metapho-  
ram quandam esse similitudinem docet Ari-  
stoteles, Rhet. lib. 3. sed inter utramque  
nonnulli tamen intererit: nam cur de A.  
chille loquens Homerus dicit, *ut leo prosi-*  
*lit*, similitudo est, sui dicit *leo prosi-*  
lit, metaphoræ. *Petavius*. Hic edidit Lamb.  
Translatio omnia, similitudinis &c.

*Undique omnes ventri erumpunt, sævi exsistunt turbines,*

*Fervet æstu pelagus.*

Omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem  
verbis dicta sunt: aut quo significetur magis res tota, sive  
facti alicujus, sive consilii; ut ille, qui occultantem consul-  
to, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis  
verbis similitudine ipsa indicat:

*Quandoquidem iste circumvestit dictis, sepiæ sedulo*<sup>65</sup>.

Nonnunquam etiam brevitatis translatione conficitur, ut illud,  
*Si relam manu fugit*. Imprudentia teli emissi brevius propriis  
verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.

Atque hoc in genere per sæpe mihi admirandum videtur,  
quid sit, quod omnes translatis & alienis magis delectantur  
verbis, quam propriis & suis.

XL. Nam si res suum nomen & proprium vocabulum non  
habet, ut *pes* in navi<sup>66</sup>, ut *nexum*<sup>67</sup>, quod per libram a-  
gitur, ut in uxore *divortium*; necessitas cogit, quod non ha-  
beas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima cop-  
ia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione  
translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii spe-  
cimen est quoddam, transilire ante pedes posita, & alia lon-  
ge repetita sumere: vel quod is, qui audit, alio ducitur cog-  
itatione, neque tamen aberrat; quæ maxima est delectatio:  
vel quod singulis verbis res, ac totum simile conficitur: vel  
quod omnis translatio, quæ quidem summa ratione est, ad  
sensum ipsos admoveatur, maxime oculorum, qui est sensus a-  
ccerrimus. Nam & *odor urbanitatis*, & *mollitudo humanitatis*,  
& *myrmur maris*, & *dulcedo orationis*, sunt ducta a cæteris

Z z 2

senfi-

<sup>65</sup> Quandoquidem iste circumvestit &c. ]  
Græcorum conject. legendum divinum *ut* *is* :  
sed ad sensum verborum precedentium pa-  
ram attendisse videtur: hæc enim de eo di-  
cuntur, qui consilio ventur, ut id quod (ab  
ipso) *aperitur*, intelligi possit. Unde ego  
retardandum esse censo *ut se*, quæ lectio &  
sensum satisfacit, & post verbum *circumvestit*  
supplet accusativum casum, quem Græcorum  
recte vidit hic prolixè desulisse. *Petavius*.  
<sup>66</sup> *Ut pes in navi* ] *Pedem* in navi par-

tem exercitum veli appellant Latini æque  
ac Græci, quæ pars accitior & infertur ad  
navis hanc religari solet. Alii vero inuen-  
tione dicunt, quo velum tenditur aut releva-  
tur. *Virgilius* Æn. 5. 830. *Una omnes fœderi*  
*pedem*, id est, vela recenderunt. *Carallus* 4.  
20. *Suos utramque Júpiter suavit fecundior*  
*oldiffa in pedem*. *Petavius*.  
<sup>67</sup> *Ut nexum* ] *Quid sit nexum*, sive *ne-*  
*xus*, cum ad jus civile pertinet, vide ad  
Topics, cap. 5. *Idem*.



fenfibus. Illa vero oculorum multo acriora, quæ ponunt pæne in conspectu animi, quæ cernere & videre non possumus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possumus uti vocabulo & nomine. Unde enim simile duci potest, ( potest autem ex omnibus ) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen affert orationi. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo:

*Cæli ingentes fornices.*

Quamvis spheram in scenam ( ut dicitur ) attulerit Ennius, tamen in sphaera fornices similitudo non potest inesse.

*Iræ, Ulysses, dum licet,*

*Oculis postremum lumen radiatum* <sup>68</sup> *rape.*

Non dixit, *cape*; non, *pete*: haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape*. Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet*.

XLII. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. *Syrim patrimonii*, *scopulum* libentius dixerim; *Charybdim* bonorum, *voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quæ visa, quam ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur. Et, quoniam hæc vel summa laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudine earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, traher similitudo. Nolo morte dici Africanum <sup>69</sup> *castroam* esse rempublicam. Nolo *stercus curie* dici *Glauciam*. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut majus, quam res postulet, *tempestas commissariis*: aut minus, *comissario tempestatis*. Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum;

Qui-

<sup>68</sup> *Radiatum* ] Muretus, Var. Lect. xi. p. putat legendum *radiantia*, quo nomine solum appellabant veteres portæ.

<sup>69</sup> *Nolo morte dici Africanum* ] Eadem metaphora vitia tanquam scopulos cavere oportere monet Aristoteles, & Sophistam merito reprehendit, qui diceret, non debere religioni esse, qua quisque voce uteretur, etiam in re turpi, cum voces omnes eandem tur-

pitadinem expriment. Sed quemnam hoc loco Africanum loquitur? Junioem, opinor, ad idque inducor, quod alterius tempore vixit multi, hoc est, insignes duces Romæ fuerunt, in eorum morte rempublica exorari potuit: at Africanum alterius tempore ferre duces sustinuit, avari, nihil homines. *Petavius*.

*Quidnam est, obsecro? quid te adiri abutras?* Melius esset, *vetas, prohibes, absterres*: quoniam ille dixerat, *Illico istic, ne contagio mea bonis, umbræve obsit.*

Atque etiam, si vereare ne paulo durior translatio esse videatur, mollienda est, præposito sæpe verbo: ut, si olim M. Catone mortuo, *pupillum* senatum quis relictum diceret, paulo durius; sit, *ut ita dicam, pupillum*, aliquanto mitius est. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse; atque ut precario, non vi, venisse videatur.

Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profuit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit:

*Neque me patiar iterum*

*Ad unum scopulum & rebum classem Acircum offendere.*

Atque illud,

*Erras, erras: nam exultantem te, & præfidentem tibi Reprimunt valida legum habene, atque imperii insistent iugo.*

Sumpta re simili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam ( ut dixi ) transferuntur.

XLIII. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere sunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione,

*Africa terribili stemit horrida terra tumultu.*

Pro Afris est sumpta Africa. Neque factum verbum est, ut, *Mare Saxisfragis undis*: neque translatum, ut, *Mollitur mare*: sed ornandi causa proprium proprio commutatum,

Desi-

<sup>70</sup> *Quidnam est* ] Versus ex Ennii fabula, ut colligitur ex Tuscule 3. cap. 12.

*Define, Roma, tuos hostes .... &, Testes sunt campi magni ...*

Gravis est modus in ornatu orationis, & sæpe sumendus: ex quo genere hæc sunt, *Martem belli esse communem; Cerevem pro frugibus; Liberum appellare pro vino; Neptunum pro mari; curiam pro senatu; campum pro comitiis; togam pro pace; arma ac tela pro bello.*

Quo item in genere & virtutes, & vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: *Lusuriam* quam in domum irrupit: &, Quo *avaritia* penetravit: aut *Fides* valuit, *Iustitia* confecit. Videtis profecto genus hoc totum, cum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiat, ornatius: cui fuit finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, cum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut, pro ædificiis cum *paviores*, aut *recta* dicimus: aut ex toto partem, ut, cum unam turram; *equitatum populi Romani* dicimus: aut ex uno plures,

*At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat:*

aut cum ex pluribus intelligitur unum,

*Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini* <sup>71</sup>:

aut quocumque modo non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.

XLIII. Abutimur sæpe etiam verbo non tam eleganter, quam in transferendo: sed etiam si licentius, tamen interdum non impudenter: ut cum *grandem orationem* pro magna, *minutum animum* pro parvo dicimus. Verum illa videt sine esse non verbi, sed orationis, quæ ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt: Hæc autem, quæ aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus existat ex his rebus, si aut

vetu-

<sup>71</sup> Nos sumus ] Non dubitat Lipsius lib. v. Lect. cap. 2. quin hic sit Ennii versus sibi data civitate gratulantis. Variæ sunt lectiones, Nos sumus Romani, qui fuimus Rutuli. Alios Kestlii. Rectius Rudini a Rudis

urbe Calabrie, ex qua oriundus fuit Ennius. Ergo qui hoc fecerat, Rudium hominem. Ennium majores nostri in civitatem receperunt. Cicero pro Archia, c. 10. Ut versus conficit, pro fuimus lege favimus; Prætereus.

vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit: aut factum vel conjunctione, vel novitate, in quo item est auribus consuetudinique parcendum: aut translatum, quod maxime tanquam stellis quibusdam notat, & illuminat orationem.

Sequitur continuatio verborum, quæ duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quandam formamque desiderat. Collocationis est componere & struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulus sit, sed quodam modo coagmentatus & levis. In quo lepide focerit mei persona lustis, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius.

*Quam lepide lexeis composita? ut tesserule omnes* <sup>72</sup>

*Arte pavimento* <sup>73</sup>, atque emblemate vermiculato.

Quæ cum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit,

*Crassum habeo generum, ne rhetoricorero* <sup>74</sup> tu sis.

Quid ergo? iste Crassus, quoniam ejus abuteris nomine, quid efficit? idem illud scilicet, ut ille voluit; & ego vellem melius aliquanto, quam Albucius. Verum in me quidem lustit ille, ut solet. Sed est tamen hæc collocatio conservanda verborum, de qua loquor, quæ junctam orationem efficit, quæ coherentem, quæ lenem, quæ æqualiter fluentem. Id assequimini, si verba extrema cum consequentibus primis ita jungetis, ut ne aspere concurrant, neve vastius diducantur.

XLIV. Hanc diligentiam subsequitur modus etiam & forma verborum, quod jam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione

<sup>72</sup> Quam lepide lexeis composita, &c.] Sententia est, Lexeis, id est, verba tua, o Albucii, lepida & eleganter composita coagmentataque sunt in oratione, ut in pavimento.

<sup>73</sup> Arte pavimento ] In veteribus quibusdam libris, quos ego vidi, pro arte scriptum est endo, ut sit in arte, quæ scriptura perspicua existat apud Plinium lib. xxxv. cap. 25. Constat autem Lucillum Græcas voces Latinis versibus non semel immiscuisse. Ubi.

<sup>74</sup> Rhetoricorero ] Nomen Græcæ & interjectionis, artis Rhetoricæ proferens.

\* Lucium ] Lamb. Græc. lesem.

propemodum, hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Interpirationis enim, non defatigationis nostræ, neque librariorum notis, sed verborum & sententiarum modo, interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt: idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis, atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus ejus Naucrates) numeris adstringeret. Namque hæc duo, musici, qui erant quondam iidem poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque tantum; ut & verborum numero, & vocum modo, delectatione vincerent aurium satietatem. Hæc igitur duo, vocis dico moderationem, & verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt.

In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione si efficitur conjunctione verborum, vitium est: & tamen eam conjunctionem, sicuti versum, numerosè cadere, & quadrare, & perfici volumus. Neque est ex multis res una, quæ magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguit, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum potest, & id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat: orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur, & adstricto, & soluto. Nam cum vinxit a modis & forma; relaxat <sup>75</sup> & liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur.

## XLV. Quo-

<sup>75</sup> Interpirationis] Scilicet clausulas, quæ vox infra occurrit, & hic subintelligenda est. Interim vix dubito, quin in sequentibus aliquid sint vitii: quid enim voluit Cicero per voces defatigationis nostræ? a quo venient, & c. (ut grammatici dicunt) reperitur? an a vitio? ut quantum sunt notæ defatigationis? proferis nescio. Opinor equidem legendum esse, Interpirationis enim, non defatigationis nostræ, neque librariorum notis, sed verborum & sententiarum modo, interpunctas clausulas, &c. Similiterque proferis huic habemus locum in Orator. c. 68. Oratio, non aut spiritu pronuntiatis, aut interdum li-

brari, sed numero vocata debet insistere: ubi insistere spiritu pronuntiatis idem est ac defatigatione nostræ (id est nostri spiritus) interpunctis: & interdum librari non alia res est, quam nota librariorum. Peactus. a Viæ. Ger. notis, spiritus & voluntas. <sup>76</sup> Modis & forma relaxat] Sic Man. & Lamb. Sensus loci erit: Orator non eandem dimensionem sententiæ, nec eodem pedes semper repetit: sed nonnumquam membris, aut periodis utitur, & alibi alios pedes in principio, & sine sententiæ collocat, &c.

XLV. Quoniam igitur modo tantum <sup>b</sup> munus insistemus, ut arbitremur nos hæc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac hæc etiam soluta variis modis, multorumque generum oratio. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos cum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus & fingimus. Itaque tum graves fumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus: sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus; idque ad omnem rationem, & aurium voluptatem, & animorum motum, mutatur & vertitur.

Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione; ut ea, quæ maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel sæpe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse hujus totius mundi, atque naturæ, rotundum ut cælum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, & inde sensim ascendat in diversam partem; ut luna accessu & recessu suo solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellæ dispari motu cursuque conficiant. Hæc tantam habent vim, ut paulum immutata coherere non possint: tantam pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam cæterarum animantium formam & figuram: nullam partem corporis sine aliqua necessitate afflictam, totamque formam quasi perfectam reperieris arte, non casu.

XLVI. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam? nusquam tamen est ulla pars, nisi venusta. Linquamus naturam, arteque videamus. Quid tam in-

Tom. I. A a a navi-

<sup>b</sup> Lamb. numeris insistemus.

navigio necessarium, quam latera, quam carina, quam pro-  
ra, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali?  
quæ tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum  
salutis, sed etiam voluptatis causa, inventa esse videantur.  
Columnæ, & templa, & porticus sustinent: tamen habent  
non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitoli fastigium il-  
lud, & cæterarum ædium, non venustas, sed necessitas ipsa  
fabricata est. Nam cum esset habita ratio, quemadmodum  
ex utraque recti parte aqua delaberetur; utilitatem templi  
fastigii dignitas consecuta est: ut, etiam si in cælo Capito-  
lium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fa-  
stigio dignitatem habiturum fuisse videatur.

Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilita-  
tem, ac prope necessitatem suavitas quædam, & lepos conse-  
quatur. Clausulas enim, atque interpuncta verborum, animæ  
interclusio, atque angustia spiritus attulerunt. Id inventum  
ita suave, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum  
perpetuare verba nolumus. Id enim auribus nostris gratum est  
inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed  
etiam facile esse posset.

XLVII. Longissima est igitur complexio verborum, quæ  
volvi uno spiritu potest. Sed hic naturæ modus est, artis al-  
lius. Nam cum sint numeri plures, jambum, & trochæum  
frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester:  
qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem, sermonemque  
nostrum: sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, &  
minuti pedes. Quare primum\* ad heroum nos dactyli, &  
anapesti, & spondei pedem invitat: in quo impune progredi  
licet duo duntaxat pedes, aut paulo plus, ne plane in ver-  
sum, aut similitudinem versuum incidamus. Aliæ sunt gemi-  
næ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum  
verborum fati decore cadunt.

Probatum autem ab eodem illo maxime pæon; qui est du-  
plex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequun-  
tur,

\* Ad heroum ] Lamb. Quæ plurimum ad heroum nos pedes, dactylum, & anapestum,  
& spondeum invitat.

tur, ut hæc verba, *desinite, incipite, comprimite*: aut a bre-  
vibus deinceps tribus, extrema producta, atque longa, sicut  
illa sunt, *domuerant, sonipedes*. Atque illi philosopho ordini  
placet a superiore pæone, posteriore finire. Est autem pæon  
hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura,<sup>a</sup>  
quod est acrius iudicium & certius, par fere Cretico, qui est  
ex longa, & brevi, & longa; ut,

*Quid petam prasidii, aut exsequar? quoræ nunc?*

A quo numero exortus est Fannius, *Si, Quirites, minas il-  
lius*. Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa ple-  
rumque syllaba terminari.

XLVIII. Neque vero hæc tam acrem curam diligentiamque  
desiderant, quam est illa poetarum: quos necessitas cogit, &  
ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, ut nihil sit,  
ne spiritu quidem minimo, brevius, aut longius, quam necesse  
est. Liberior est oratio, & plane, ut dicitur, sic & est ve-  
re soluta; non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine vin-  
culis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theo-  
phrasto, qui putat orationem, quæ quidem sit polita atque  
facta quodammodo, non adstrictæ, sed remissius numerosam  
esse oportere. Etenim, sicut ille suspicatur, ex illis modis,  
quibus hic usitatus versus efficitur, post anapestus, procerior  
quidam numerus, effloruit: inde ille licentior & divitior flu-  
xit dithyrambus, cujus membra, & pedes, ut ait idem, sunt  
in omni locupleti oratione diffusa. Et, si numerosum est id  
in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impres-  
siones, & quod metiri possumus intervallis æqualibus: recte  
genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in ora-  
tionis laude ponetur. Nam si rudis & indocta putanda est il-  
la sine intervallis loquacitas perennis & profluens, quid est  
aliud causæ, cur repudietur, nisi quod<sup>b</sup> hominum aures vo-  
cem natura modulatur ipsa? quod fieri, nisi inest numerus  
in voce, non potest.

Numerus autem in continuatione nullus est. Distinctio, &

A a a 2 æqua-

<sup>a</sup> Quod est ] Lamb. quædam est.  
natura, modulatur ipsa.

<sup>b</sup> Hominum aures ] Lamb. hominum vocem

æqualium, & sæpe variorum intervallorum percussio, numerum conficit: quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in anni præcipitante non possumus. Quod si continuatio verborum hæc soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta; membra illa modificata esse debent: quæ si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus. Sic enim hæc orationis conversiones Græci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus; extrema primis; aut, quod etiam est melius & jucundius, longiora.

XLIX. Atque hæc quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt: quod eo sapius testificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam.

Quarum tandem, inquit Catulus? aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? At enim vereor, inquit Crassus, ne hæc aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos ea majora, ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me, aut horum quinquam putas a te hæc opera quotidiana, & pervaga expectare. Ista, quæ dicis, dici volumus: neque tam dici, quam isto dici modo: neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. Ego vero, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello, me invenisse, eloquentem. Sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo diminueretur.

Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem cum exercitatione, tum stylo, qui & alia, & hoc maxime, ornat ac limat, formanda vobis oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur: nec sunt hæc rhythmicorum, ac musicorum acerrima norma dirigenda. Et efficiendum est illud modo vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne infisat interius, ne excurrat longius: ut membris distinguatur, ut conversiones habeat

habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, & quasi conversione verborum; sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est: quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda.

Neque vos præon, aut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi: ipsi, inquam, se offerent, & respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiæ verbis finiantur, eorumque verborum junctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime herois, & præone prioris, aut Cretico; sed varie distincteque confidat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo: & si primi, & postremi illi pedes sunt hæc ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures expectant; aut longior, quam vires atque anima patiantur.

L. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio, atque absolutio judicatur. Nam versus æque prima, & media, & extrema pars attenditur; qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum. In oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique. Quæ, quoniam apparent & intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudicium repudientur, aut aurium satietate. Duo enim, aut tres sunt fere extremi servandi & notandi pedes, (si modo non breviora & præcisa erunt superiora) quos aut chorios, aut heroes, aut alternos esse oportebit, \* aut in præone ille posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari Cretico. Horum vicissitudines efficiant, ut neque ii fatientur, qui audient, fastidio similitudinis; nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur.

Quod si Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros, aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, cum se mente

\* Aut Lamb. aut præonem illum posteriorem, quem Arist. probat, aut ei præonem Creticam.

ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur; quanto id facilius in oratione, exercitatione, & consuetudine adhibita, consequemur?

Illud autem ne quis admiretur, quoniam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet; cum in omni genere, tum in hoc ipso magna quadam est vis incredibilique natura. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant: idque cum faciunt in picturis, & in signis, & in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti; tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum quemquam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine & populo, non modo catervæ atque conventus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes ejiciantur?

LI. Mirabile est, cum plurimum in faciendo interfit doctum & rudem, quam non multum differat in iudicando. Ars enim cum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languescimus, & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur: quorum illa summa vis carminibus est aptior, & cantibus: non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, majoribusque nostris, ut epularum solennium fides ac tibia, Saliarumque versus indicant; maxime autem a Græcia vetere celebrata. Quibus utinam, similibusque de rebus disputari, quam de puerilibus his verborum translationibus, maluissetis!

Verum, ut in versu vulgus, si est peccatum, videt: sic,

si quid in nostra oratione claudicat, sentit. Sed poeta: non ignoscit, nobis concedit: tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, cum circuitum, & quasi orbem verborum conficere non possent, (nam id quidem nuper vel posse, vel audere cepimus) terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba dicebant: qui in illa infantia naturali illud, quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen; ut & illa essent paria, quæ dicerent, & æqualibus interpirationibus uterentur.

LI. Expofui fere, ut potui, quæ maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude verborum; dixi de conjunctione eorum; dixi de numero atque forma. Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiritis, est & plena quadam, sed tamen teres; & tenuis, non sine nervis ac viribus; & ea, quæ particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fūco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est & verbis & sententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palæstra, non solum sibi vitandi, aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur: sic verbis quidem ad aptam compositionem & decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis \* utatur, ut ii, qui in armorum tractatione versantur.

Formantur autem & verba & sententiæ pene innumerabiles: quod satis scio notum esse vobis: sed inter conformationem verborum & sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris; sententiarum permanet, quibuscumque verbis uti velis. Quod quidem vos etsi facitis, tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervertistis: in perpetua autem oratione

\* Utatur ] Quæ vocem hanc sequuntur, Lambinus delet usque ad Formantur.

tionem <sup>77</sup>, cum & conjunctionis lenitatem, & numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda, & frequentanda omnis oratio, sententiarum atque verborum.

LIII. Nam & commoratio una in re permultum movet, & illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub adpectum pane subjectio, quæ & in exponenda re plurimum valet, & ad illustrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: & huic contraria saepe præcisio est: & plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio: & distincte concisa brevitatis, & extenuatio: & huic adjuncta illusio, a præceptis Cæsaris non abhorrens: & ab re non longa digressio, in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus esse debet: propositioque quid sis dicturus: & ab eo, quod est dictum, seunctio: & reditus ad propositum, & iteratio: & rationis apta conclusio: tum augendi, minuendive causa, veritatis superlatio, atque trajectio: & rogatio, atque huic finitima quasi percontatio: expositioque sententiæ suæ: tum illa, quæ maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis dissimulatio, quæ est perjuranda, cum in oratione non contentione, sed sermone tractatur: deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio vel ante, vel postquam dixeris, vel cum aliquid a te ipso rejicias: præmunitio est etiam ad id, quod aggrediare, & rejectio in alium: communicatio, quæ est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio: morum ac vitæ imitatio, vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos vel maxime, saepe autem etiam ad commovendos: personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi: descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulsio, ante occupatio: tum duo illa, quæ maxime movent, similitudo, & exemplum: digestio, interpellatio, contentio, reticentia,

<sup>77</sup> In perpetua autem oratione. ] Hinc locum ac deinde cap. 52. 54. & 55. descriptis Quirillanus, lib. ix. cap. 7. atque ibi <sup>77</sup> <sup>78</sup>, quæ hic acervatim occurrunt, voces illustravit eruditus Capperonnetus.

centia, commendatio: vox quædam libera, atque etiam effrenator, augendi causa: iracundia, objurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio: declinatio brevis a proposito, non ut superior illa digressio: purgatio, conciliatio, lasio, optatio, atque execratio. His fere luminibus illustrant orationem sententiæ.

LIV. Orationis autem ipseus, tanquam armorum, est vel ad usum comminatio, & quasi petitio, vel ad venustatem ipsa tractatio. Nam & geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias: & paulum immutatum verbum, atque deflexum: & ejusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio; & in eadem verba impetus, & concursio, & adjunctio, & progressio: & ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, & revocatio verbi: & illa, quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter, aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quædam, & conversio; & verborum concinna transgressio, & contrarium, & dissolutum, & declinatio, & reprehensio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis casibus ponitur, & quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, & ad propositum subjecta ratio, & item in distributis supposita ratio, & permissio, & rursum alia dubitatio; & improvisum quiddam, & dinumeratio, & alia correctio, & disputatio, & quod continuatum, & interruptum, & imago; & sibi ipsi responsio, & immutatio, & disjunctio, & ordo, & relatio, & digressio, & circumscriptio. Hæc enim sunt fere, atque horum similia, vel plura etiam esse possunt, quæ sententiis orationem, verborumque conformationibus illuminent.

LV. Quæ quidem te, Crasse, video, inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus, & sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quæ supra dixi, nova vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, ut brevior essem, qui ipse jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pane evolere coegit. Sed tamen hujus generis

demonstratio est, & doctrina ipsa, vulgaris: usus autem gravissimus, & in hoc roto dicendi studio difficillimus.

Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis, si non sunt omnes patefacti, at certe commonstrati loci: nunc, quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causa, nec auditori, neque personæ, neque tempori congruere orationis unum genus. Nam & causæ capitæ alium quendam verborum sonum requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud oburgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an iudices: frequentes, an pauci, an singuli: & quales ipsi quoque oratores, qua sint ætate, honore, auctoritate, debet videri: tempus pacis, an belli: festinationis, an otii. Itaque hoc loco nihil sane est, quod præcipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, & tenuioris, & item illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. Ornamentis iisdem uti fere licebit, alias contentius, alias summissius: omnique in re posse, quod deceat, facere, artis & naturæ est: scire, quid, quandoque deceat, prudentiæ.

LVI. Sed hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Affectio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summus sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Æschine dictum videri solet, qui cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perfecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cum suavissima & maxima voce legisset, admirantibus omnibus. Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? Ex quo

fatis

fatis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem, aliam esse putaret, actore mutato.

Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, melius meministi, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miser conferram? quo verum? In Capitoliumne? an fratris sanguinem reddat. An domum? matremne ut miseram, lamentantemque videam, & abjectam? Quæ sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent. Hæc eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt: imitatores autem veritatis histriones occupaverunt.

LVII. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas: sed, ea si fatis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus: verum quia animi permotio, quæ maxime aut declaranda aut imitanda est actione, perturbata sæpe ita est, ut obscuratur, ac pene obruatur, discutienda sunt ea, quæ obscurant, & ea, quæ sunt eminentia & prompta, sumenda. Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum, & sonum, & gestum: totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsa. Nam voces, ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, levis, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritui, intermissio; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, infatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores.

LVIII. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat: acutum, incitatum, crebro incidens;

*Impius hortatur me frater, ut meos malis miser  
Manderem natos:*

& ea, quæ tu dudum, Antoni, protulisti,

*Segregare abs te ausus?* &

B b b 2

Ecquis



*Ecquis hoc animadvertit? Vincite ....*

& Atreus fere totus.

Aliud miseratio, ac moeror: flexibile, plenum, interruptum, flebili voce;

*Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?*

*Domum paternam? ane ad Pelia filias?*

& illa?

*O pater, o patria, o Priami domus!*

& quae sequuntur,

*Haec omnia vidi inflammari,*

*Priami tui vitam evitari.*

Aliud metus: demissum, & haesitans, & abjectum;

*Multis modis sum circumventus, morbo, exilio, atque inopia:*

*Tum parvor sapientiam mihi omnem exanimato expectorati:*

*Atrox terribilem minitatur vitae cruciatum & necem:*

*Quae nemo est tam firmo ingenio, & tanta confidentia,*

*Quin refugiat timido sangueni, atque exalbescat metu.*

Aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis;

*Ierum Thyestes Atreum attractum advenit:*

*Ierum jam aggreditur me, & quierum excuscat.*

*Major mihi moles, majus miscendum est malum,*

*Qui illius acerbum cor contrundam & comprimam.*

Aliud voluptas: effusum, lene, tenerum, hilaratum, ac remissum;

*Sed mihi cum retulit coronam ob collocandas nuptias,*

*Tibi ferebat: cum simulabat sese alteri dare,*

*Tum ad te ludibunda doctae, & delicate detulit.*

Aliud molestia: sine commiseratione grave quiddam, & uno pressu ac sono obductum;

*Qua tempestate Paris Helenam in nuptiis junxit nuptiis,*

*Ego tum gravida, expletis jam fore ad pariendum mensibus:*

*Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.*

LIX. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus; non hic verba exprimens, scienus, sed universam rem & sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, late-

rum

rum inflexione hac forti ac virili, non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius projectum, quasi quoddam resum orationis: suppletio pedis in contentionibus aut incipientibus, aut finientibus.

Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: quo melius nostri illi senes, qui personatum, ne Roscium quidem, magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio: & imago animi vultus est, indices oculi. Nam hac est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes & communicationes possit efficere: neque vero est quisquam, qui, eadem contuens, efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quendam dixit actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo, contuens aliquid, pronuntiaret. Quare oculorum est magna moderatio: nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deseratur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis: quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo & leoni fetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet. Is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguae societate conjunctus est; sententiaeque saepe acurae, non acutorum hominum sensus praeferunt. Actio, quae praese motum animi fert, omnes movet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis & in aliis agnoscunt, & in se ipsi indicant.

LX. Ad actionis autem usum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet: quae primum est optanda nobis; deinde, quaecumque erit, ea tuenda. De quo illud jam nihil

nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci servia-  
tur: equidem magnopere censeo serviendum. Sed illud vide-  
tur ab hujus nostri sermonis officio non abhorre, quod, ut  
dixi paulo ante, plurimis in rebus quod maxime est utile,  
id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem  
in dicendo obtinendam <sup>78</sup> nihil est utilius, quam crebra mu-  
tatio: nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione con-  
tentio.

Quid? ad aures nostras & actionis suavitatem, quid est vi-  
cissitudine, & varietate, & commutatione aptius? Itaque i-  
dem Gracchus <sup>79</sup> (quod potes audire, Catule, ex Licino,  
cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit  
ad manum) cum eburneola solitus est habere fistula, qui sta-  
ret occulte post ipsum, cum concionaretur, peritum homi-  
nem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut re-  
missum excitaret, aut a contentione revocaret. Audivi cum  
hercule, inquit Catulus, & sæpe sum admiratus hominis cum  
diligentiam, tum etiam doctrinam & scientiam. Ego vero,  
inquit Crassus, ac doleo quidem illos viros in eam fraudem  
in republica esse delapsos: quanquam ea tela textitur, & ea  
incitatur in civitate ratio vivendi, ac posteritati ostenditur,  
ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, jam simi-  
les habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Julius,  
sermonem istum, & te ad Gracchi fistulam refer: cujus ego  
nondum plane rationem intelligo.

LXI. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium,  
sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem utile

&

<sup>78</sup> Nam ad vocem obtinendam ] Corruptus  
procul dubio locus est: paulo enim ante di-  
xerat Crassus, se nolle hic præcepta dare,  
quemadmodum voci serviaitur, ill' est, quo  
modo vox obtinetur, siue melior fiat usq. &  
exercitatione. Illud solum hic notat, quan-  
id quod maxime utilis est, etiam decet maxi-  
me. De hoc de voce verum esse probet, di-  
cit nihil crebra mutatione nullius, nihil non  
intermissa contentione perniciosius ad vocem  
dec. quid? certe non obtinendam: de eo ni-  
hil hic dicturus fuit. Tum addit, nihil va-  
rietate auribus nostris suavius aptiusque esse.

Omnes fere vet. editiones & nonnulli Mf.  
habent ad vocem in dicendo obtinendam: un-  
de Lambinus bene conjecit legendum ad vo-  
cem in dicendo tuendam. Sic in initio hujus  
cap. de voce Crassus dicit, quocumque erit,  
ea tuenda: & in sequenti cap. cum doctri-  
nam suam de voce breviter repetit, sic con-  
cludit; Hæc varietas & hic per omnes suus  
voci cursus & se ruebitur, & illam afferet  
suavitatem. Pearceus.

<sup>79</sup> Gracchus ] De C. Gracchi fistula con-  
cionatoria vide Gellium, lib. 1. cap. 13.  
Proffens

& suave est. Nam a principio clamare, agreste quiddam est,  
& illud idem ad firmandum est vocem salutare. Deinde est  
quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius est,  
quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet;  
& tamen ab ipsa contentione revocabit. Est item contra  
quiddam in remissione gravissimum, quoque tanquam sonor-  
um gradibus descenditur. Hæc varietas, & hic per omnes  
sonos vocis cursus, & se tuebitur, & actioni afferet suavita-  
tem. Sed fistulatore domi relinquetis; sensum hujus con-  
suetudinis vobiscum ad forum deferetis.

Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis an-  
gustia coegerunt. Scitum est enim, causam conferre in tem-  
pus, cum asserere plura, si cupias, non queas.

Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego  
possum judicare, ita divinitus, ut non a Gracis didicisse,  
sed eos ipsos hæc docere posse videre. Me quidem istius ser-  
monis participem factum esse gaudeo: ac vellem, ut meus  
ener, sodalis tuus, Hortensius affuisset: quem quidem ego  
confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus  
es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego  
vero esse jam judico, & tum judicavi, cum, me consule <sup>80</sup>,  
in senatu causam defendit Africa; nuperque etiam magis,  
cum pro Bithyniæ rege dixit. Quamobrem recte vides, Ca-  
tule: nihil enim isti adolescenti, neque a natura, neque a  
doctrina deesse sentio. Quo magis est tibi, Cotta, & tibi,  
Sulpici, vigilandum ac laborandum. Non enim ille medio-  
cris orator vestræ quasi succrescit ætati: sed & ingenio pera-  
cri, & studio flagranti, & doctrina eximia, & memoria sin-  
gulari. Cui quanquam faveo, tamen illum ætati suæ præsta-  
re cupio: vobis vero illum tanto minorem <sup>81</sup> præcurrere vix  
honestum est. Sed jam furgamus, inquit, nosque curemus,  
& aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros,  
curamque laxemus.

BRU-

<sup>80</sup> Me consule ] Anno scilicet U. C. DCLVIII. quo primum tempore, ut refert Tul-  
lius in Bruto, in foro dixit Hortensius. Idem.

<sup>81</sup> Tanto minorem ] Cotta & Sulpicius  
annis decem Hortensio majores. Idem.

B R U T U S,  
S I V E D E  
C L A R I S O R A T O R I B U S.  
A R G U M E N T U M.

*Perfecti oratoris quam effingit in libris de Oratore speciem, eam omnes omnium aetatum oratores perconsensendo, si qua possit invenire, querit in hoc de claris Romanis oratoribus libro. Post praefationem, quae de Hortensii morte conqueritur, & ejus sermonis occasionem demonstrat, qui hoc libro commemoratur, inirium fit differendi a Graecis; atque a Solone inde qui in dicendo valuerunt, breviter commemorantur, cap. 7. 13. Deinde producuntur, habita temporum ratione, Romani, a L. Bruto usque ad Ciceronem, atque id magna cum venustate, multis cum jocis, tum citam digressionibus admixtis jucundis, ut sunt de urbanitaris sono, cap. 46. de populo recte de oratore judicante, cap. 49. de Attico dicendi genere, cap. 82. ERNESTUS.*

*Est ea plerisque usitata Interpretibus ratio, ut de quoque homine, quoties ejus nomen occurrerit, toties quaecumque vel alieno habent labore congesta, vel suo, ingerant lectoribus atque inculcent. Illam ego profusam intemperantemque copiam etsi nunquam probavi: tamen, ut facilius est intelligere quid insit in ea re viri, quam persuadere multis, virtuosum id esse quod sibi commodare sentiunt: hoc sublevandi laboris remedium carere hanc editionem nolui, quam esse cupio omnibus instructissimam. Tantum hanc peto veniam, ut ne plus senel necesse mihi sit ejusmodi singulares historias describere. Quin etiam, ut denique sint certi fines, de Graecis non agam, sed tantum de Romanis. Cum ergo in librum de claris Oratoribus, sic quasi in equum Trojanum, uti Sebastianus inquit Corradus, omnes propemodum incluse sint*

per-

*personae Ciceroniane; cumque in singularum comparanda notitia nemo hujus ipsius Corradi diligentiam aut vicerit hactenus, aut aequarit, cum hic adhibebo potissimum; sic tamen ut supplementi quidpiam aliunde si quando fuerit opus, petere non pigeat. Video satis ampla haec fore excerpta historica, nihil ut sparii criticis relinquunt, vel oratoris: neque horum generum ulla, si verum fatemur, hic Brutus admodum desiderat. OLIVETUS.*



I. **U**M e Cilicia decedens Rhodum venissem, & eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem. Nam & amico amisso, cum consuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, & interitu talis auguris dignitatem nostri collegii diminutam dolebam: qua in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus iudicium dignitatis mea fecerat, & inauguratum ab eodem; ex quo, augurum institutis, in parentis eum loco colere debebam. Augebat etiam molestiam, quod magna sapientium civium, bonorumque penuria, vir egregius, conjunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo republicae tempore extinctus, & auctoritatis, & prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, & consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim, si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poetas nobiles poetarum aequalium morte doluisse: quo tandem animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? cum praesertim non modo nunquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adjutus & communicando & monendo, & favendo. Sed, quoniam perpetua quadam felicitate usus ille, cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore; & tum occidit, cum lugere facilius rempublicam posset, si viveret, quam juvare; vixitque tam diu, quam

Tom. I.

C c c

licuit

licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus: illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius quam misericordia profequamur, ut, quotiescumque de clarissimo & beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmetipsos, diligere videamur. Nam, si id dolemus, quod eo jam frui nobis non licet; nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. Sin, tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur; summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur.

II. Etenim si viveret Q. Hortensius, cætera fortasse desideraret una cum reliquis bonis & fortibus civibus: hunc autem & præter cæteros, aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, & Romanis, Græcisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret. Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempublicam, quæ didiceram tractare, quibusque me assuesceram, quæque erant propria cum præstantis in republica viri, tum bene moratæ & bene constitutæ civitatis. Quod si fuit in republica tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium, boni civis auctoritas & oratio; tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est aut errore hominum, aut timore. Ita nobismetipsis accidit, ut, quanquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleamus, quod, quo tempore ætas nostra perfuncta rebus amplissimis tanquam in portum confugere deberet; non inertia, neque desidia, sed otii moderati atque honesti: cumque ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, & quasi senectutem; tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunate beateque vixisse, cum in cæteris civitatibus, tum maxime in nostra, quibus cum auctoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiæ laude perfrui licuit.

euit. Quorum memoria & recordatio in maximis nostris gravissimisque curis jucunda sane fuit, cum in eam nuper ex sermone quoddam incidissemus.

III. Nam cum inambularem in xysto, & essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se conjuncti, tum mihi ita cari, itaque jucundi, ut eorum adpectu omnis, quæ me angebat de republica, cura confederit. Quos postquam salutavi, Quid vos, inquam, Brute & Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam.

Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica esset silentium, & aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, & præsentem me cura levatis, & absenti magna solatia dedistis: nam vestris primum literis recreatus, me ad pristina studia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est & monere te prudenter & consolari amicissime. Resse, inquam, est visus. Nam me istis scito literis, ex diuturna perturbatione totius valetudinis tanquam ad adspiciendam lucem esse revocatum. Atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio, populus se Romanus erexit, posteaque prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt: sic post rerum nostrarum & communium gravissimos casus, nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas.

Tum Brutus, Volui id quidem efficere certe, & capio magnum fructum, si quidem, quod volui, tanta in re consecutus sum. Sed scire cupio, quæ te Attici literæ delectaverint. Ista vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. Salutem? inquit ille. Quodnam tandem genus istuc tam præclarum literarum fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, quo me

hic affatus, quasi jacentem excitavit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam brevitur, &, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi salutis fuisse.

IV. Tum Atticus, Optatissimum mihi quidem est quod dicis: sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse? Ille vero & nova, inquam, mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem: quæ cum studiose tractare cœpissim, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere: quanquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumlatiore, si possis. Ego autem voluntatem tibi profecto emetiar: sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis (ut agricola solent) fructibus est, unde tibi reddam quod accepi: sic omnis fœtus repressus, exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit: nec ex conditis, qui jacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui pæne solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto & derelicto solo; quod ita diligenter colamus, ut impendiss etiam augere possimus largitatem tui muneris: modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui cum multis annos quievit, uberiores esse fruges solet.

Tum ille, Ego vero & expectabo ea, quæ polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo; & erunt mihi pergrata, si solveris. Mihi quoque, inquit Brutus, & expectanda sunt ea, quæ Attico polliceris, etsi fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodo exacturum negat.

V. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi reponit tere istud quidem ausus sim. Nam hunc, qui negat, video flagita-

gitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen & acrem fore. Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim jam te ausurus esse appellare: quoniam longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem. Itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est; quod huic debes, ego a te peto.

Quidnam id? inquam. Ur scribas, inquit, aliquid. Jam pridem enim conticuerunt tuæ literæ. Nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmetipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsus atque incensus sumus. Sed illa cum poteris; atque ut possis rogo.

Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quærimus. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse cœpissent, qui etiam, & quales fuissent. Quem ego sermonem cum ad Brutum tuum, vel nostrum potius, detulissim, magnopere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede illa, quæ cœperas, & Bruto, & mihi.

Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis. Poteris, inquit: relaxa modo paulum animum, aut sane, (si potes) libera. Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta, causam Dejotari, fidelissimi atque optimi regis, ornatissime & copiosissime a Bruto me audisse defensionem.

VI. Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem, teque Bruti dolentem vicem, quasi deservisse judiciorum vastitatem, & fori. Feci, inquam, istuc quidem, & sæpe facio. Nam mihi, Brute, in te intuiti crebro in mentem venit vereri, equodnam curriculum aliquando sit habitura tua & natura admirabilis, & exquisita doctrina, & singularis industria. Cum enim in maximis causis versatus esses, &, cum tibi ætas nostra jam cederet, fœcesque summitteret, subito in civitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obtinuit.

Tum

Tum ille, Cæterarum rerum causa, inquit, istuc & doleo, & dolendum puto: dicendi autem me non tam fructus, & gloria, quam studium ipsum, exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te præsertim tam studioso. Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiæ veram dat operam, dat prudentiæ, qua ne maximis quidem in bellis æquo animo carere quisquam potest.

Præclare, inquam, Brute, dicis, eoque magis ista dicendi laude delector, quod cætera, quæ sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet: eloquentem neminem video factum esse victoriam. Sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus. Cum idem placuisset illis, tum in prætulo propter Platonis statuam consedimus.

Hic ego, Laudare igitur eloquentiam, & quanta vis sit ejus, expromere, quantamque iis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, si illa arte pariatur aliqua, si exercitatio quadam, si natura; rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum quantam vim, quantamque difficultatem habeat, existimari potest.

VII. Testis est Græcia, quæ cum eloquentiæ studio sit incensa, jamdiuque excellat in ea, præstetque cæteris, tamen omnes artes vetustiores habet, & multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam hæc est a Græcis elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, & quasi lucent Athenæ tuæ: quia in urbe primum se orator extulit, primumque etiam monumentis & literis oratio est coepta mandari. Tamen ante Periclem, cujus scripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed jam adultis fuerunt, litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris esse videatur. Quamquam opinio est & cum, qui multis annis ante

hos

hos fuerit, Pisistratum, & paulo seniore etiam Solonem, posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. Post hanc ætatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit; quem constat cum prudentia, tum etiam eloquentia præstitisse: post Pericles, qui cum floreret omni genere virtutis, hæc tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis, turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. Huic ætati suppare Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus vigerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, & ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

VIII. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata, & facta quodam modo oratio; tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt: tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippas Eleus in honore magno fuit; alique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi resellere eorum instituta solebat verbis. Hujus ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri: primumque tum philosophia, non illa de natura, quæ fuerat antiquior, sed hæc, in qua de bonis rebus & malis, deque hominum vita & moribus disputatur, inventa dicitur. Quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus rejiciamus: ad oratores, a quibus digressi sumus, revertamur.

Exstitit igitur jam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cujus domus cunctæ Græciæ, quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, & perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes a huiusmodi gloria, quam nemo quidem meo iudicio est postea consecutus. Is & ipse scriptis multa præclare, & docuit.

<sup>a</sup> Solentur ] Vis. solentur vir is, ejus. <sup>b</sup> Est postea Græci est postea.

cuit alios: & cum cætera melius, quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum verbum effugeres, modum tamen & numerum quandam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura, & quedam ad numerum conclusio, nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam; quæ forsitan laus sit: verumtamen natura magis tum, casuque nonnunquam, quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit, concluditque sententiam: quæ cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam & aures ipsæ quid plenum, quid inane sit, judicant, & spiritus, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio terminatur: in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

IX. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans: quem jam prope audcas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum, & cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.

Huic Hyperides proximus, & Æschines fuit, & Lycurgus, & Dinarchus, & is, cujus nulla exstant scripta, Demades, alique plures. Hæc enim ætas effudit hanc copiam; & ut opinio mea fert, succus ille & sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fictus nitor.

Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat. Proccleserat enim in solem & pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis,

\* Magis tum ] V. M. Man. magis, tum casu nonnunquam.

minis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramque reddidit: & suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos; non qua perfringeret: & tantum ut memoriam concinnitatis suæ, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.

X. Videtne igitur, ut in ea ipsa urbe, in qua & nata & alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? siquidem ante Solonis ætatem, & Pisistrati, de nullo, ut diserto, memoria proditum est. At hi quidem, ut populi Romani ætas est, lenes: ut Atheniensium secula numerantur, adolescentescens debent videri. Nam etsi Servio Tullio regnante vixerunt, tamen multo diutius Athenæ jam erant, quam est Roma ad hodiernum diem: nec tamen dubito, quin haberit vim magnam semper oratio. Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus, & Nestori, (quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem) nisi jam tum esset honos eloquentiæ; neque ipse poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuisset: cujus etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedæmoniorum adstricta legibus.

Sed studium ejus generis majorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est; ut apud nos, perantiquus; ut apud Athenienses, non ita sane vetus. Fuit enim regnante jam Græcia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata. Nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum, fuit, similisque fortuna clarorum virorum: siquidem uterque, cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus injuria, se ad hostes contulit, conatumque iracundiæ suæ morte sedavit. Nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar.

XI. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu: quoniam  
Tom. I. D d d qui-

quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius. Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam, quem Thucydides, qui & Atheniensis erat, & summo loco natus, summusque vir, & paulo ætate posterior, tantum mortuum scripsit, & in Attica clam humatum; addidit, fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem: hunc isti ajunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, & eo potu, mortuum concidisse. Hanc enim mortem rhetorice, & tragice ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam præbebat materiem ad ornatum. Quare, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuisse in Themistocle paria & Coriolano, pateram quoque a me sumas licet: præbebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles.

Sit sane, inquam, ut lubet, de isto: & ego cautius posthac historiam attingam, te audiente: quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Sed tum fere Pericles, Xantippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quæ quanquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque facile traduxerat. Hujus suavitate maxime hilarata sunt Athenæ, hujus ubertatem & copiam admiratæ, ejusdem vim dicendi terroremque timuerunt.

XII. Hæc igitur ætas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rempublicam, nec in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis, nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otiique socia, & jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quadam, eloquentia. Itaque ait Aristoteles, cum, sublati in Sicilia tyrannis, res privata longo intervallo judiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens & controversa natura, artem & præcepta Siculos, Coracem & Tisiam, conscripsisse. Nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, & de scripto plerisque dicere: scriptaque fuisse, & paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, qua

quæ nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes, vituperationesque conscripserit: quod judicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Huic Antiphonem Rhamnusium familia quadam habuisse conscripta, quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. Nam Lyfiam primo profiteri solitum artem esse dicendi: deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem se junior, orationes eum scribere aliis cœpisse, artem removisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in judiciis uterentur: sed, cum ex eo (quia quasi committeret contra legem, quo quis judicio circumveniretur) sæpe ipse in judicium vocaretur; orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transfulisse.

XIII. Et Græciæ quidem oratorum partus, atque fontes vides, ad nostrorum annalium rationem, veteres; ad ipsorum, sane recentes. Nam antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa jam memorabilia & in domesticis & in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem, laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.

At vero extra Græciam magna dicendi studia fuerunt; maximeque huic laudi habiti honores, illustre oratorum nomen reddiderunt. Nam ut semel e Piræo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui pæne dedi-





co, disertio homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit; quod fuerit permagnam, nondum lege Maenia lata.

Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari, qui cum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum lana faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nunciata, ut erat lana amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate, tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum illum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor: tantummodo conjectura ducor ad suspicandum.

Dicitur etiam G. Flaminius<sup>11</sup>, is, qui tribunus plebis legem de agro Gallico & Piceno viritum dividendo tulit, qui consul apud Thrasimenum sit interfectus, ad populum valuisse dicendo. Q. etiam Maximus<sup>12</sup> Verrucosus, orator habitus est temporibus illis; & Q. Metellus<sup>13</sup>, is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.

## XV.

<sup>9</sup> *Legis Maenia* ] Lata a Maenio tribuno plebis, anno Urbis 467, ut patres ante iuncta a populo suffragia, fierent auctores ejus rei, quam populus iustitiam esse, neque adeo reprehendere comitia, hoc est, irrita facere possent. Vide Gronovium, Observ. L. 25, qui locum hunc Cicero's egregie illustrat. Erasmus.

<sup>10</sup> *M. Popilii* ] Qui quater consul fuit, & in primo quidem & secundo consulatu Tiburtes vicit; in tertio vero cum Gallis bellum gessit, in quo etiam vulnus accepit, sed eos tandem cum vicisset, triumphavit; in quarto, cum foris pax & domi concordia esset, nihil, quod magni fuerit momenti, gessit. Popilii autem erant plebei, ut Livius ostendit, vel de hoc M. Popilio ista verba scribens: *M. Popilius Lanius plebeus consul, & patribus L. Cornelius Scipio datus. Et Paternulus P. Lentem tribunum plebis vocat. Covadour.*

<sup>11</sup> *G. Flaminius* ] C. Quintus Flaminius. Fuit enim ex Quintis, quos scribit Livius a Tulio rege in patres lectos, cum inter Albanorum principes essent, unde postea semper ex gens patricia fuit; in qua, quod

refert Plinius, auram ne feminas quidem habere mos fuit, tantum aberat, ut viri haberent. Quinta gens, inquam, fuit patricia: sed cum Flaminius hic dicatur tribunus plebis, apparet vel eum duplicem, patriciam & plebejam, vel eum ex alia gente potius fuisse. *Lidus.*

<sup>12</sup> *Q. etiam Maximus* ] Q. Fabius Maximus Verrucosus, Otilia, Cunctator. Fabius patricios fuisse cum veterum monumenta pene omnia, tum Livius lib. 11. saepe testatur. *Verrucosus* autem dictus est a verruca in labris, ut ait auctor libelli de Viris Illust. A Plutarcho vero scribitur *Βερρυκός*, quod in superiore labro carunculam habet. *Quintus* dictus est a clementia, ut inquit idem auctor de Viris Illust. & Plutarcho. *Consulatus* autem, quod, ut inquit Ennius, *ante homo nobis cunctando restituit. Idem.*

<sup>13</sup> *Q. Metellus* ] Quintus Caecilius Metellus; Caecilius enim Praeneste condidit, unde putant Caecilios ortos, quorum eras nobilis apud Romanos familia. Alii aliter sentiunt. Hic autem Q. Caecilius Metellus dicitur cum G. Servilio, legatus cum L. Veturio M. Livio.

XV. Quem vero exstet, & de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus: cujus eloquentiae est auctor, & idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius, praesertim cum & ipse eum audiverit, & scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est, amicitiae causa esse mentium. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) annali:

*Additur orator Cornelius suaviloquenti  
Ore Cerbegus Marcus, Tuditano collega,  
Marci filius....*

Et oratorem appellat, & suaviloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam est in plerisque. Latrant enim jam quidam oratores, non loquuntur. Sed est ea laus eloquentiae certe maxima.

*Is dictus ollis popularibus olim,  
Qui cum vivebant homines, atque aevum agitabant,  
Flos delibatus populi.*

Probe vero. Ut enim hominis decus, ingenium; sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclearum tum illi homines florem populi esse dixerunt;

*Suaeque medulla.*

Plebeo quam vocant Graeci, cujus effector est orator, hanc *Suadam* appellavit Ennius. Ejus autem Cethegum<sup>14</sup> medullam fuisse vult, ut, quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis festivasse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL. ante me consulens: & id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse

vii & C. Claudii consulam, magister equitum ejusdem M. Livii Dictatoris: consul cum eodem L. Veturio, dictator comitiorum causa, ac tandem decemvir apud Livium cognoscitur. Plura invenire non possumus, quamvis etiam diligenter quaesiverimus. Ita, quae ne scire quidem possumus, quare orator sit habitus. *Lidus.*

<sup>14</sup> *Cethegum* ] Is est M. Cornelius Cethegus, qui censor ante consulatum fuit, dein-

de consul Etruriam provinciam sortitus est; postremo praefectus in Gallia cum Magone collatis signis feliciter pugnavit: quae quidem omnia tu apud Liv. xxvii. xxxix. & xxxi. invenies. Horatius poeta Cethegos *diadumae* appellat, quod is mos est Cethegis, ut cincti & pene nudi in bellum proficere-ntur; unde Lucanus & Silius eos nudos & exteros vocarunt. *Lidus.*

fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem ætatis qui sermo fuerit, ex Nævianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Nævius est mortuus: quanquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Nævii producitur longius. Nam <sup>a</sup> Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, <sup>b</sup> consules mortuus est, Cætone <sup>c</sup> cenfore. Hunc igitur Cethegum consecutus est etate Cato, qui annis ix. post eum fuit consul. Eum nos ut veterem habemus, qui L. Marcio, M. Manilio consulibus mortuus est, annis <sup>d</sup> LXXXIII. ip[s]is ante me consulem.

XVI. Nec vero habeo quenquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Cæci oratio hæc ipsa de Pyrrho, & nonnulla mortuorum laudationes forte delectant. Et hercules hæc quidem exstant. Ipsæ enim familiæ suæ quasi ornamenta, ac monumenta servabant, & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam, quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quæ facta non sunt; falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & a plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus: ut, si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul, anno xi. post exactos reges, fuit.

Catonis autem orationes non minus multæ fere sunt, quam Attici Lyfiæ: cujus arbitrator plurimas esse. Est enim Atticus, quoniam certe Athenis est & natus & mortuus, & sanctus omni civium munere: quanquam Timæus eum, quasi Licinia & Mucia lege, repetit Syracusas: & quodammodo est nonnulla

<sup>a</sup> Plautus ] Lamb. Plautus P. Claudio, L. Porcio Coss. quatuor annis post Nævii mortuum, viginti post illos, quos ante dixi, consules.

<sup>b</sup> Consules ] Man. Consulibus.

<sup>c</sup> Cætone ] Marcus Porcius Cato, de quo Plinius, lib. vii. cap. 27. Primum, inquit, Porcia gentis, res summas in homine res præstitisse existimatus, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator. Quartam

addit Valerius Max. viii. 7. ut esset juris civilis quoque peritissimus. Vide Livium, lib. xxxix, cap. 40, ubi multa de illius indole, atque inter cætera: hunc vestisse cægenium se pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceret, quodcumque ageret. Anonymus.

<sup>d</sup> LXXXIII. Man. LXXXVI.

la in iis etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves. Sed ille Græcus ab omni laude felicior. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consecutentur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. Quanquam in Lyfiæ sunt sæpe etiam lacerti, sic ut eo fieri nihil possit valentius: verum certe genere toto frigidior: sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa ejus subtilitate admodum gaudeant.

XVII. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum? dii boni! mitto civem, aut senatorem, aut imperatorem: oratorem enim hoc loco querimus. Quis illo gravior in laudando? acerbius in vituperando? in sententiis argutior? in docendo, edisserendoque subtilior? Refertæ sunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim & legerim) & verbis, & rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quæ notatione & laude digna sint; omnes oratoriarum virtutes in eis reperientur. Jam vero Origines ejus quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Amatores huic defunt, sicuti multis jam ante seculis & Philisto Syracusio, & ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione, atque altitudine orationis suæ: quod idem Lyfiæ Demosthenes: sic Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorum quasi exaggerata alius oratio. Sed in nostris inciticia est, quod ii ipsi, qui in Græcis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non noverunt quidem. Hyperida volunt esse & Lyfiæ. Laudo. Sed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem: atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem! Gratum est tamen, quod volunt. Cur igitur Lyfiæ & Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior est hujus sermo, & quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta: quod tum ille non potuit: & adde

Tom. I.

E e e

nume

\* Noverunt ] Man. noverunt. Quid enim? Hyperida

numeros; & aprior sit oratio: ipsa verba compone, & quasi coagmenta; quod ne Græci quidem veteres facilitaverunt: jam neminem antepones Catoni. Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τροπῆς*, & sententiarum orationisque formis, quæ vocant *σχηματῶν*. Non verisimile est, quam sit in utroque genere & creber & distinctus Caro.

XVIII. Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, & querendum esse aliquid perfectius: quippe cum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed majore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi, versatur antiquitas. Quis enim eorum, qui hæc minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta; jam tamen quæ non dubites pulchra dicere. Pulchriora etiam Polyceleti, & jam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est, in qua Zeuxim, & Polygotum, & Timantem, & eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas & lineamenta laudamus. At in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia: & nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat. Nihil est enim simul & inventum, & perfectum.

Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetæ: quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum, & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

*Quos olim Fauni, vatesque canebant,  
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,  
Nec dicti studiosus erat: ....  
Ante hunc ....*

ait ipse de se: nec mentitur in gloriando. Sic enim sese res habet. Nam & Odysea Latina est, sic, tanquam opus ali- quod Dædali, & Livianæ fabulæ, non satis dignæ quæ ite- rum

rum legantur. Atque hic Livius, qui primus fabulam, C. Clodio Cæci filio & M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo & quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur: est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Accius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium annis xxx, postquam eum fabulam docuisse & Articus scribit, & nos in antiquis commentariis invenimus. Docuisse autem fabulam annis post xi. C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, ludis Juventatis, quos Sallinator Senensi prælio voverat. In quo tantus error Accii fuit, ut, his consulibus, xl. annos natus Ennius fuerit: cui \* si æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, & Plautus, & Nævius.

XIX. Hæc si minus apta videntur huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammavit studio illustrium hominum ætates & tempora persequendi. Ego vero, inquit Brutus, & delector ista quasi notatione temporum, & ad id, quod instituisti, oratorum genera distinguere ætatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto.

Recte, inquam, Brute, intelligis. Atque utinam exstarent illa carmina, quæ multis seculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius \*\*, quem in vatibus & Faunis enumerat Ennius, bellum Punicum, quasi Myronis opus, delectat. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior: qui si illum, ut simulat, contemneret, non, omnia bella persequens, primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat: *Scripsere*, inquit, *alii rem versibus*: & luculente quidem scripserunt, etiam si minus, quam tu, polite. Nec vero tibi aliter videri debet; qui a Nævio vel lumpsisti multa, si fateris: vel, si negas, furtivisti.

E e e 2

Cum

\* Si æqualis ] V. B. Lamb. Græc. cum æqualis.  
16 Illius ] Nævius.

Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro <sup>17</sup>, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus <sup>18</sup>, P. Crassus <sup>19</sup>, qui cum superiore Africano consul fuit. Ipsum Scipionem <sup>20</sup> accepimus non infantem fuisse. Filius quidem ejus <sup>21</sup>, is, qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculæ, tum historia quædam Græca, scripta dulcissime.

XX. Numeroque eodem fuit Sex. Ælius <sup>22</sup>, juris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem, C. Sulpicius Gallus <sup>23</sup>, qui maxime omnium

<sup>17</sup> C. Varro ] C. Terentius Varro, qui ut ait Livius, loco non humilium solum, sed etiam fœdibus ortus est. Patrem lanium fuisse ferunt, infumque inlustrore mercis, filioque hoc ipso in servili ejus artis ministerio utitur. Is juvenis, ubi ex eo genere quæritus pecunia a patre relicta, animum ad spem liberatoris fortunæ adjecit, consul cum L. Emilio Paulo factus, apud Cannas culpa sua vires P. Romani, ut ait Val. Max. exhaustas. Corrad.

<sup>18</sup> P. Lentulus ] P. Cornelius Lentulus Caudinus, qui cum C. Licinio Varrone anno ab U. C. DXVII. consul fuit. Nullus enim prætor cum fuit his temporibus, qui consul, major natu Catone, fuerit, & P. Lentulus sit dictus. Duos quidem P. Lentulos apud Livium, post prætores agnoscimus. An vero Cicero hic inter tot consules prætorum nominari, dubitari ut possit, ita verisimile non videtur. Idem.

<sup>19</sup> P. Crassus ] P. Licinius Crassus, Divites pontifex maximus: qui cum ante nec prætor nec consul fuisset, magister tamen equitum & censor est factus. Ex ædilitate eum gradum ad censuram fecit, sed cum L. Veturius collega decessisset, censura se abdicavit: cui postea præconi factio provinciam peregrina evenit, & que senatus censuisset, ut ait Livius. Hunc Cicero in Catone pontifici & civilis juris fuisse peritissimum ostendit. Quin vero Divites hic etiam fit appellatus, qui veterum monumenta viderit, dubitare non poterit. Idem.

<sup>20</sup> Scipionem ] P. Cornelium Scipionem, qui Africanus primus est appellatus, cujus res gestas & totam denique vitam, præter alios Livius & Plutarchus scripserunt, si

modo Plutarchus unquam scripsit eam, qui circumferunt. Idem.

<sup>21</sup> Filius quidem ejus ] Qui Cn. Scipio a Val. Maximo vocatur, & inter eos etiam numeratur, qui a parentibus degenerarunt; atque in eo positivum accusatur, quod in tanta domestica gloria ornus, a parvulo admodum regis Antiochi præbilo capi sustulit. Ex captum quidem Livius, Justinus, Plutarchus, & alii consentiunt; de causa differunt. Idem.

<sup>22</sup> Sex. Ælius ] Pater, Catus, nam gentis cognomine Pæzus a Livio, & suo Cato ab Ænio illo carnine fuit appellatus. Egrege cordatus homo, Cato Ælius Scato: quod apud Ciceronem Tusc. I. & lib. 1. de Oratore invenies. Hic consul cum T. Quintio Flamino Galliam provinciam sortitus est, sed nihil memorabilis rei gessit, ut Livius loquitur. Censuram vero cum C. Cornelio Cethego prædiare administravit, quod Livius lib. xxxiv. refert. Ælii plebei fuerunt: quod cum multa ostendunt, tum P. Ælius, qui fuit ædilis plebis, & Q. Ælius Tubero, qui fuit tribunus plebis. Scriptores eos laudant, quod nobiles, & pauperes fuerint. Idem.

<sup>23</sup> C. Sulpicius Gallus ] Hunc & L. E. milianum Pontium patronos populi uterisque Hispanie olim junxerunt, ut Liv. lib. xlii. scribit, qui testatur, illum etiam non ita multo post prætorem factum fuisse. Multa de eo passim apud auctores reperiantur. Hunc Sulpicium Gallum affirmo significari lib. 14. Famil. ubi scribitur: *Vester Gallus*. Scribit enim ad Sex. Sulpicium, qui fuit ex eadem gente Sulpicia, quæ duplex videtur fuisse. Idem.

omnium nobilium Græcis literis studuit, isque & oratorum in numero est habitus, & fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. Jam enim erat unctior quædam, splendidioreque consuetudo loquendi. Nam, hoc prætor ludos Apollini <sup>24</sup> faciente, cum Thyestem fabulam docuisset, Q. Marcio, Cn. Servilio consulibus, mortem obiit Ennius.

Erat isdem temporibus Tib. Gracchus <sup>25</sup>, P. filius, qui bis consul & censor fuit, cujus est oratio Græca apud Rhodios: quem civem cum gravem, tum etiam eloquentem <sup>26</sup> constat fuisse. P. etiam Scipionem Nasicam <sup>27</sup>, qui est *Corsulum* appellatus, qui item bis consul & censor fuit, habitum eloquentem ajunt, illius, qui sacra acceperit <sup>28</sup>, filium. Di-

cunt

<sup>24</sup> Ludos Apollini ] Hæc sunt verba ex carminibus Marci vatis a Livio lib. xxx. relata. *Apollini convenas cæsus ludos, qui quædamis comiter Apollini fuit: cum populus delectis ex publico partem: privati uti consuerant pro se suisque. Is ludis sacralis prætoris prætoris, qui sui populo plebisque dabis summum.* Q. igitur Fulvio Flacco & App. Claudio Pontico consulibus, id est anno ab U. C. DXLII. ludii Apollinæ a P. Cornelio Sylla prætoris urbis primum facti sunt: inde omnes deinceps prætores urbani fecerunt, sed in unum annum volebant, quoque incerto faciebant. Consulibus vero M. Claudio Marcello, & T. Quintio Crispino, id est anno ab U. C. DXLVI. P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum iustus est, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus ita voverit, scitque ante diem ter. Non Quint. Is dies deinde solennis servatus est. Idem.

<sup>25</sup> Tib. Gracchus ] Hic est Tib. Sempronius Gracchus, qui magnam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni fuit auxilio, inimicissimus & ipsius & fratris ejus Africani. Idem.

<sup>26</sup> Eloquentem ] Lib. 1. de Orat. inquit: *Hædiquænam eloquent: hic tamen eloquentem vocat, ut rem suam aper, id est, ut, quos hic enumerat, ostendat eloquentes fuisse: ut Catonem hic summum facit oratorem, quem tamen alibi in eloquentia non tantopere commendat. Accedit, quod in libris Oratoris oratorem perfectiorem quaerebat, hic quemlibet oratorem nominat. Atque hic quidem Gracchum Nasicam, in Lælio vero Naticam Græcho præponit: sed ibi Ci-*

tero vel generis nobilitatem, vel ætatem ætates secutus videri potest. Natica enim patricius, Gracchus vero plebeius fuit, & Natica Corneliam majorem, Gracchus vero minorem duxit, ut Liv. lib. xxxix. est auctor. Hoc vero loco Cicero, ubi ætates oratorum, & tempora, ut supra dixit, persequitur, eo ponit ordine, quo consules fuerunt: unde cognosci etiam potest Naticam Græcho minorem natu fuisse, qui non secundum Græci consulum consilii ipse primum fuerit. Idem.

<sup>27</sup> P. Scipionem Nasicam ] P. Cornelius Scipio Natica, cognomine *Corsulum* ob egregiam humanitatem, bis consul, primum anno Urbis DXCII. deinde anno DXCIX. quo tempore de Dalmanis triumphavit. Præterea censura functus est anno DCCV. Fuit etiam hic Natica Pontifex Maximus, quod lib. omittit Cicero, sed in Catone testatur, & lib. 115. de Oratore, Corradus.

<sup>28</sup> Sacra acceperit ] Eandem rem tangit in Orat. de Arusp. resp. & Liv. lib. xxxix. pluribus verbis describit, & quidem P. Sempronio, M. Cornelio consulibus, hoc est anno ab U. C. DL. ex quo tempore ad consulatum P. Scipionis Naticæ, qui Junerthæ bellum indixit, anni minimum xxix. numerantur. Unde facile apparet error. Val. Maximi, qui lib. xxi. c. 5. Naticam eundem fuisse credit, qui sacra acceperit, & bellum Jugurthæ indixit, & repulsam passus est, quod in manum rusticæ jocatus esset: quem tamen errorem ne Plinius quidem, diligens scriptor, vitavit, Val. Max. fortasse imitatus. Unus Paternulus recte distinxit. Idem.

cunt etiam L. Lentulum <sup>29</sup>, qui cum C. Figulo consul fuit: Q. Nobiliorem <sup>30</sup>, M. filium, jam patrio instituto deditum studio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniæ deduxisset: & T. Annium Lusum <sup>31</sup>, hujus Q. Fulvii collegam, non indifertum dicunt fuisse.

Atque etiam L. Paulus <sup>32</sup> Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur; & vero etiam tum Catone vivo, qui annos quinque & octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset; quam etiam orationem scriptam reliquit.

XXI. Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam & A. Albinus <sup>33</sup>, is, qui Græce scripsit historiam <sup>34</sup>, qui consul cum L. Lucullo fuit, & literatus & disertus fuit: & tenuit cum hoc locum quandam etiam Ser. Fulvius <sup>35</sup>, & una Ser. Fabius Pictor <sup>36</sup>, & juris, &

<sup>29</sup> L. Lentulum ] L. Cornelium Lentulum Lepum; Cn. F. L. N. ut in vestribus Conf. scriptum vidimus. Is mihi videtur esse, qui M. Catoni, ut Cicero Tusc. III. refert, de bello Punico est adversarius: de quo quidem præterea nihil dicere possumus: nisi, quod omnes sciunt, Lentulos a serenis lentibus appellatos fuisse. Idem.

<sup>30</sup> Q. Nobiliorem ] Q. Fulvium Nobiliorem, qui cum T. Anno consul fuit, anno ab U. C. DCI. qui bellum in Hispania non satis feliciter gessit, quod Appianus in lib. de Reb. Hisp. scribit. Idem.

<sup>31</sup> T. Annium Lusum ] Ita Livius lib. XLII. vocat, cum inter legatos, qui in Macedoniam ad rex repetendas missi sunt, numerat, & quidem annis duodeviginti ante consulatum. Videtur igitur, qui in consuli- bus T. Annianus Fufium scribunt, an recte faciant: Antiorum gentem plebejam fuisse cognoscimus ex eo potissimum, quod T. Annius Milo apud Ciceronem, & L. Annius apud Sallustium, tribuni plebis leguntur. Idem.

<sup>32</sup> L. Paulus ] L. Semilius Paulus, cujus res gestæ notiores sunt, quam ut sit necesse nunc quidquam de illis dicere, præsertim cum Livius, Plutarchus, Florus, & alii res illas diligentissime sint persecuti. Quare illud tantum, quod hodie quoque Romæ in tabula

area legitur, huc transferemus: *Paulus Semilius sup. Macedoniam terrarum imperio possidet apud, cuius uno die LXXII. urbes occupavit, etiam India. viator per vestigia Liberi patris atque Herculis, Romana signa circumtulit.* Idem.

<sup>33</sup> Albinus ] A. Posthumus Albinus, qui P. Scipione & M. Marcello conf. prætor fuit, ut legitur apud Ciceronem in Lucullo. Posthumii vero patricii fuerunt, cum a principibus multi ex his consules fuerint. Idem.

<sup>34</sup> Græce scripsit historiam ] In cujus principio veniam petiit, si Romanus homo minus eleganter Græce scripsisset: quam cum legisset M. Cato, Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, qui maluiisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Hoc apud Gellium lib. xi. c. 8. & Macrobi. lib. I. Saturn. leges. Idem.

<sup>35</sup> Fulvius ] Ser. Fulvius Flaccus. Is enim mihi videtur esse, qui cum Calpurnio Pisone an. DCIX. consul fuit, & de Vindex triumphasse dicitur. Is etiam fortasse fuit, quem C. Curio descendit: qua de re tempore Ciceronis exibat oratio, ut infra dicitur. Idem.

<sup>36</sup> Fabius Pictor ] Qui fuerit, ne Corradus quidem Buzii explanator exposuit. Quamobrem, & de hoc quod sentimus, aperiamus.

& literarum, & antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labco <sup>37</sup> fuit ornatus iisdem fere laudibus. Nam Q. Metellus <sup>38</sup>, is, cujus quatuor filii consulares fuerunt <sup>39</sup>, in primis est habitus eloquens: qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano: cujus & aliæ sunt orationes, & contra Tib. Gracchum exposita est in C. Fannii annalibus.

Tum ipse L. Cotta <sup>40</sup> veterator <sup>41</sup> habitus, sed C. La-

lius. Fuerunt igitur tres Pictores, qui literarum, & quidem, antiquitatis cognitione floerunt, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, & Ser. Fabius Pictor. Q. Fabius omnium antiquissimus bello Gallico Cisalpinio, ut ait Orolius, & post Punico bello, ut inquit Livius, interfuit. Ex ejus Annalibus Larimus Gellius, lib. v. cap. 2. testimonium profert. Idcirco autem Larimus, addidi, ut eos redarguerem, qui hunc Q. Fabium Græce scripsisse existimant. in quo alterius Fabii Pictoris, prænomine Numerii, similitudine, in credo, decepti sunt: cujus meminit Cicero, in lib. 1. de Divinat. cap. 21. Serv. autem Fabius Pictor, quem juris, & antiquitatis bene peritus vocat Cicero, is est, cujus meminit Macrobius lib. 111. Primo, inquit, pontifici juris libro apud Pictorem hoc quibus postum est, Pictor. Et Nonius: *Fabius Pictor rerum gestarum libro primo..... Idem juris pontifici libro tertio.....* Quibus in verbis illud esse peccati puto, quod postis pro pontifici scriptum sit. Quare cum dixit Cicero, cum antiquitatis bene peritus esse, libros ejus rerum gestarum intellexit; cum juris, de jure pontificio. Signorini, in *Frug.*

<sup>37</sup> Q. Fabius Labco ] Dabitus, an is sit, quem Cicero lib. 1. de Officiis, & Val. Maximus scribunt; a senatu Nolanis, & Neapolitanis arbitrium de finibus datum, ita terminasse, ut multum agræ, quod in medio esset restitum, populo Romano adjudicaret. Cæteras res ejus desideramus: nisi forte Cicero regredire ad eum, qui consul cum M. Claudio Marcello, an. DLXXI. fuit: quem Donatus etiam poetam vocat. Idem.

<sup>38</sup> Q. Metellus ] Qui Andricum, Pseudo-phippium vocatum, vicit, Macedoniam domuit, Achaos prælio fudit, & de Andrico, sive Macedonia triumphavit, ut ostendit Cicero in Orat. in Pisone; atque hæc quidem omnia fecit, cum prætor esset, ut Livius, Paterculius, & auctor Libelli de Viris

Illustr. scribunt. Unde cognoscitur error Flori, & aliorum, qui credunt Metellum tunc consulem fuisse, cum Macedoniam domuit, a qua Macedonicus est appellatus. Quod si nullus scriptor nominatim dicat, eum tunc prætorem fuisse, ex ordine tamen historiae & temporum id ipsum cognoscimus. Livii ætate exstabat oratio Metelli, quam Cæsar Augustus, cum de marianis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in senatu recitavit, ut testatur etiam Sætonius in Augusto; quo tamen loco interpretes putant orationem Metelli Numidici, non Macedonici significari, Gellium fecuti, qui lib. 1. c. 6. multa, tanquam ex oratione Metelli Numidici, recitat. Sed vel Gellius erravit, vel male descripsit est liber, & oratio Metelli Macedonici legi debet: vel dicendum Metellum quoque Numidicum ea de re orationem scriptam reliquisse. Idem.

<sup>39</sup> Consulares fuerunt ] Fuerunt illi quidem consulares, ut ait Philippica VIII. sed non omnes ante patris mortem; siquidem Cic. lib. v. de Fin. ita scribit, *Q. Metellus tres filios consules vidit, & quibus unum etiam censorum & triumphantem: quatuor autem prætorem.* Quæ verba Val. Max. vii. 1. videtur ita male descripsisse: *Fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium, duo triumphantem, & quatuor prætorum videret.* Reliquæ etiam tres filias nuptas, hinc Cicero Tusc. I. sic ait: *Metellum multi filii, filia, nepotes, nepes in vagum imposuerunt.* Idem propequod Valerius Max. & Plinius testantur. Idem.

<sup>40</sup> L. Cotta ] L. Aurelius Cotta, qui cum Ser. Sulpicio Galba consul an. DCX. fuit: qui cum in senatu contenderent, ut adversus Viriaticum in Hispaniam mitteretur, Scipio dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit, ut refert Val. Maximus, vi. 4. Idem.

<sup>41</sup> Veterator ] Veterator, inquit Sex. Pompejus, callidi, dicti a multa rerum gerendarum

lius<sup>42</sup>, & P. Africanus<sup>43</sup> in primis eloquentes: quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest. Sed inter hos ætate paulum his antecedens sine controversia Ser. Galba<sup>44</sup> eloquentia præstitit: & nimirum is princeps ex Latinis, illa oratorum propria, & quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito orandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeter rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo hujus, quem constat eloquentia præstitisse, exiliores orationes sunt, & redolentes magis antiquitatem, quam aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis: itaque exaruerunt, vix jam ut appareant.

De ipsius Lælii & Scipionis ingenio, quanquam ea est jam opinio, ut plurimum tribuatur ambobus; dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At oratio Lælii de collegiis<sup>45</sup>, non melior, quam de multis quam voles, Scipionis: non quo illa Lælii quidquam sit dulcius, aut quod de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior, & horridior ille, quam Scipio: & cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam magis paulo magis præcis Lælius. Sed est mos hominum, ut nolint

*darum veritate.* Ob id hunc cum esse crederimus, qui nihil habeat, ut Africanus ait apud Valer. Max. vi. c. 5. cumque tribuus plebis esset, fiducia sacrosanctæ potestatis credituribus suis faciendæ nobilitat, nisi a collegis fuisse coactus, ut Val. Max. lib. vi. cap. 5. scribit. Unde cognoscimus Aureliam gentem plebeiam fuisse, in qua fuit cognomen *Cotta*, dictum, ut quidam volunt, *avæ 72 avæ*, quod iracundus, & oris torvi fuerit is, qui primus *Cotta* fuerit appellatus. *Idem.*

<sup>42</sup> *C. Lælius* ] Hic, ut Cicero Philipp. XI. refert, fuit filius illius C. Lælii, qui majoris Africanus in Hispania & in Africa semper comes fuit, ita ut a multis *Africanus* ipse quoque sic appellatus. Cetero cum Africanus majore ardentissima familiaritate junctus fuit, ut Lælius hic & Africanus amicitiam, tanquam hereditarem quandam credidit, & postea sic auxisse videntur, ut ea maxime illustri habeatur, quod Lælius Ciceronis o-

stendit. Fuit igitur hic Lælius prætor, fuit consul cum Q. Servilio Cæpione, an. DCXV. fuit augur, & *Scipio* est appellatus. Hic ante Scipionem ponitur, quia major natus fuit. *Idem.*

<sup>43</sup> *P. Africanus* ] P. Cornelius Scipio Africanus Emilianus, de quo præstat liber, quam pauca dicere. *Idem.*

<sup>44</sup> *Ser. Galba* ] Servius Sulpicius Galba, qui prætor male adversus Lusitanos pugnavit, ut Liv. lib. XLVIII. scribit. Deinde cum L. Aurelio Cotta anno ab U. C. DCX. consul fuit, Sciendum est prænomine *Servium* frequenter in gente Sulpicia inventi. Male igitur factum, qui describit, vel lepat nomen *Sergium Galbanum*, cum *Sergius* ut nomen gentis, non autem prænomen, ut factum constat. Male igitur Plutarchus in Catone hunc *Sergium Galbanum* vocat. *Idem.*

<sup>45</sup> *Oratio Lælii de collegiis* ] Vide lib. de Amicitia, cap. 25.

nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriati bello<sup>46</sup> reperimus fuisse Lælium: sic ingenii, literarum, eloquentiæ, sapientiæ denique, est utriusque primas, priores tamen libenter deferant Lælio. Nec mihi censorum judicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior: ut faciles essent in suum cuique tribuendo.

XXII. Memoria teneo, Smyrnæ me ex P. Rutilio Rufo audisse, cum diceret adolescentulo se accidisse, ut ex senatusconsulto P. Scipio & D. Brutus ( ut opinor ) consules de re atroci, magnaque quaererent. Nam cum in silva Scantia<sup>47</sup> facta cædes esset, notique homines interfecti; infimulareturque familia, partim etiam liberi societatis ejus, quæ picarias<sup>48</sup> de P. Cornelio, L. Mummiio censoribus redemisset; decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent & statuerent consules: causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Lælium. Cum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronuntiavissent; paucis interpositis diebus iterum Lælium multo diligentius, meliusque dixisse,

Tom. I.

F f f

iterum-

<sup>46</sup> *Viriati bello* ] Viriatus ex pastore venator, & venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit, & bellum cum Romanis per quadringentum annos, ut Florus & Orolius scribunt, vel octo continuos, ut placet Appiano, gessit, multisque Romanos duces vicit; ac tandem a suis, quos Servilius Cæpio contempserat, est interfectus. Historia est apud Liv. lib. LII. & LIV. & alios. Aliter *Viriatio*, fuisse rethæ, ut bellum *Viriaticum* dicatur, ut bellum *Mithridaticum*; quanquam Suetonius bellum *Viriaticum* vocat. *Idem.*

<sup>47</sup> *Scantia* ] Turnebus, *Sila*, quem vide *Advers.* lib. vi. cap. 1. & xxvi. 12.

<sup>48</sup> *Picarias* ] Fortasse loca ubi pax fieret, cuius apud veteres magnus fuit usus, cum ad alias res, tum ad vina condicienda. Et fortasse tum censores picarias locabant, quod nos tamen adhuc non legimus: illud legimus, quod scribit Plin. in tabulis censoris pascua dicta fuisse omnia, ex quibus populus reditus

habetet; quia diu hoc solum vestigial fuerat. Hoc significat Cicero, cum in *Orat.* I. contra Rull. ita scribit: *Vocat*, inquit, *silva Scantia*: utrum tandem loca silvarum in relictis possessionibus, an in censuram pascuis inventis? Ex his existimamus legi oportere, vel *pecuarias*, ut hic etiam scriptum vidimus, vel *pecuarias*, præsertim cum in aliis libris *picarias*, in aliis *picarias* hoc loco legamus. Et *pecuaria*, loca ubi pecora nutrantur, id est pascua, interpretamur: *pecuarias* vero, eodem sane modo, quod Varro lib. 11. de R. R. ita scribat: *Faciliter faciam, quod & ipse pecuarias habet grandes, in Apulia assarias, & Reatinæ equarias.* Itaque rem sic explicare possumus: silva Scantia erat in pascuis censorum: pecuaria item, sive pecuaria erant in silva pascuis. Cum igitur publicani redemissent has pecuarias, sive pecuaria, in silva Scantia, quæ in his erat, facta est cædes. *Corradus.*

iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam. Tum Lælium, cum eum socii domum rediissent, egissentque gratias, & ne defatigaretur, oravissent, locutum esse ita, se, quæ fecisset, honoris eorum causa, studiose, accurateque fecisse; sed se arbitrari, causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo fortior acriorque esset, gravius & vehementius posse defendi. Itaque auctoritate C. Lælii publicanos causam detulisse ad Galbam. Illum autem, quod ei viro succedendum esset, verecunde & dubitanter recepisse. Unum, quasi comperdinatus, medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa, componendaque poluisse: & cum cognitionis dies esset, & ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret; usque illum, quoad ei nuntiatum esset consules descendisse, omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis literatis fuisse: quorum aliud alii dictare eodem tempore solitus esset. Interim cum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in aedes eo colore, & iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. Addebat etiam, idque ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulctos exisse cum Galba. Ex quo significabat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna expectatione, plurimis audientibus, coram ipso Lælio sic illam causam tanta vi, tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio præteriretur. Itaque multis querelis, multaque miseratione adhibita, socios, omnibus approbantibus, illa die questione liberatos esse.

XXIII. Ex hac Rutiliana narratione suspicari licet, cum duæ summæ sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi, ad docendum; altera graviter agendi, ad animos audientium permovendos; multoque plus proficiat is qui inflammet iudicem, quam ille qui doceat: elegantiam in Lælio, vim in Galba fuisse. Quæ quidem vis tum maxime cognita est, cum,

Lusi-

\* Ferrior Lamb. Grut. oratione

Lusitanis<sup>49</sup> a Ser. Galba prætor contra interpositam, ut estimabatur, fidem, interfectis, L. Libone<sup>50</sup> tribuni plebis populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute (ut ante dixi) M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit: quam orationem in Origines suas retulit, paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus? Tum igitur recusans Galba pro sese<sup>51</sup>, & populi Romani fidem implorans, cum suos pueros, tum C. Galii etiam filium srens commendabat; cuius miræ orbitas & stertus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimæ patris: isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus ejus intelligi potest.

Cum hæc dixissem, & paulum interquievissem, Quid igitur, inquit, est causa, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus ejus appareat? quod mirari non possum in eis, qui nihil omnino scripti reliquerunt.

XXIV. Nec enim est eadem, inquam, Brute, causa non scribendi, & non tam bene scribendi, quam dixerint. Nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensium: pleræque enim scribantur

F f f 2 ora-

49 Lusitanis ] Ser. Galba est accusatus a Libone, quod Lusitanorum magnam manum, interposita fide, pavor in Hispania interemisisset, ut Valer. Max. lib. viii. cap. 1. refert, qui lib. ix. cap. 6. scribit ad hunc modum: Ser. quoque Galba summa perfidia: irum enim Lusitanie civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus altius, non tam nullis, in quibus hoc sœventis constituit, delicta, & æquis curis, partem cruciatibus, partem vultibus: quo scilicet maxime ditionem barbaricam imperitiosam exhibere solet. Tripartita militia Lusitanorum cruciatibus fuisse Suetonius in Galba testatur; Appianus vero, in libro de rebus in Hisp. gestis, rem pluribus exponit, idem.

50 L. Libone ] Allice L. Scribonio. Ursumque scilicet. Is enim dicebatur L. Scribonius Libo, ut Invenies lib. 1. & 11. de Orat. ep. 5. lib. xii. ad Attic. apud Val. Max.

51 Tum igitur recusans Galba pro sese ] Miserabiliter pro se Galba locutus, inquit Liv. lib. XLIX. Quamquam verecunde ego, ut legendum sit hoc loco: Tum nihil recusans Galba pro se. Nam recipiæ verbo sic utitur Cicero, ut Valer. Max. qui non ita modo, sed verbis etiam scire mutavit: si hanc rem sic in suum lib. viii. transtulit: Ror Galba pro se iam nihil recusans, parvulus liberos suos, & Galii sanguine curantibus sibi filium, sicut convenire dicitur cepit. Quæ vero lib. 1. de Orat. de Galba referuntur, ostendunt eum de se profus desponsisse, ut merito dici possit hoc loco, nihil pro se recusans. Idem.



orationes habitæ jam, non ut habeantur. Alios non laborare, ut meliores fiant: nulla enim res tantum ad docendum proficit, quantum scriptio: memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, cum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque etiam majorem videri iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint. Alios, quod melius putent dicere se posse, quam scribere: quod peringeniosis hominibus, neque satis doctis, plerumque contingit, ut ipsi Galba: quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut & incitata, & gravis, & vehemens esset oratio: dein cum otiosus stylam prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus, hominem defecerat, flagrescebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi consecantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit & dicere & scribere. Ardor animi non semper adest, isque cum confedit, omnis illa vis & quasi flamma oratoris exstinguitur. Hanc igitur ob causam videtur Lælii mens spirare etiam in scriptis, Galba autem vis occidisse.

XXV. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. & Sp. Mummi <sup>52</sup>, fratres, quorum exstant amborum orationes. Simplex quidem L. & antiquus: Sp. autem nihil ille quidem ornator, sed tamen adstrictior: fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Multæ sunt Sp. Albini <sup>53</sup> orationes.

## Sunt

<sup>52</sup> L. & Sp. Mummius J. L. Mummius novus, ut ait Patereulus, & pene ignobilis a principio fuit, quando *regis de regibus* cum Romanis nobiliores nomina minimum tria haberent. Nam quod L. Mummius *Aspurgens* postea dictus est, quantum potest quam tertium nomen est, & quibusdam ignominem appellatur. Hic L. Mummius cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit, anno ab U. C. DCVIII. quamvis alii collegam L. non Cn. vocent. Consul Actæus vicit, unde Actæicus est appellatus, & Corintium delevit, ac triumphavit. Hoc bellum scripserunt Liv. lib. LI. LII. Iustinus lib. xxxv. Auctor libelli de Vita Illust. cap. 60. & alii. Sp.

Mummius bellum in Hispania gessit, & de Lusitanis triumphavit, ut Appian. in lib. de Reb. in Hisp. gestis scribit, & fuit in decem legatis L. Mummii fratri, ut lib. xxxv. ad Att. ep. 30. Cicero docet. Fuit hic Sp. Mummius etiam legatus in Ægypto cum Africano, quod Iustinus lib. xxxv. refert. Quare autem Mummius fuit dictus, nos adhuc invenire non potuimus. Illius quidem factis auctore Patereulo constat, eos homines novos fuisse ac plebeios, quando L. quidam Mummius apud Ciceronem in Orat. post Redit. tribunus plebis agnoscitur, quem tamen Dio, lib. xxxix, *Adrianus Nerva* *Kaudeze*, opinor, appellat. *Idem*.

<sup>53</sup> Sp. Albini J. Sp. Posthumii Albini, qui cum

Sunt etiam L. & C. Aureliorum Orestarum <sup>54</sup>, quos aliquo video in numero oratorum fuisse.

P. etiam Popilius <sup>55</sup> cum civis egregius, tum non indifferens fuit. C. vero, filius ejus, disertus. Cajusque Tuditanus <sup>56</sup> cum omni vita, atque victu excultus, atque expolitus, tum ejus elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui injuria accepta fregit Tib. Gracchum patientia, civis in rebus optimis constantissimus, M. Octavius <sup>57</sup>. At vero M. Æmilius <sup>58</sup> Lepidus <sup>59</sup>, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paulo minor natu, & summus orator est habitus, & fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur apparuisse illa Gracorum, & verborum comprehensio, etiam artifex (ut ita dicam)

cum M. vel, ut est in Sallustio, Q. Minucio Ruffo consul anno ab U. C. DCXLIV. fuit, unde consularem infra Cicero vocat. Hic est enim Sp. Albini, qui, quod scribit Sallustius, Maffiusse persuasit, ut regnum Numidie ab senatu peteret, & alia pelleret, que a quodam emendat possunt legi. *Idem*.

<sup>54</sup> L. & C. Aureliorum Orestarum J. Lucius cum M. Æmilio Lepido consul fuit, anno ab U. C. DCXXVIII. & Sardos habebat. Alicui tamen posse ille videri, qui consul cum Sex. Julio Cesare fuit anno DCXVII. De Cajo adhuc nihil scriptum videre potuimus, sed coniecimus tantum hunc Lucii fratrem fuisse, ut hic L. & C. Aurelios fratres coniungat, ut statim L. & Sp. Mummius coniungat. *Idem*.

<sup>55</sup> P. etiam Popilius J. P. Popilius Lenax, qui cum P. Rutilio consul fuit, anno ab U. C. DCXXII. Hic igitur Popilius consul fuit, quo anno in iudicium vocati sunt, qui cum T. Graccho fenserant. Ergo, cum quodam T. Gracchi amicis, ut refert Plutarchus, ubi eiecit, postea cognovit latam esse legem a C. Graccho similem privilegii, ut in iudicium vocentur quicumque in magistratuum constitutus iudicia causa quempiam eiecit. Quare ipse ex ubi discessit, nec in multo post fuit restitutus. Hinc ait infra Cicero: *L. Bellia hanc iustitiam vestri tribuimus, non P. Popilius vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit*. *Idem*.

<sup>56</sup> C. Tuditanus J. C. Sempronius Tuditanus, qui cum M. Aquilio, quem Paulus O-

rosius M. Acilium Capitonem vocat, consul fuit anno ab U. C. DCXXI. Hic consularibus novendialibus fuit sermo de Rep. fuit a Cicerone institutus paulo ante mortem Africanæ, ut lib. iiii. ad Q. Fratrem refert. Hunc Tuditanum postea P. Popilio & P. Rutilio consularibus fuisse scribit Libo, ut Cicero testatur lib. xxxii. ad Attic. ubi dubitat, an hic in decem legatis Mummi fuerit. *Idem*.

<sup>57</sup> M. Octavius J. M. Octavius Cæcina vocatur a filio Obsequente. De familia vero Octaviorum nihil ad ea, que Suetonius in Augusto scribit, videtur addendum. *Idem*.

<sup>58</sup> M. Æmilius J. Ex Æmilia genti, quam scribit Sex. Pompejus appellatam a Mamæo Pythagore philosophi filio, qui propter unicum luminatum cognomen fuit Æmilias, alii, quod ab Actæno descendit, qui duos habuit filios, Juliam, & Æmiliam. *Idem*.

<sup>59</sup> Lepidus J. Idem pene significat Lepidus, unde creditus veteres Æmiliam per Lepidum interpretatos, & sic deinceps Lepidum cognomen Æmiliorum fuisse. Hic M. Æmilius Lepidus Porcina cum C. Hostilio Mancino consul fuit, anno ab U. C. DCXVII. Appianus libro de rebus in Hisp. gestis, pluribus de eo agit, & cum ob cladem in pugna adversus Vaccæos acceptam condemnatum fuisse: sed Val. Max. lib. viii. cap. 7. scribit a L. Cassio accusatum crimine nimis sustulisse Arretæ velle in Alsentis agro, gravi multa affectum fuisse. Quare Porcina sit dictus, nos adhuc quærimus. *Idem*.

cam) stylus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi, & prope æquales, C. Carbo, & Tib. Gracchus audire soliti sunt: de quibus jam dicendi locus erit, cum de senioribus pauca dixerō. Q. enim Pompejus<sup>60</sup> non contemptus orator temporibus illis fuit, qui summos honores, homo per se cognitus<sup>61</sup>, sine ulla commendatione majorum est adeptus.

Tum L. Cassius<sup>62</sup> multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia & severitate<sup>63</sup> popularis: cujus quidem legi tabellaria<sup>64</sup> M. Antius Briso, tribunus plebis, diu resistit, M. Lepido consule adjuvante. Eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod

<sup>60</sup> Q. Pompeius ] Is, quem Val. Max. lib. viii. cap. 5. Q. Pompeium Aspidium vocat, qui consul cum esset cum Cn. Servilio Capione, anno ab U. C. DCXXIII. in Hispaniam profectus, Thermestinos, ut Livius lib. LIV. videtur scripsisse, cum Termantini ab Apiano vocentur, subegit; deinde, non semel a Numantinis, cum fuisset viduus, veritus, ut postea Romæ necessarium, clam cum illis de pace capere agere; deinde vero cum M. Popillius Lenas successores venisset, ille jam metu belli presentia successoris liberatus, insidiatus est quidquid fecerat. Cicero lib. xi. de Finib. illam callide improbat vocat, quod fecerat cum Numantinis sit insidiatus. Hunc etiam Cicero lib. xi. Acad. Quæst. inter populares ponit. Idem.

<sup>61</sup> Per se cognitus ] Sui, non majorum, virtute nobilitatus. Q. enim Pompejus hactenus argue obsequio loco natus est; ut Cicero ait Verriam VII. *Etiam ipse s. Honor. & s. adverte* *reperit*, ut scribit Plutarch. in Appopht. ubi jocus est Scipionis. Hinc a Cicerone in Oratore pro Fontejo, & in Orat. pro Murena Q. hic Pompejus *homo* *revere* appellatur. Inimicitias cum Capionibus & Mercellis gessit, ut in Orat. pro Fontejo & apud Valer. Max. videbitis. Ab ejus etiam amicitia Scipio Lepiti nomine se renovit, ut Lælius apud Ciceronem testatur, ob eam forsitan causam, quam Plutarchus in Appopht. scribit, quod, cum Lælio consulatum petente, pollicens Scipioni fuisset se non petiturum, postea tamen petierat. Idem.

<sup>62</sup> L. Cassius ] L. Cassius Longinus, a quibusdam *Familia* dictus, qui fuit consul cum L. Cornelio Cinna, anno ab U. C. DCXXVI. & genitor cum Cn. Servilio Capione, ut

Frontinus refert in libris de Aquaeductibus. Gens vero Cassia duplex videtur fuisse, patricia & plebeja; nam multi Cassii inter primos consules, & multi tribuni plebis in veterum scriptis inveniuntur. Idem.

<sup>63</sup> Tristitia & severitate ] Idem sane his videtur dicere *hæc* *tristitiam*, nam *tristis* de *severitas* *sepe* *converuntur*, ut ostendit etiam Servius, illud Virgillii interpretans: *Annusque festorum*; Et Donatus apud Terentium ita scribit: *Tristis ad laudum interitus* *suorum*, non ad amaritudinem. Cicero, *judex tristis & integer*. L. igitur Cassius ita tristis & severus fuit, ut, quod Val. Max. lib. xii. cap. 7. scribit, olim cum prætor esset, ejus tribunal, propter nimiam severitatem, scopulus reorum diceretur. Hinc Cicero Verriam V. ita scribit: *Non quæo iudicem Cassianum, eorum iudiciorum severitatem non requiro*. Nec ita multo ante ibidem, Pomponium iudicem Cassianum & hominem severum *equivoce* appellat. Idem.

<sup>64</sup> Legi tabellaria ] Tabella dicitur, inquit infra, quam legem L. Cassius, Lepido & Mancino coll. id est anno ab U. C. DCXXVII. tulit. Voce Romani suffragium tulerunt, utque ad annum fere DCXXIV. tum eam Gælinia lex de suffragiis per tabellam scriendam lata; secuta idem post Cassia est: *tertia* *Papiria*, quarta *Cælia*, que tabellaria sunt appellata: quibus latebra populi data est, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium, ut Cicero lib. xii. de Leg. scribit. Sic enim quisque suam tabellam in eam conjiciebat, ut occulte posset adverteri. Idem.

quod ejus auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Capiones<sup>65</sup> multum clientes consilio & lingua, plus auctoritate tamen & gratia sublevabant. Sed Pompeji sunt scripta nec nimis extenuata, (quanquam veterum est similis) & plena prudentiæ.

XXVI. P. Gracchum<sup>66</sup> valde probatum oratorem iidem fere temporibus accepimus, qui & ingenio valuit, & studio, & habuit quasdam etiam domesticas disciplinas. Nam & cum summo illo oratore Servio Galba, cujus C. filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat: & cum esset P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scævola, domi jus civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse, maximeque gratiam, cum & consuleretur plurimum, & diceret. Horum ætatibus adjuncti duo C. Fannii<sup>67</sup>, C. & M. filii fuerunt: quorum Caji filius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de sociis, & nomine Latino, contra Gracchum<sup>68</sup> reliquit; sane & bonam, & nobilem.

Tum Atticus, Quid ergo? esse ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio<sup>69</sup>, literato homine, scriptam esse auctoritate, illo, quem significat valde doctum esse

<sup>65</sup> Duo Capiones ] Cn. & Q. ut ipse Cicero in Orat. pro Fontejo, & Valer. Max. lib. viii. cap. 5. vocant. Illud addit Valerius Maximus, iidem parentibus illos natos fuisse, & per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem pervenisse. Idem.

<sup>66</sup> P. Gracchum ] P. Licinium Gracchum Muzianum Divitem; nam cum P. Mucii Scævole filius fuisset a P. Licinio Crasso adoptatus, ita de more fuit appellatus. Anno ab U. C. DCXXIII. consul fuit, quo tempore Claudius consul designatus de C. Carbonis seditione retulit, & senatus id decrevit, quod Cicero lib. xii. de Leg. scribit. Idem.

<sup>67</sup> Duo C. Fannii, Caji & M. filii ] Valerius Maximus, & Corrodus ediderunt, *Dos C. Fannii, Caji Marci filii*, omisit inter hæc duo *Caji Marci* particula &, quam admittunt Lambinus & Gruterus, & admittere, si fallor, debuerunt, cum duo sint Caji Fannii, quorum unus orator, Caji filius de quo nunc agitur; alter historicus, Marci filius, de quo paulo post. Qui erat

Caji filius, consul creatus est anno U. C. DCXXXII. cum Domitio. *Anonymous*.

<sup>68</sup> Contra Gracchum ] C. Gracchum. Sic enim Cicero sepe propter excellentiam vocat, ut infra, & lib. xii. de Orat. videre licet. Hic vero illum significari, res etiam ista docet, quod cum ipse C. Gracchus C. Fannium consulem fecerit, curasset, ille tamen a patribus heredit, nam cum C. Gracchus leges quasdam promulgasset, & quotidie magna factorum multitudo ad eum conveniret, senatus Fannio consuli persuasit, ut juberet omnes, præter Romanos, urbem exire: id quod fecit. Gracchus vero contra eillum fecit, & sociis, si manerent, opem contra consulem pollicebatur; hinc nata similitudo. *Corrodus*.

<sup>69</sup> C. Persio ] C. Persius Flaccus, ætate suis Romanorum eruditissimus, cujus censuram reformidabat Lucilius poeta, (*de Orat.* xi. 6.) quætor fuit anno Urbis DCIX. tribunus sceleris, ann. DCXIV. ac denique prætor, an. DCXX. *Præfatus*.

esse Lucilius: alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de majoribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem; eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset: oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec ejusmodi est, ut a pluribus confusa videatur. Unus enim sonus est totius orationis, & idem stylus. Nec de Persio reticuisse Gracchus, cum & Fannius de Menelao. <sup>70</sup> Maratheno, & de ceteris objecisset, præsertim cum Fannius nunquam sit habitus elinguis. Nam & causas defensavit, & tribunatus ejus, arbitrio & auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit.

Alter autem C. Fannius <sup>71</sup>, M. filius, C. Lælii gener, & motibus, & ipso genere dicendi durior. Is focii instituto, (quem, quia cooptatus in angurum collegium non erat, non admodum diligebat, præsertim cum ille Q. Scævola sibi minorem natu generum prætulisset: cui tamen Lælius se excusans, non genero minori dixit se illud, sed majori filia detulisse) is tamen instituto Lælii Panætium audiverat. Ejus omnia in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspicere potest: quæ neque nimis est infans, neque perfecte diserta.

Mucius <sup>72</sup> autem augur, quod pro se opus erat <sup>73</sup>, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis <sup>74</sup> contra T. Albucium. Is

## ORATO-

<sup>70</sup> Menelaus ] Menelaus, Marathenus, a Maratho antiqua Phœnicum urbe, rhetor Græcus, cujus opera C. Gracchus in orationibus suis uti putabatur. *Erasmus*.

<sup>71</sup> C. Fannius ] Marci filius, qui scripsit Annales: de quo plura Vossius, l. 7. de Historicis Latinis.

<sup>72</sup> Mucius ] Q. Mucius Scævola, qui fuit alter Lælii gener, ut in Lælio scribitur, & L. Licinii Crassi oratoris focii, ut lib. 1. de Orat. cognoscitur; ubi refertur ipse se Panætium audivisse, & quædam, quæ ab eo accepit, cum Rhodum venisset, cum Apollonio contulisse. Fuit hic consul cum L. Cæcilio Metello, anno ab U. C. DCXXXVII. *Corradus*.

<sup>73</sup> Quod pro se opus erat &c. ] Sic viri eruditissimi censuraverunt, qui videbant, in Latine dicatur, quod opus erat pro se. Quod si cognoscentes id non recte dicit, vult pro se ad verbum dicere referre, ut sic dicatur pro se, videant, ne sit *solus*, ac rem aliter intelligant, atque Cicero videtur scripsisse. Nos igitur libenter ita legerimus: quod opus erat, per se ipse dicebat hoc est, dicere quod opus erat, & dicebat per se, non ut alii, quibus orationes scribebantur, ut supra de Fannio dabitur, & infra de Crispone confirmabit. *Idem*.

<sup>74</sup> De pecuniis repetundis ] De quibus T. Albucius, ut opinor, a Scævola fuerat accusatus, ut Apulejus etiam in II. Apolog.

oratorum in numero non fuit: juris civilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præstitit. L. Cælius Antipater <sup>75</sup>, scriptor (quemadmodum videris) fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Gracchi, magister.

XXVII. Utinam in Tib. Graccho, Cajoque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ab bene dicendum fuit! Profecto nemo his viris gloria præstitisset. Sed eorum alter propter turbulentiissimum tribunatum <sup>76</sup>, ad quem ex invidia scæderis <sup>77</sup> Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa republica est interfectus: alter <sup>78</sup> propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate judicium vindicavit. Sed fuit uterque summus orator, atque hoc memoria patrum teste dicimus. Nam & Carbonis, & Gracchi habemus orationes, nondum satis splendidis verbis, sed acutas, prudentiæque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Cornelie matris <sup>79</sup> a puero doctus, &

## Tom. I.

## G g g

## Gra-

videretur ostendere, quamvis ibi C. Mucius & A. Albucius legatur. Cicero, in Orat. in Pisonem, ita scribit: *Albucius, cum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est*. C. enim Julius Cæsar a Sardinia rogatus cum accusavit, quamvis Cn. Pompejus Strabo, qui fuerat Albucii quæstor, accusare voluisset, ut Cicero Verrius I. scribit. Unde nos lib. 11. de Offic. ita legendum putamus: *Pro Sardinia in Albucium Julius Cæsar*.

Ipsi Cæsari credimus, Q. Mucium augurem subscripsisse, præsertim cum inimicitias cum T. Albucio gereret, ex quo tempore Athenis illum Scævola Græce salutavit: quam rem Lucillius complexus est carminibus, quæ lib. 1. de Finib. leguntur, & quo tamen loco nos illa verba sic legimus: *A Scævola est prætor salutatus Athenis Albucius, ut prætor sit Scævola, non Albucius, qui fuit Athenis adolescens*. *Idem*.

<sup>75</sup> L. Cælius Antipater ] De quo lib. 1. de Leg. leges. In Oratore simplex & rursus appellatur, quod in proœmio belli Punici negasset se, nisi necessario, facturum, ut orationis numerum servaret. Hunc tamen Hadrianus Sallustio prætulit, quamvis apud Spartianum in Hadriani vita *Cæcilius* non *Cælius* describitur videamus. Cælius porro

familia plebeja fuit, ut Cælius Cædus, qui *novus homo* a Cicerone solet dici, & M. Cælii tribunatus plebis offendit. *Idem*.

<sup>76</sup> Turbulentiissimum tribunatum ] In qua leges agrarias promulgavit, M. Octavio collega magistratum abrogavit, leges tulit, & triumviros ad dividendum agrum creavit, ac iterum tribus plebis fieri voluit: ut Livius lib. LVII. Plutarchus, & alii scripserunt. *Idem*.

<sup>77</sup> Ad quem ex invidia scæderis &c. ] Hæc verba Vell. Patere, interpretatur lib. 11. cap. 2. sed & ipse Cicero Orat. pro Domno, Phara Plutarchi, & alii historici scribunt. *Idem*.

<sup>78</sup> Alter ] C. Papirius Carbo, qui cum Tib. Gracchum fuisset secutus, ut in Lælio scribitur, postea tribunus plebis fuit, Claudio & Perpenna consulis, anno ab U. C. DCXXIV. vel anno superiore, ipso Claudio consule designato. *Idem*.

<sup>79</sup> Diligentia Cornelie matris ] De qua videndus Plutarchus in Gracchiis, Quantilianus quoque lib. 1. cap. 1. sic ait: *Gracchorum eloquentia multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posterum quoque epistolis traditus est*. Et Cicero infra: *Legimus epistolas Cornelie matris*. *Grac-*

Gracis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos e Græcia magistros: in eis jam adolescens Diophanem Mirylenaum<sup>82</sup>, Græciæ, temporibus illis, discretissimum. Sed & breve tempus ingenii augendi & declarandi fuit. Carbo, quoad vita suppeditavit, est in multis judiciis, causisque cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem, & volubilem, & satis acrem, atque eundem & vehementem, & valde dulcem, & peracrum fuisse dicebat. Addebat, industriam etiam & diligentem, & in exercitationibus commentationibusque multum operæ solitum esse ponere. Hic optimus illis temporibus est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri judicia cœperunt. Nam & quæstiones perpetuæ<sup>81</sup> hoc adolescente constituta sunt, quæ antea nullæ fuerunt, (L. enim Piso<sup>82</sup>, tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Censorino & Manilio consulibus, tulit. Ipse etiam Piso & causas egit, & multarum legum aut auctor, aut diffusor<sup>83</sup> fuit: &

*Gracchorum: apparet filius non tam in ætate educatus, quam in sermone matris. Illa autem fuit Scipionis Africani maioris filia, & Tib. Sempromio Graccho nupsit, cui duodecim filios, ut Plutarchus scripsit, genuit, quos tanti fecit, ut eorum causa Ptolemæi regis nuptias speraverit. A populo Romano non minus ob virtutem filiorum, quam ob patris memoriam colebatur. Unde statum illi postquam Plinius & Plutarchus celebrant. Et sane mulier illa digna fuit immortalitate: quæ non solum in cæteris rebus prudentissime femine sollicita est fundita, sed casus etiam filiorum ita fortiter tulit, ut viri etiam fortissimi mirarentur. Idem.*

*So. Diophanem Mirylenaum* ] Rhetorem tunc in Italia exulantem, ut scribit Plutarchus, qui referit item illum, & Blossium Campanum Antipatri Tarfensis philosophi discipulum, adhaerere fuisse, ut Tib. Gracchus actionem illam susceperet. Quare paulo post ipse Tib. Gracchi mortem Diophanes necatus est, & Blossius aufugit. Idem.

*81. Quæstiones perpetuæ* ] Quibus Romani perpetuo uterentur. Unde queritur Cicero in Orat. pro Milone, novam quæstionem latam fuisse, cum veteres essent quæstiones. Sic;

*Optimor. ] Cui perpetuum ædificum. Videor tamen mihi audivisse, esse, qui perpetuæ quæstiones interpretentur, in quibus patroni perpetuas orationibus uterentur. Nos, ut nunc est, librum veterem libenter sequimur, in quo scriptum est P. ut interpretentur Publicæ, quod quæstiones essent publicæ. Corradus. Videndus est Janus Vincentius Gravina, de Orru & progressu Juris civilis, num. xxxvii.*

*82. Piso* ] L. Calpurnius Piso. Calpurnius, auctore Sex. Pompeio, a Calpo, Numæ regis filio, sunt oriundi. Unde dicit Horatius; *Pat. a Pompiliis sanguis*. Sed cum Calpurnius a Calpo deducatur, Calpurnius, non Calpurnius scribi debet. Ita quoque scribitur apud scriptores Græcos & in veterum monumentis. Hanc gentem multi putant patriciam fuisse, sed plebejam vel hujus Plebis tributaris, plebis fuisse demonstrat. Nisi forte a principio patricia fuit, sed postea paulatim, ut fieri solet, defecit. Certe constat eam jacuisse, donec eam L. hic Piso primus excitavit: quare post illum multo Calpurnii Pisones celebrantur. Corradus.

*83. Diffusor* ] Diffusor legum, in legis frumentariæ C. Gracchi, de qua re Tufc. III.

& orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, & annales, sane exiliter scriptos) & judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum desiderabant, tabella data: quam legem L. Cassius, Lepido & Mancino consilibus, tulit.

XXVIII. Veiter etiam D. Brutus<sup>84</sup>, M. filius, ut ex familiaribus ejus L. Accio poeta sum audire solitus, & dicere non inculce solebat, & erat cum literis Latinis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus. Quæ tribuerat idem Accius etiam Q. Maximo<sup>85</sup>, L. Pauli nepoti. Et vero ante Maximum illum Scipionem<sup>86</sup>, quo duce privato Tib. Gracchus occisus esset, cum omnibus in rebus vehementem, tum acrem ajebat in dicendo fuisse.

Tum etiam P. Lentulus ille princeps<sup>87</sup>, ad rempublicam duntaxat quod opus esset, satis habuisse eloquentia dicitur.

G g g 2 Ii-

III. (cap. 20.) scriptum videbis. Lege Orationem pro Fontejo. Centoniam etiam Dionysius lib. 11. videtur vocare, sed quicum censor fuerit, nos invenire non potuimus. Idem.

*84. D. Brutus* ] D. Junius Brutus qui cum P. Cornelio Scipione Nasica Serapione anno ab U. C. DCXVI. consul fuit. De Gallicis & Lusitanis, ut auctor est Strabonius, cum magna gloria triumphavit: unde Gallicus, ut ait Patricius, est appellatus, quævis apud Strabonem lib. 111. Gallicus legatur. Angurem fuisse & Lælio Ciceronis intelligentius, & apud Plutarchum est hujusmodi quæstio: *Quid est quod cum ceteri Romanis Februario mortuus inferias mitteret, & parentate consecraret, D. Brutus, ut scribit Cicero, id Decembri faceret?* Id Cicero lib. 11. de Leg. scripsit, sed nunc ea res pæne tota desideratur, ut intelligi possit, nec intelligeret omnino, nisi Accium ibi quoque nominaret. Idem.

*85. Q. Maximus* ] Q. Fabio Maximo Q. F. ejus, qui cum L. Emilio Pauli filius esset, adoptatus a nepotio quo Fabio Q. Fabius Maximus Emilianus est appellatus, & cum L. Hostilio Mancino, anno ab U. C. DCIX. consul fuit. Hic vero filius cum L. Opimio, anno ab U. C. DCXXXIII. consul fuit, & adversus Allobroges, & Biturum regem Arvernorum feliciter pugnavit. Ex hac victoria cognomen *Allobrogo* est inditum: quod Patricius refert. Idem.

*86. Scipionem* ] P. Cornelium Nasica Serapionem, ejus, qui Cotaculum est appellatus, filium, ejus, qui facta accipit, quique vir optimus est judicatus, nepotem. Hunc Scipionem nos arbitramur in Orat. pro Plancio his verbis significari: *Ante tunc P. Nasica tibi adilectam prædicatam repulsum, & quo tunc ego neminem status in hac Rep. fortiores. Idem.*

*87. Lentulus ille princeps* ] P. Cornelius Lentulus, de quo Valer. Max. lib. 6. cap. 3. Hunc Cicero Orat. IV. in Catil. his verbis significat: *Illo tempore hujus auge Lentulus clarissimus vir, amatus Gracchum est persecutus. Illi grave tunc vulnus accepit, ne quid de summa dignitate Resp. immineretur.* Hic P. Lentulus olim missus est, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, cœmeret, ut in Oratione secundæ contra Rullum scribitur, & a qua, atque e Verrius I. patet, cum principem senatus fuisse: atque ita putant eruditi Philippica VIII. legendum esse, quævis liberrè multi principem senatorem descripserint. Quod tamen dici posse ostendunt frequentes illæ locutiones, *principis locuti, princeps civis*. Illud me magis movet, quod hic Lentulus tam sæpe *principis senatus* a Cicero dicitur, & in consiliis illius temporis, quantum ego legere potui, non invenitur: cum tamen is esset mos, ut qui primus censuræ esset, qui viverent, fuisset, is princeps diceretur: & ratio hebet censor, qui consul ante



dis viris, etiam si maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria: quanquam iis quidem non omnino ingenium, sed oratorum ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute & suaviter dicere. Ne id quidem satis est, nisi id, quod dicitur, sit voce, vultu, motuque conditius. Quid dicam opus esse doctrina? sine qua etiam si quid bene dicitur adjuvante natura, tamen id, quia fortuito sit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione, sapientis hominis, & recti, gravitas summa, & naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad senatoriam vero sententiam, ejus erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset: quanquam hujus quoque ipsius rei, quemadmodum scis, præcepta sunt. Hujus & orationes sunt, & tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit. At Cyri vitam & disciplinam legunt, præclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Ipse etiam Fufidius\* in aliquo patronorum numero fuit.

XXX. Rutilius autem in quodam tristi & severo genere dicendi versatus est, & uterque natura vehemens & acer. Itaque cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accepavit ambitus designatum competitorum, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit: multaque opera, multaque industria Rutilius fuit, quæ erat propterea gratior, quod idem magnum munus de jure respondendi sustinebat. Sunt ejus orationes jejuna: multa præclara de jure: doctus vir, & Græcis literis eruditus, Panatii auditor, prope perfectus in Stoicis, quorum peracutum, & artis plenum orationis genus, sed tamen exile, nec satis populari assentioni accommodatum. Itaque illa, quæ propria est hujus disci-

b. Reili ] Viâ. Man. Grut. resti.

c. L. Fufidius ] Forte patrem illum Fufidii, equitis Romani, quem L. Piso suis debitoribus

addixit, ut in Orat. in Pisonem scriptum est. Aliter Fufidium, ut Plinius lib. XXXIII. c. 1. vocat. Idem.

disciplinæ, philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro & stabilis inventa est: qui cum innocentissimus in iudicium vocatus esset, (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rempublicam) cum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus, & M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese; & pauca C. Gotta, quod fororis erat filius<sup>5</sup>, & is quidem tamen, ut orator, quanquam erat admodum adolefens. Sed Q. Mucius<sup>6</sup> enucleare ille quidem, & polite, ut solebat; nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii, & magnitudo causæ postulabat. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis. Utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne hæc quidem in civitate genera hæc oratoria laude caruerunt. Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu & difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant<sup>7</sup>, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.

XXXI. Et quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Ælius Tubero<sup>8</sup> fuit illo tempore L. Pauli nepos, nullo in oratorum

\* Viri ] Lamb. uno  
5. Soranus erat filius ] Rutilia, de qua Seneca in Consol. ad Albinam ita scribit: Rutilia Cottam filium fecerat esse in exiliis, & utique non fuit indulgentia constituta, ut malles exiliis pati, quam exilio reddere: nec ante in patriam, quam cum filio redire: tandem jam rediit, & in rep. florenter tam fortiter amiserat, quam sacra est. Nec quicquam lacrimas ejus post elatum filium notavit. In expulso virtutem ostendit, in amissa prudentiam. Hanc historiam Cicero lib. XII. ad Attic. qualiter, & Atticus ipse dubitavit. Videtur tamen Cicero illam postea aliquando in suum librum de lætâ minnendo transulisse, unde Seneca sit mutatus. Idem.

6 Q. Mucius ] Q. Mucius Scaevola pontifex, qui Asian sanctissime administravit, ut Valer. Max. lib. VIII. c. ult. scribit. Quanquam nos augerem potius significari credimus. Id enim verba demonstrant, quibus hic & lib. 1. de Orat. testatur, Rutilium a Q. Mucio nullo apparatu defensum fuisse: quod auguri convenit, quem supra

dixit in Oratorum numero non fuisse, ut hic etiam separat ab oratoribus, cum ostendit non ut oratorem dixisse: at Scaevolam pontificem infra describit. & lib. 1. de Orat. vocat eloquentissimum. Verisimile item est, ab eo defensum fuisse, cujus ipse quaestor fuisse. Idem.

7. Quos statarios appellant ] Interpretatur Turnebus lib. 1. Adversariorum, cap. 10. Gruterus.

8 Quintus Ælius Tubero ] Panatii auditor, & Stoicorum doctrina morum & orationis tristitiam suscepit cum dialectica subtilitate. Avita decora, & honores, honorum ipse contemptu longe superavit. Nam pauperatam generis ab suis majoribus, fastibus & triumphis ornatum, ipse, præclara honoribus continentia, magis nobilitavit per acceptam repulsam a Epulium enim P. Africanus nomine populo Rom. cum daret. Fab. Maximus, ipse rogatus ut triclinium Berenæ, lætulos ligneos Punicanos pellibus rexit hædinis, & scellia veterum pro argenteis vasis exposuit. Quam oblectam jam frugalitatem populus mirari malebat, quam expe-

rum numero, sed vita severus & congruens cum ea disciplina, quam colebat: paulo etiam durior: qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani, avunculi sui, testimonium, vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere: sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus majorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis, & fortis, & in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum, Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando.

Tum Brutus, Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis? ut omnes fere Stoici prudentissimi in differendo sint, & id arte faciant, sintque architecti pene verborum: iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes repertiantur. Unum excipio Catonem, in quo, perfectissimum Stoico, summam eloquentiam non desiderem: quam exigam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse. Et ego, non, inquam, Brute, sine causa: propterea quod istorum in dialecticis omnis cura consumitur: vagum illud orationis, & fufum, & multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus, quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: sed dicere didicit a dicendi magistris, eorumque more se exercuit.

Quod

experiri, plussque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Pauli Tuberonis avi, ejusque avunculi Africani merita: quibus hic in comitiis pratoris, iustum suffragiorum numerum minime tulit. Doctrina juris præstitit omnibus quot ante se floruerant. Scripsit historias, & librum de Officio iudicis ad Cajum Oppium. Hunc vero consulem fuisse, a nullo veterum, præter Pomponium, accepimus. Gravina, de Orat. Juris.

10. Vacationem J. Q. Tubero iudicavit augures vacationem non habere, quo minus iudiciis operam darent. Tempore certe Ciceronis non videntur habuisse: nam Cicero ipse, cum esset augur, verebatur tamen, ne fors de iudicatu sua educeretur, ut lib. xxi. ad Artic. videre poteris. Q. ipsius Tubero contra P. Africani testimonium iudicavit, augures cogi posse, ut iudices fierent, &

sic iudiciis operam darent: quod huius rei nullam vacationem haberent. Idem.

10. Graccho J. Tiberium an Cajum significet, vix sciri potest, nisi quis putet Tiberium significari, quod eius mentio supra sic facta suo loco, & ea dicta, que fuerunt dicenda: Cæsar vero in suum locum distulit. Nec ego contentam, si quis hunc dicere esse Cajum, vel ob id, quod Cicero supra Gracchum, eum sine prænomine dicit, Cajum, ut lib. 112. de Orat. significet. Idem.

11. Tuus autem avunculus, quemadmodum scis J. M. ipse Cato, Servilia matris tuæ frater, ut Cicero lib. 112. de Fin. & Plur. in Bruto scribunt. Dicit, scis, ut fororis scilicet filius, ipsius in Cypro comes, & tandem gener, ut Plutarchus ostendit. Sic lib. 112. de Fin. Erat, ut scis, in Catone inchoata avunculus legendi. Idem.

Quod si omnia a philosophis essent petenda; Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum, id est ex vetere Academia philosophorum, sectam secutus es, quorum in doctrina atque præceptis differendi ratio conjungitur cum suavitate dicendi & copia. Quamquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Nam, ut Stoicorum adstrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic illorum liberior & latior, quam patitur consuetudo iudiciorum, & fori.

Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem ajunt philosophi, si Græce loquatur, sic loqui. Quis Aristotele nervosior? Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet in genere, & granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. Sed & hujus oratio in philosophiam translata, pugnacior (ut ita dicam) videtur, & illorum in iudicia paccator.

XXXII. Nunc reliquorum oratorum ætates, si placet, & gradus persequamur. Nobis vero, inquit Atticus, & vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur ejusdem ætatis fere, sane illustris orator, cujus de ingenio ex orationibus ejus existimari potest. Sunt enim & alii, & pro Ser. Fulvio, de incestu, nobilis oratio. Nobis quidem pueris, hæc omnium optima putabatur, quæ vix jam comparet in hac turba novorum voluminum.

Præclare, inquit Brutus, teneo qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas. Certe enim & boni aliquid atulimus juventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, & ornatus: & nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem, (meis enim illas antepono) sed a plerisque legi sunt desitæ. Enumera, inquit, in plerisque. Quamquam video mihi multa legenda jam te auctore, quæ antea contemnebam.

Tom. I.

H h li

Atqui

Atqui hæc, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore, loci sane inanes: veruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, & multa dixit, & illustria, & in numero patronorum fuit: ut cum mirer, cum & vita suppeditavisset, & splendor ei non defuisset, consulam non fuisse.

XXXIII. Sed ecce in manibus vir, & præstantissimo ingenio, & flagranti studio, & doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quenquam, Brute, pleniorum & uberiorum ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, existimo; atque istum de superioribus pane solum lego. Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. Dannum enim illius immaturo interitu res Romana, Latinaque litera fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem, quam patriæ, præstare voluisset! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus ejus: præclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, juventuti. Non enim solum acere, sed etiam alere ingenium potest.

Huic successit ætati C. Galba<sup>12</sup>, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis, & jurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. Nam rogatione<sup>13</sup> Mamilia, Jugurthinæ conjugationis invidia, cum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Exstat ejus peroratio, qui epilogus dicitur: quanto in honore, pueris nobis, erat, ut cum etiam edificeremus. Hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romanam conditam judicio publico est condemnatus.

## XXXIV.

<sup>12</sup> C. Galba ] C. Sulpicius Galba, de quo nihil scriptum invenio, præter hoc ipsum, quod hic lego scribit Cicero. *Idem.*

<sup>13</sup> Rogationis ] Uti quereretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexerit, quique ab eo in legationibus

aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique peristigas tradidissent, itemque, qui de pace aut bello cum inditis nationibus fecissent, ut scribit Sallustius, *Idem.*

XXXIV. P. Scipio<sup>14</sup>, qui est in consulari mortuus, non multum ille quidem, nec sæpe dicebat: sed & Latine loquendo, cuius erat par, & omnes sane facitque superabat. Ejus collega L. Bestia<sup>15</sup>, bonis initiis orsus tribunatus, (nam P. Popilium vi C. Gracchi expulsam sua rogatione restituit) vir & acer & non indifertus, tristes exitus habuit consularis. Nam invidiosa lege Mamilia C. Galbam sacerdotem, & quatuor consulares; L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque præstantissimum L. Opimium<sup>16</sup>, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, cum is contra populi studium steteret, Gracchani iudices sustulerunt.

Hujus dissimilis in tribunatu, reliquaque omni vita, civis improbus C. Licinius Nerva<sup>17</sup> non indifertus fuit. C. Fimbria<sup>18</sup> temporibus iisdem fere, sed longius ætate provectus, habitus est sane (ut ita dicam) luculentus patronus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior atque commotior: diligentia tamen, & virtute animi atque vita, bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus, nec rudis<sup>19</sup> in jure civili, & cum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber:

H h h 2 cujus

<sup>14</sup> P. Scipio ] P. Cornelius Scipio Nasica, P. illius, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicavit, filius, ut lib. 1. de Officiis dicitur: qui cum L. Calpurnio Bestia consul fuit anno DCXLIII. *Idem.*

<sup>15</sup> L. Bestia ] L. Calpurnius Bestia, qui consul bellum cum Jugurtha perere iussit, pacem cum eo injuncto populi & senatus fecit, ut Liv. lib. lxxv. scripsit, quod ipse quoque, ut Sallustius ostendit, pecunia fuisse a rege corruptus: qui postea, ut ex lib. 11. de Orat. cognoscitur, a C. Memmio fuit accusatus. Fuit autem consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, anno ab U. C. DCXLIII. *Idem.*

<sup>16</sup> L. Opimium ] Qui pætor & consul maximis Reip. periculis liberavit, ut in Orat. in Pisonem dicitur. Nam prætor Fregellanos, qui desererant, in dedicationem accepit, Fregellas diruit, ut scripsit Liv. lib. lx. & Ascon. in Orat. in Pisonem. Consul vero L. Opimius cum Q. Fabio Maximo, anno ab U. C. DCXLIII. C. Gracchum interfecit. Hic est Opimius, a quo Consule celeberrimum Opimianum vini nomen esse de quo Cicero infra meminuit, Patere-

<sup>17</sup> C. Fimbria ] C. Flavius Fimbria. In consularibus enim, apud Paternulum, Frontinum, & alios ita legitur. Et Flavii quidam plebei fuerunt, ut vel hic C. Flavius Fimbria ostendit, qui tribunatum plebis cepit, & repulsum tulit, sed postea consul, ut ait in Orat. pro Plancio, factus est, & quidem anno ab U. C. DCI. Qui Cicero in Oracione pro Cluentio C. Flavius Plancium inter robora populi Romani tempore M. Drusi fuisse scribit. *Idem.*

<sup>19</sup> Idem solentibus patronis, nec rudis etc. ] Adfertur Euphio nostro auctumanti illud solentibus patronis, introductam a margine glossulam. *Grætuus.*



cujus orationes pueri legebamus, quas jam reperire vix possumus.

Atque etiam ingenio, & sermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius Calvinus<sup>20</sup> fuit: qui etsi cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. Itaque consilio ejus, cum volebant, homines utebantur: patrocinio, cum licebat.

Isdem temporibus M. Brutus<sup>21</sup> in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi vestro: qui cum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset, & juris peritissimum, accusationem facilitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petivit, sed fuit acculator vehemens & molestus; ut facile cernebas naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatæ voluntatis.

Atque eodem tempore acculator de plebe L. Cæfulenus<sup>22</sup> fuit, quem ego audivi jam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquillia de injuria petivisset. Non fecissem hominis pæne infimi mentionem, nisi judicarem, qui suspiciosus aut criminiosus diceret, audivisse me neminem.

XXXV. Doctus etiam Græcis T. Albutius<sup>23</sup>, vel potius, pæne Græcus. Loquor, ut opinor: sed licet ex orationibus judicare. Fuit autem Athenis adolescens: perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.

Jam Q. Catulus<sup>24</sup>, non antiquo illo more, sed hoc nostro

<sup>20</sup> C. Sextius Calvinus ] De hoc nos adhuc nihil reperire potuimus, nisi forte pater aliquis, eum esse quem Cicero lib. 11. de Orat. lucum fuisse refert. *Corradus*.

<sup>21</sup> M. Brutus ] Quæsi graphicè describit Cicero, lib. 11. de Orat. c. 55. *Præfatus*.

<sup>22</sup> L. Cæfulenus ] Optimè Cæfulenus scribendum esse; nam a Cælio Cæfulius, ut a Justo Justidius, & inde Cæfulidius, ut a Nasidius Nasidienus, deductum est. *Ursinus*. De quo dici nihil a nobis potest, qui non sane multum operæ in querendo ponendum putavimus: quod ille indignus videtur, de quo multum laboremus. *Corradus*.

<sup>23</sup> T. Albutius ] Equus Romanus, admodum levis, & morum peregrinitate odiosus, Sardiniam prætor obtinuit, anno Urbis

DCXLIX. Cum sibi non expectato senatus judicio triumphum arrogasset homo vanissimus, ejus temeritas supplicatione denegata notata est. *Perth*.

<sup>24</sup> Q. Catulus ] Q. Lutatius Catulus, *Rabinus* & *Aurelius* iste semper a Plutarcho dicitur: idcirco Lutatius Latine scribi debet, præsertim cum semper in veterum monumentis, & in libris etiam manuscriptis ita scribatur. Cum G. Mario, anno ab U. C. DCLII. consul fuit, & cum eodem Matio de Cimbris triumphavit, ut scribit Plutarchus. Postea vero in civili bello victor Marius, necessarius Q. Catuli deprecantibus, non semel respondit: *Movietur*, ut Cicero Tulcul. V. refert. Vita igitur se ipse privavit, ut Valer. Max. lib. 12. c. 52. scribit, recentè calce

stro ( nisi quid fieri potest perfectius ) eruditus. Multæ literæ; summa non vitæ solum atque naturæ, sed orationis etiam comitatus; incorrupta quædam Latini sermonis integritas: quæ perspicui cum ex orationibus ejus potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu & de rebus gestis suis conscriptum molli & Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium, poetam, familiarem suum: qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

Tum Brutus, Mihi quidem nec iste notus est, nec illi: sed nec mea culpa est<sup>25</sup>: nunquam enim in manus incidunt. Nunc autem & a te sumam, & conquiram ista posthac curiosus. Fuit igitur in Catulo Latinus: quæ laus dicendi non mediocri ab oratoribus plerisque neglecta est. Nam de sono vocis, & suavitate appellandarum literarum, quoniam filium cognovisti<sup>26</sup>, noli expectare quid dicam. Quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam & eruditum orationis genus. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum; sed erat talis, ut, cum quosdam audires, qui tum erant præstantes, videretur esse inferior: cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaeres.

Q. Metellus Numidicus<sup>27</sup>, & ejus collega M. Silanus<sup>28</sup>,

ce illito, multoque igni percalefacto cubiculo. De hac re videndus etiam Paternulus. *Corradus*.

<sup>25</sup> Sed nec mea culpa est ] Sic enim corrigatur a doctis, & describitur, ut sit sententia: Illi libri mihi non sunt noti, sed nec mea culpa est: nunquam enim in manus incidente meæ: quod illi sese altero ad legendum offerre debuerint: quod sine toto ita frigide dicitur, ut ne cum toto quidem factis probem, matimque libros veteres sequi, in quibus est scriptum: *sed hoc mea culpa est*. Idem.

<sup>26</sup> Filium cognovisti ] Q. Lutatium Q. F. Catulum, qui fuit consul cum M. Emilio Lepido, anno ab U. C. DCLXXVII. quo tempore M. Lepidus, cum a Silla tentaret

rescindere, bellum excitavit, & ab ipso Q. Catulo collega Italia pulsus est, & in Sardinia frustra bellum molitus, perit. *Idem*.

<sup>27</sup> Q. Metellus Numidicus ] Q. Cæcilius Metellus Numidicus, quem Cicero lib. 12. Famil. & in Orat. pro Corn. Balbo L. filium vocat, qui consul cum M. Silano anno ab U. C. DCLXV. cum duobus patribus Jugurtham subisset, & universam Numidiam vastasset, triumphavit, & *Novissimus* est appellatus. Multa de eo passim Cicero, qui cum hoc uno potissimum se confare solet, quod uterque in exilium fuerit actus, & postea in civitatem restitutus, sed ita tamen, ut rem suam præferat. Hic Metellus adolescens Athenis Carnadem jam affectum senectute multos dies audivit, ut L. Crassus ejus

nus<sup>28</sup>, dicebant de republica quod esset illis viris, & consulari dignitati satis. M. Aurelius Scavrus<sup>29</sup> non saepe dicebat, sed politè: Latine vero in primis est eleganter locutus. Quæ laus eadem in A. Albino<sup>30</sup> bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus<sup>31</sup> etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Cæpio<sup>32</sup>, vir acer & fortis, cui fortuna belli, crimini; invidia populi, calamitati fuit.

XXXVI. Tum etiam C. & L. Memmii<sup>33</sup> fuerunt, oratores mediocres; accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt. Sp. Thorius<sup>34</sup> satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum, vitiosa & inutili lege, vestigali levavit.

M.

eius familiaris lib. 121. de Orat. testatur. Itaque ut doctus Archias illi iocundus erat, ut in Orat. pro Archia scribitur videmus. Ob id hic a Cicerone & a Patreulo lib. II. inter Oratores numeratur. *Idem.*

28. M. Silanus ] Hic est M. Junius Silanus, qui adversus Cimbricos infeliciter pugnavit, ut Liv. lib. lxxv. & Afcon. in Orat. pro Cornelio scribitur; quamvis Eutropius dicat Cimbricos ab eo in Italia victos fuisse. Hic plures leges, quibus millia stipendia minuebantur; abrogavit, quod Afcon. ibid. refert. *Idem.*

29. M. Aurelius Scavrus ] Is est M. Aurelius Scavrus, quo postulant, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitu esse dicebat, quo nimis sano Dianæ servum suum, qui in illius alycum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus Romanæ evocatus est, quod auctor injuria illius fuisse argueretur; ut Verina III. relatum est. Huius nominis deferendi in L. Flaccum potestas non est data, quod quæstor ejus fuit. *Idem.*

30. A. Albino ] Sp. Albini, ut nos putamus, frater; qui cum esset frater in Africa legatus, propterea ab eo relictus, infeliciter prælio adversus Jugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adiecit, quam quidem minime esse servandam sentiens cessavit, ut Liv. lib. LXIV. scriptura reliquit. Ob eam causam nos credimus eum post fratris consulatum annos decem jacuisse, ac tandem cum M. Antonio consulente anno ab U. C. DCXV. factum fuisse, cuius consulatus Cicero in Orat. post reditum ad Quirit. Plin. lib. vii. c. 7. &

Gell. lib. xv. c. 7. meminerant: nisi forte quis illum Albinum fuisse putet. *Idem.*

31. Flamen Albinus ] Quæritus historiam. *Idem.*

32. Q. etiam Cæpio ] Q. Servilius Cæpio cum C. Asilio Serrano consul anno ab U. C. DCXLVIII. fuit, & ut scribitur. Cædoflor. iudicia equitibus & senatoribus communicavit; quam rem Cicero de Invent. lib. 1. significavit. Hic proconsul, vel, ut est apud Gellium, consul, capta urbe Gallorum, cui nomen est Tolosa, centum M. ponderis auri, & argenti CX. M. e templo Apollinis sustulit; quod cum ad Massiliam, amicam populo Romano urbem, cum postulis mississet, interceptis clam, sicut quidam contestantur, quibus ea custodienda & pervertenda commiserat, cuncta pro scelus furatus fuisse narratur. Unde etiam magna questio post Romæ est acta, ut apud Orothium lib. v. c. 15. legimus. Vid. Gell. lib. III. c. 20. & Strabon. lib. IV. *Idem.*

33. C. & L. Memmii ] Memmii a Mæthibus Trojanis dicti, ut Pater libro v. 127. sic ostendit; Mæthibus Mæthibus, generi autem Memmii: qui plebs fecerunt, ut tribunatus ostendunt, & Cicero epist. 16. lib. ix. ad Articum testatur. Memmii tamen a Lucretio lib. 1. clara præcipue vocatur. *Idem.* C. Memmii Gallus, trib. pl. anno lib. DCXLIII. Jugurtham reum pro confectione fecit. Sallustius. L. Memmianus eundem magistratum gessit quatuor post annis. *Idem.*

34. Sp. Thorius ] Tribunus plebis, anno DCXLVII. De lege Thoria, vide lib. 11. de Orat. cap. 36.

M. Marcellus Æfermini pater<sup>35</sup>, non ille quidem in patris, sed & in promptis tamen, & non inexercitatis ad dicendum, fuit, ut filius ejus P. Lentulus<sup>36</sup>.

L. etiam Cotta<sup>37</sup>, prætorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat: sed de industria, cum verbis, tum etiam ipso sono quasi subfructu persequeretur atque imitabatur antiquitatem. Atque ego & in hoc ipso Cotta, & in aliis pluribus intelligo, me non ita disertos homines & retulisse in oratorum numerum, & relaturum. Est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint, ut tenerent oratorum locum: quorum quidem quæ fuerit ascensio, & quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. Quam multi enim jam oratores commemorati sunt, & quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse, atque vix, ut dudum ad Demosthenem & Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus? Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, & in his primum cum Græcorum gloria Latine dicendi copiam æquatam.

XXXVII. Omnia veniebant Antonio<sup>38</sup> in mentem; eaque suo

35. M. Marcellus Æfermini pater ] M. Claudius Marcellus. Fuerunt vero due familie Claudie: ea quæ Marcellorum appellata est, plebeja; quæ Pulcherorum, patricia, ut Afconius in Orat. pro Scavro, & Sueton. in Tiberio docent. Hic videtur esse Marcellus, de quo L. Crassus lib. 1. de Orat. loquitur. Quia deditur erat eloquentiæ studiis, hic ilium Cicero inter oratores ponit: quasquam dubitari potest, cum ante L. Crassum colonus sit appellatus, qui factus consul anno ab U. C. DCXLVII. cuius postea filius hic P. L. Crasso ipse gessit inimicitias; & in quem testimonium dixit: ut Orat. pro Fonti, refertur. Filius ejus fore Æferminis est appellatus, quod patrem cum Æfermia captum liberaric, ut ex Liv. lib. LXXXIII. coniecere licet. *Idem.*

36. Ut filius ejus, P. Lentulus ] Dubitari potest video, quo pacto, cum & Marcellus esset ipse, & Marcelli Æfermi pater esset, nunc etiam P. Lentulum filium habere dica-

tur; cum Claudia & Cornelia gentes sint diversæ. Sed hic aliqua fortis adoptio necesse est; ut vel hic P. Lentulus, cum esset prius Claudius Marcellus, ut Claudii Marcelli filius, ab aliquo Cornelio Lennido fuerit adoptatus, & ita P. Cornelius Lentulus appellatus: vel certe M. ipse Marcellus pater, postquam jam Marcellum Æferminum habuerat filium, in Corneliam familiam sit adscitus, & Cn. Cornelius Lentulus Clodianus sit appellatus, qui factus consul anno ab U. C. DCXLVII. cuius postea filius hic P. Lentulus fuerit. *Idem.*

37. L. Cotta ] L. Aurelius Cotta, quæstor anno DCXIV. octavo post anno prætor. *Idem.* Illius, ut puto, filius, qui anno DCX. fuit consul. *Idem.*

38. Antonio ] M. Antonius, cum esset prætor, vel potius consul designatus, quo anno Saturninus est interfectus, extra urbem cum præsidio fuit, Orat. pro C. Rabirio. Anno sequenti, id est DCXV., cum A. Posthumio Albi-

fuo quaque loco, ubi plurimum proficere & valere possent. Ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura: sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone: itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen est admodum inquinata locutus: sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis. Nam ipsum Latine loqui, est illud quidem, ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum: sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum. Non enim tam praeclearum est scire Latine, quam turpe nescire: neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur. Sed tamen Antonius in verbis & eligendis, (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis) & collocandis, & comprehensione devinciendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat: verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis & conformationibus. Quo genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. Σχηματα enim

Albino consul fuit, *Orat. post reditum ad Quir.* Deinde proconsul in Ciliciam est profectus, *lib. I. & II. de Orat.* ubi etiam censor fuisse dicitur. Fuit etiam legatus, ut infra dicitur. Hinc Cicero *lib. II. de Orat.* putat nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare ipse posset, rudem aut ignarum fuisse; sed quis volebat ipse videri didicisse, opinio fuit, illum omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse, usque adeo, ut ne tabulas quidem conscribere existimaretur; ut *lib. eodem II. de Orat.* scribitur: quae fuit opinio falsa, *Ver. III.* quamvis Antonius alium Antonium significari male putet. Ipse M. Antonius *lib. I. de Orat.* se literas Graecas sero ac leviter attingisse testatur. Has vero sic attingit, ut cum *lib. II. de Oratore* historicos Graecos nominasset, ac scientes & proprie de unoquoque dixisset, ita Caesar exclamarit: *Ubi sunt, qui Antonium Graece negant scire?* Ius certe civile affirmat ipse, neque se unquam didicisse, neque tamen in

his causis, quas in iure posse defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Nihil se arbitrabatur ad iudicia casualiaque amicorum, praeter fidem & ingenium, asserere oportere, *Ver. I.* & quascunque causas erat acturus, eas diligenter peritusque volebat cognoscere, id quod omnibus faciendum ipse *lib. II. de Orat.* praecipit. Cicero *Tuf. V.* scribit Cinnam iussisse caput M. Antonii praecidi, cum Ptolemaeus & Appianus affirmant id iussu Marci factum fuisse; sed *Val. Max. lib. VIII. c. 9.* demonstrat utrumque verum fuisse; caput certe M. Antonii abscisum suis manibus Marius inter equales per summam animi ac verborum insolentiam perliquandum tenuit, quod *Valer. Max. lib. IX. c. 2. Liv. lib. LXXX. Flor. lib. III. c. 21. & Lucan. lib. II.* scripserunt. Libellum unum reliquit, in quo dixit illud, quod refertur in *Oratore*, ac *lib. I. & II. de Orat. Dixerat se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.* Idem.

nim quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem: eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis.

XXXVIII. Sed cum haec magna in Antonio, tum actio singularis: quae si partienda est in gestum atque vocem; gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens. Manus, humeri, latera, supplotio pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis, sententiisque consentiens: vox permanens, verum subrauca natura: sed hoc vitium huic uni in bonum vertebat. Habebat enim flebile quiddam in conquestionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem serunt ei, qui quaesivisset quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem; & idem tertium, respondisse. Nulla res magis penetrat in animos, eoque fingit, format, flectit: talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.

Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum<sup>39</sup>. Illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse, qui, horum alterutro patrono, cuiusquam ingenium requireret. Equidem, quanquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos. Latine loquendi accurata, & sine molestia diligens elegantia. In disserendo mira explicatio. Cum de iure civili, cum de aequo & bono disputaretur, argumentorum & similitudinum copia.

XXXIX. Nam, ut Antonius conjectura movenda, aut sedanda suspicione, aut excitanda, incredibilem vim habebat, sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate, nihil erat Crasso copiosius: idque cum saepe alias, tum apud centumviros in M. Curii causa<sup>40</sup> cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum pro aequo & bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scævola, & in iure, in quo illa

Tom. I.

I i i

causa

<sup>39</sup> L. Crassum ] De quo vide Commentarium, 1. de Orat. 7. pag. 562.

<sup>40</sup> In M. Curii causa ] Vide Commentarium in lib. 1. de Orat. cap. 39. & infra, c. 52.

causa vertebatur, paratissimum, obrueret argumentorum exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scævola putaretur: qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum, quid in jure, aut in æquo verum aut esset, aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. Quare sit nobis orator in hoc interpretandi, explanandique, & differendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim, in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuentis, quam admirandus orator. Verum ad Crassum revertamur.

XI. Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scævola ex iis rebus, quas audiebam sæpe ex C. Rutilio, quo utebatur propter familiaritatem Scævola nostri<sup>41</sup>, tamen ista mihi ejus dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuisse in nostra republica.

Hic ego, Noli, inquam, Brute, existimare, his duobus quidquam fuisse in nostra civitate præstantius. Nam, ut paulo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse: sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium parcissimus: Scævola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis: Scævola multa in severitate non deerat tamen comitas. Licet omnia hoc modo: sed vereor, ne fingi videantur hæc, ut dicantur a me quodam modo; res se tamen sic habet. Cum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas; uterque horum medium quiddam volebat sequi: sed ita cadebar, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet.

Tum

<sup>41</sup> Scævola nostri ] Aliter Scævola, omnino habebat cum altero Scævola, quicumque is nostri. Hoc ait: Scævola ponitex utebatur fuerit, quoniam locus non caret mendii Rutilio; propter familiaritatem, quam ha-

Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum & Scævola cognovisse, tum de te, & de Ser. Sulpicio<sup>42</sup> cogitans, esse quandam vobis cum illis similitudinem judico. Quoniam, inquam, istuc modo? Quia mihi & tu videris, inquit, tantum juris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori; & Servius eloquentiæ tantum assumpsisse, ut jus civile facile possit tueri: atateque vestra, ut illorum, nihil, aut non fere multum differunt<sup>43</sup>.

XLI. Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse: de Servio autem & tu probe dicis, & ego dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam & in iisdem exercitationibus, incunte ætate, fuimus; & postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset & doctior: &, inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps.

Hic Brutus, Ain tu? inquit. Etiamne Q. Scævola Ser- vium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, juris civilis magnum usum & apud Scævola, & apud multos fuisse; artem, in hoc uno, quod nunquam effecisset ipsius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa judicarentur; & quæ quibus positus essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ consule ab aliis aut respondebantur, aut agebantur.

I i i 2

XLIII.

<sup>42</sup> De Ser. Sulpicio ] Vide Graviam, de anno consul esset, id est anno, qui Ciceronis consulum securus est; sed repulsam Ortus Juris, num. LXV.  
<sup>43</sup> Nihil, aut non fere multum differunt ] tulit, ut in Orat. pro Murana videmus. I. Nam Cicero, quod scribit ipse, suo, id est itaque Cicero videtur anno dantebat majorem quadragesimo tertio ætatis anno consul fuisse, si modo Ser. Sulpicio anno suo prætor fuerat. Corvadius.

XLII. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis. Sed adjunxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quae ex scriptis ejus, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. Cumque dicendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo<sup>45</sup>, C. Aquilio Gallo<sup>46</sup>, Galli, hominis acuti & exercitati, promptam, & paratam in agendo, & in respondendo celeritatem subtilitate, diligentiaeque superavit: Balbi, docti & eruditi hominis, in utraque re consideratam tarditatem vicit, expediendis, consiciendisque rebus. Sic & habet quod uterque coram habuit, & explevit quod utriusque defuit. Itaque, ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse, quam Scævola: (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur: ille se consuli volebat<sup>46</sup>, ne qua in re inferior esset, quam Scævola) sic Servius sapientissime. Cum enim duae civiles artes ac forenses plurimum & laudis haberent & gratiae, perfecit, ut altera praestaret omnibus: ex altera tantum assumeret, quantum esset, & ad tuendum jus civile, & ad obtinendam consularem dignitatem, satis.

Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, & antea putabam. Audivi enim nuper<sup>47</sup> eum studiose & frequenter Sami, cum ex

<sup>45</sup> L. Lucilio Balbo ] Credimus L. Lucilium, quem lib. 111. Fam. commendat, hujus filium: Q. vero Lucilium Balbum, qui in libris de Nat. Deor. loquitur, fratrem fuisse: atque Lucilios, post Lucilium poetam, qui dicitur alumnus Anaximae a Juvenale, Romae esse coepisse: quidquid alii scribant. *Idem.*

<sup>46</sup> C. Aquilio Gallo ] Cum C. Aquilius Gallus fuerit Ciceronis collega in praetura, & ob id etiam Ciceronis & Sulpicii aequalis, quaeri potest, an idem Sulpicii praetor esse potuerit; an potius pater Sulpicii praetor, & filius Ciceronis collega: quod ut simile vero videatur, nihil tamen affirmemus, praeterim cum Pomponius ostendat Sulpicium jam grandem juri operam dare coepisse, ita ut etiam filium audire ponerit. Et filium dicimus, quoniam supra, ubi de lege Aquilia mentio facta est, ostendimus duos Aquilios fuisse, quavis recentiores scriptores uni omnia tribuant. Aquili-

li porro patricii videntur fuisse, quando C. Aquilius a Livio lib. 111. consul dicitur: multo ante quam plebeii consules essent, quamvis Ulpianus lib. 11. tit. 2. Digestor. scribat, legem Aquilianam ab Aquilio tribu plebis fuisse latam. Nam si Aquilius tribu plebis fuit, certe plebejus fuit. Dicamus igitur, quod saepe diximus, duplicem gentem fuisse, vel Ulpianum esse deceptum. *Idem.*

<sup>46</sup> Nolebat ] Aliter volebat (sic Vitr.) aliter volebat (ita Man. & Lamb.) sed noluit respondere est. Nolebat certe Crassus de jure respondere, ut, cum in orandis causis superior esset, si de jure respondisset, aequa in re videri posset Scævola ipso, qui disciplina juris civilis omnium esset eruditissimus, inferior. Malebat igitur Crassus in arte dicendi primus, quam in jure civili secundus esse: ut Ser. Sulpicius contra maluit in secunda primus, quam in prima secundus esse, ut supra dixit. *Idem.*

<sup>47</sup> Audivi enim nuper ] Esti videtur pra-

eo jus nostrum pontificium, quae ex parte cum jure civili conjunctum esset, vellem cognoscere; & nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio & iudicio tuo: simul illud gaudeo, quod & aequalitas vestra, & pares honorum gradus<sup>48</sup>, & artium, studiorumque quali finitima vicinitas, tantum abest ab obreclatione invidiaeque, quae solet lacerare plerosque, uti ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te voluntate, iudicioque cognovi. Itaque doleo & illius consilio, & tua voce populum Romanum carere tam diu: quod cum per se dolendum est, tum multo magis consideranti, ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint.

Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de republica ut sileremus: itaque faciamus. Nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo quaerendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus.

XLIII. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, & institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus, expectabatur, audiebatur: a principio statim, (quod erat apud eum semper accuratum) expectatione dignus videbatur: non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra suppositio pedis; vehemens, & interdum irata, & plena iusti doloris oratio: multae, & cum gravitate facitiae: quodque difficile est, idem & perornatus & perbrevis. Jam in altercando invenit parem neminem: verus est in omni fere genere canarum: mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolecens: summam ingenii non laudem modo,

ne illius de tempore hoc ipso divinare, nos tamen conicimus annum fuisse, quo Caesar consul IV. fuit, & bellum in Hispania cum Pompeii filius gessit; quo quidem anno Tullia Ciceronis decessit, & Brutus ac Ser. Sulpicius in Asia fuerunt. Et quidem Brutus ita, ut literas inde consolatorias ad Ciceronem scripserit; Ser. vero Sulpicius scripsit, cum ex Asia redisset, ut ejus literis cognosces. Fieri igitur potuit,

ut vel simul ex Asia decedentes Samum venerint, vel alter decedens, alter in Asiam proficiscens, Sami obvii sint facti, & ita sint colloqui. Sic etiam Marcellum Mitylenensis Brutus vidit. *Idem.*

<sup>48</sup> Pares honorum gradus ] Nam fuit uterque quaestor, nullus, praetor, & consul. De magistratibus Ser. Sulpicii in Orat. pro Mur. & Famil. *Idem.*

modo, sed etiam admirationem est consecutus. Defendit postea Liciniam virginem <sup>49</sup>, cum annos XXVII. natus esset: in ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque ejus scriptas quaedam partes reliquit. Voluit adolescens in colonia <sup>50</sup> Narbonensi causa popularis aliquid attingere, eamque coloniam (ut fecit) ipse deducere: exstat in eam legem senior, (ut ita dicam) quam illa aetas ferebat, oratio. Multa deinde causa; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu coenavisset apud praenem Granium <sup>51</sup>, idque nobis narravisset Lucilius, tribunatum plebis nesciremus fuisse.

Ita profusus, inquit Brutus: sed ne de Scavola quidem tribunatu quidquam audivisse videor, & eum collegam Crassi credo fuisse. Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suaviterviam legem Crassus. Nam censuram sine Scavola gessit. Eum enim magistratum nemo unquam Scavolarum petivit. Sed haec Crassi cum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quatuor & triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi aetate praestabat. His enim consulibus eam legem suaviterviam, quibus nati sumus, cum ipse esset Q. Capione consule natus & C. Laelio, triennio iplo minor, quam Ant-

<sup>49</sup> Liciniam virginem ] Ut propinquam; nam Crassus erat Licinia; et ex summo loco natam, ac sanctissimo sacerdotio praeditam, ut in Orat. pro Dono dicitur, de incestu vero accusatam. L. enim Veturius eque Romanus Emiliam virginem Vestalem furive furore polluit. Duas praeterea virgines Vestales eodem Emilia ad participationem incestus sollicitas contubernibus suis conceptores exposuit ac tradidit. Videant tamen eruditae, ut is fuerit T. Berutius. Indicium per se ipsum est eisdem. Historia legitur apud Basilium Graevium lib. v. c. 14. Tunc legitur L. Crassus, ut hic ait Cicero, Liciniam despoliit, traque Emilia condemnata est, sed Emilia & Marcia sunt absolute, postea tamen cum pleribus aliis condemnatae, ut refert Aulonius. Item.

<sup>50</sup> Colonia ] Coloniae temporum, ut in Orat. pro Fontibus legitur. Deinde colonia, in qua sunt multae libertatis, ut quidam volunt, in qua sunt septuaginta in eam coloniae, ut in Orat. pro Fontibus legitur.

Caesare dictatore milites Martia legionis in eam coloniam missos, & ob id Narbonem Martium a scriptoribus appellari; nec vident a Cicero Martium dici in Orat. pro Fontibus, quae dicta fuit multis annos ante quam Caesar dictator foret. Nec me movet, quod in Tiberio scribit Sueton. Tiberii patrem ad eam coloniam deducendam missum fuisse. Sic enim interpretor. Prius a L. Crasso deducta est colonia, & Narbo Marcus forte a Q. Marcio, qui tunc erat consul, appellata: deinde a Caesare missis novis coloniam quasi inaurata. Item.

<sup>51</sup> Granium ] Quo nemo fuit dilucio, ut lib. 11. de Orat. describitur. Is L. Crassus & M. Antonii voluntatem aspernentibus facitissis saepe perstrinxit impune, ut in Orat. pro Manlio scribitur; quavis illorum esset familiaris, ut hic cognoscitur, & lib. 11. de Orat. dicitur. Is est Granus, de quo multa Lucilius, ut ait infra, scripsit. Item.

Antonius. Quod idcirco posui, ut dicendi Latine prima maturitas in qua aetate existisset, posset notari; & intelligeretur jam ad summum pene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a jure civili, ab historia fuisset instructor.

XLIV. Erit, inquit M. Brutus, aut jam <sup>52</sup> est iste, quem expectas? Nescio, inquam. Sed est etiam L. Crassi in consulatu, pro Q. Capione, defensione juncta non brevis, ut laudatio; ut oratio autem, brevis; postrema censoris oratio, qua anno duodequingagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuce veritatis color. Quam etiam comprehensio, & ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placeat) erat apud illum contractus, & brevis; & in membra quaedam, quae *κατὰ* Graeci vocant, dispertiebat orationem lubentius.

Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores, inquit, tantopere laudas, vellem aliquid Antonio, praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere. Cum enim omnibus memoriam sui, tum etiam disciplinam dicendi, nobis reliquissent. Nam Scavola dicendi elegantiam <sup>53</sup> satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit, inquam, illa in legem Capionis oratio: in qua & auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur; & invidia concitatur in judicium, & in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa

<sup>52</sup> Aut jam ] Quasi correptio: & haec particula videtur omittere; legendum esse sine interrogatione, quod affirmat, non querat, & affirmans eum significat esse Cicero-nem; ut M. Antonius lib. 1. de Orat. eodem pene modo, ita quasi divinat: Qui eloquentia dici possit, aut hic est iam Crassus; aut si quis empiri erat, famel indicaverit, itaque videri ita fecisset, dixit, se plaris estimare, & addidit centum millia. Hic est, quem Fimbria vulneravit, quem postea Damaspus interfecit; velut faventem Syllae participis, & quidem ante simulacrum Vellei, Carbone III. Mario filio consulibus. Item.

<sup>53</sup> Scavola dicendi elegantiam ] P. Scavola filius fuit, quod esti difficulte cognoscitur, tu tamen ita colliges: P. Licinius Crassus

P. Scavola frater fuit. Porro Scavola pontifex hujus P. Scavola fratris filius fuit, ut L. Crassus lib. 1. de Orat. dicit. Quare dubium non est, quin haec significetur lib. 11. de Officiis, illis verbis: Q. Scavola, P. filius, cum postulasset, ut sibi suadet, cuius empiri erat, famel indicaverit, itaque videri ita fecisset, dixit, se plaris estimare, & addidit centum millia. Hic est, quem Fimbria vulneravit, quem postea Damaspus interfecit; velut faventem Syllae participis, & quidem ante simulacrum Vellei, Carbone III. Mario filio consulibus. Item.

ta in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facere dicta sunt: plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis, intelligi potest. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum, & orationis commentarium paulo plenus. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita majoribus. Et vero fuit in hoc & popularis dictio excellens. Antonii genus dicendi multo aptius iudicis, quam concionibus.

XLV. Hoc loco ipsum Domitium <sup>54</sup> non relinquo. Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo & magistratus personam, & consularem dignitatem tueretur. Quod iidem de Caelio <sup>55</sup> dixerim, industriam in eo summam fuisse, summamque virtutes: eloquentiam tantum, quod esset in rebus privatis, amicis ejus; in republica, ipsius dignitati satis.

Eodem tempore M. Herennius <sup>56</sup> in mediocribus oratoribus, Latine & diligenter loquentibus, numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Clodius <sup>57</sup>, etsi pro-

<sup>54</sup> Domitium ] C. Domitium Enobarbum, qui tribunus plebis. Cajo Mario 111. L. Aurelio Orete consulibus legem tulit, ut in ceredotes, quos antea collegae sufficerent, populus crearet, quod Patere, lib. 11. refert. Pontificibus enim ostendit, quod alium pontificem quam se in patris sui locum cooptasset, eus sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transfudit, ut Suet. in Nerone testatur. In consulatu vero, quem gessit cum C. Cassio Longino, anno ab U. C. DCLVIII. Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephantum per provinciam invecitus est, turba militum quasi inter solemnia triumphi profusquent: quod Sueton. in Nerone refert. Tanta in eo fuit gravitas, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo objectum L. Crasso in censura college, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur, ut lib. 11. de Orat. dicitur. Idem.

<sup>55</sup> C. Caelio ] C. Caelio Caldo, qui fuit

homo novus, ut leges lib. 1. de Orat. & Verr. VII. & apud Q. Frat. in libro de Petit. Consul. Fuit aequalis Crasso, cui maximo honori fuit illa ipsa, quamcumque ac seque potuit, in dicendo inestocritas, lib. 1. de Orat. Hic iudex absolvit eam injuriam, qui Lucilianum vocavit in scena nominatim laetavit, lib. 11. ad Herenn. Consulatam anno ab U. C. DCLX. cum L. Domitio Enobarbo gessit. Idem.

<sup>56</sup> M. Herennius ] Decurrit ceterorum magistratum gradibus, ad consulatum homo novus pervenit, anno Urbis DCLXI. Profertur.

<sup>57</sup> C. Clodius ] C. Clodius An. F. Pulcher, qui magnificentissime adilitate lib. 11. de Offic. summis est dicitur. Hinc Verr. VI. sic ait: C. Clodius, cuius adilitatem magnificentissimum scimus fuisse, etc. Praetor in Sicilia fuit, & leges Halesibus dedit, Verr. IV. Deinde cum M. Perpenna, anno DCLII. consul fuit.

propter summam nobilitatem, & singularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiam quandam mediocritatem afferebat. Eiusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius <sup>58</sup>, qui, meo iudicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis literis, & sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Attico sileo scripta esse videantur. Easdem argutias in tragœdia satis quidem ille acute, sed parum tragice transfudit. Quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro <sup>59</sup>, qui a senatu hostis cum C. Mario iudicatus est, acer & vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Graecis literis, propinquus noster <sup>60</sup>, factus ad dicendum, M. Gratius <sup>61</sup>, M. Antonii per familiaris, cujus praefectus cum esset in Cilicia, est interfectus: qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratiiani <sup>62</sup> pater.

XLVI. Atque etiam, apud socios & Latinos, oratores habitus sunt Q. Vectius Vectianus <sup>63</sup>, e Maris, quem ipse cognovi, prudens vir, & in dicendo brevis: Q. & D. Valerii

Tom. I.

K k k

Sora-

<sup>58</sup> C. Titius ] De quo scriptum nihil nos potest viderimus. Corradus. Viro docto ac diligenti (Corrado) non venit in mentem Macrobius, Saturn. lib. 11. cap. 12. Mureti.

<sup>59</sup> Q. Rubrius Varro ] Tribunus plebis anno DCLXIII. Hostis postea a Senatu cum Mario & aliis undecim senatoribus iudicatus est. Præfertur.

<sup>60</sup> Propinquus noster ] Avus enim noster Marii Gratiadi forem in matrimonio habuit, lib. 111. de Leg.

<sup>61</sup> M. Gratius ] M. Marius Gratius: cujus videtur is vel filius, vel propinquus fuisse, qui fuit Q. fratris legatus, ut epistol. I. lib. 1. ad Q. fratrem, & in Orat. pro Flacco legitur: quem Cicero magno faciebat. Famul. VII. 1. 2. 3. 4.

<sup>62</sup> M. Marii Gratiiani ] Non dubito, quin hic sit ille, qui lib. 1. de Orat. & lib. 111. de Offic. dicitur cum Sergio Aurato de venditibus adibus litigasse: quem postea Sergius Catilina, vel ob id fortasse, quod cum suo propinquo litigasset, vel quod Marianus

esset, interfecit, ut Q. frater in libello de Petit. Consul. Athon. in Orat. contra Catilinam, & alii testantur. Nunc querimus, qui ratione M. Marii Gratiiani dicitur, nam si natus e M. Mario Gratiadio est, & a Fimbria adoptatus, C. Flavium Fimbria Gratiadianus debuit appellari, sive Fimbria natus, & in Marii five Gratiadii per adoptivum translatus, Marii Gratiadii Flaviani debuit vocari, nisi Cicero, ut alii, vetus nomen voluit retinere, ut in T. Pomponio Attico fecit, quamvis Ciceret illum Q. Ciceri Pomponianum Atticum vocari debere. Diximus autem, videri a Fimbria adoptatum fuisse, quia in libris veteribus ita legitur: qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratiadii patrem. (Atque ita Victorius & Laub.) Verum, si pater legatur, ut in pluribus libris legitur, non erit dubium, quin M. Marius Gratiadianus M. Gratiadii, de quo loquitur Cicero, filius fuerit, a quocumque sit adoptatus. Corradus.

<sup>63</sup> Q. Vectius Vectianus ] De quo quidem nihil nos invenimus. Idem.

Sorani <sup>64</sup>, vicini & familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti & Græcis literis, & Latinis: C. Ruficellus, Bononiensis <sup>65</sup>, is quidem & exercitatus, & natura volubilis. Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus <sup>66</sup>, Alculanus, cujus sunt aliquot orationes Alculi habitæ. Illa Romæ contra Cæpionem, nobilis sane, cui orationi Cæpionis ore respondit Ælius; qui scriptavit orationes multas, orator ipse nunquam fuit. Apud majores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum <sup>67</sup>, Tib. Gracchi, P. filii, fere ætate: ejus etiam oratio est pro Fregellanis, coloniisque Latinis, habita in senatu.

Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid centes, inquam, nisi idem, quod urbanis, præter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam. Tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, jam intelliges, cum in Galliam veneris. Audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: sed hæc mutari, dediscique possunt. Illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam, & resonat urbanus. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in cæteris. Ego memini T. Tincam Placentinum <sup>68</sup>, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eon, inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obreuebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego jam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, cum percontare-

<sup>64</sup> Q. & D. Valerii Sorani ] Q. Valerium Soranum togatorum ætatis sue literatissimum refert apud Ciceronem L. Crassus. Fuit item, ut auctor est Plutarchus in Pompejo, philosophus historicus. De violenta ejus morte consentiunt Historici, de modo & causa dissentiunt. Illi porro Valerii Sorani dicuntur a Sora Latii urbe & colonia, quæ etiamnum vetus nomen retinet. *Profluens*.

<sup>65</sup> C. Ruficellus, Bononiensis ] *Ruficellus* corrigendum est ex auctoritate vetustissimi numismatis ærei, quod est apud me cum in-

scriptione C. *Ruficellus Cordus Ilvir*. Urfinus.

<sup>66</sup> T. Betucius Barrus ] Is fortasse, quem maledicum & mordacem significat Horat. Sat. VII. & Porphyrius ejus interpres Sat. VI. facile incestum cum Emilia Vestali fecisse. *Coraculus*.

<sup>67</sup> L. Papirium Fregellanum ] De quo scriptum nihil legimus. *Idem*.

<sup>68</sup> T. Tincam Placentinum ] De quo Quintilianus, lib. 1. cap. 5.

taretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet; & respondisset illa, atque addidisset, *Hospes, non pote minoris*: tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum arietem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnino sic (ut opinor) in nostris est quidam urbanorum, sicut ille Atticorum, sonus. Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur.

XLVII. Duobus igitur summis, Crasso & Antonio, L. Philippus <sup>68</sup> proximas accedebat, sed longo intervallo, tamen proximus. Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferebat, neque secundum tamen, neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix a carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum abest a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sed tamen eant ea in Philippo, quæ, qui sine comparatione illorum spectarent, satis magna diceret: lumina libertas in oratione, multæ facetiæ, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis: erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo, & maledicto facetus.

Horum ætati prope conjunctus L. Gellius <sup>69</sup>, non tam vendibilis orator, quam ut nescires quid ei desset. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis solutus satis; sed in magnis oratorum incidere ejus ætas: multam tamen operam amicis, &

K k k 2 uti-

<sup>68</sup> L. Philippus ] L. Marcius Philippus, qui gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima, lib. 21. de Offic. Primum in consulatus periculo a M. Herennio fuit favoratus; deinde tamen consul est factus cum Sexto Julio Cæsare. anno ab U. C. DCLXIII. Hujus Philippi ætate oratio apud Sallust. in qua censet, ut Appianus Claudius interrex cum Q. Catulo preconiale & cæteris, quibus imperium est, ubi præsidio sint: operam dent, ne quid respo. detrimenti capiat. *Idem*.

<sup>69</sup> L. Gellius ] L. Gellius Publicola, qui omnibus honoribus ad censuram usque defunctus est, ut Val. Max. lib. V. c. 9. re-

fert. Nam prætor fuit, & ex prætura proconsul in Græciam venit, ut lib. 1. de Leg. est scriptum. Consul item fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno ab U. C. DCLXXXII. & Chrysum acerime pugnantem prælio oppressit, ut ait Oros. lib. v. c. 24. sed ipse a Spartaco vidus, est ade, ut Liv. lib. XCIV. scripsit. Nos igneus crelinus. *Verr. IV.* sic loqui oportere: *Cn. Lentulus & L. Gellius consules*, non autem *Cn. Lentulus & Lucullus*, ut nunc legitur. Bello Piratico Gellius idem Pompeji prætor legatus, ut Florus lib. 111. c. 6. & Appianus in Mithridatico scribunt. *Idem*.



utilem præbuit; atque ita diu vixit, ut multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur.

Iisdem fere temporibus D. Brutus <sup>70</sup>, is, qui consul cum Mamerco fuit, homo & Græcis doctus literis, & Latinis. Dicebat etiam L. Scipio <sup>71</sup> non imperite: Cnæusque Pompejus <sup>72</sup>, Sexti filius, aliquem numerum obtinebat. Nam Sextus, frater ejus, præstantissimum ingenium contulerat ad summam juris civilis, & ad perfectam geometriæ, & rerum Stoicarum scientiam. Item in jure, & ante hos M. Brutus <sup>73</sup>, & paulo post eum C. Bilienus, homo per se magnus, prope simili ratione summus evaserat: qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus, & in eas petitionis angustias incidisset. Cn. autem Octavii <sup>74</sup> eloquentia, quæ fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis concionibus est vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, jam ad oratores revertamur.

Censeo, inquit Atticus. Eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere.

XLVIII. Festivitate igitur, & facetiis, inquam, C. Julius <sup>75</sup>, L. filius, & superioribus, & æqualibus suis omnibus præ-

<sup>70</sup> D. Brutus ] Qui Julianus in consiliis appellatur. Fuit consul anno DCLXXXVIII. Idem.

<sup>71</sup> L. Scipio ] L. Cornelius Scipio Asiaticus, ut in consiliis legitur, quem tamen alii Nasicum vocant, quod in Dione Græco lib. XI. Scipionem Pompeji socerum Nasica filium dici vident, quem hunc esse arbitrantur. Idem.

<sup>72</sup> Cnæus Pompejus ] Cn. Pompejus Strabo, qui prætor a Picentibus victus, non ita multo post occidit fuit, Liv. auctor lib. LXXIV. & Orofius lib. v. cap. 18. Consul cum L. Porcio Catone, anno ab U. C. DCLXV. Marfus acie vicit, quo tempore Cicero in exercitum fuit, Philippica XII. & Vethinos in deditionem accepit, ut Liv. lib. LXXIV. & sequenti retulit. Tunc, ut opinor, etiam transpadanas colonias deduxit, ut Afronius est testis. Cum bellum, quod Cinna & Marius inferebant urbi, optime inter initia potuisset, ejusdem fraude

confirmatum est, qui utramque partem fovendo Cinna vires dedit, nec, nisi profugis optinationibus, auxilium tulit, ut ait Liv. lib. LXXIX. Hic tandem fulgure, ut scribit Appianus, est extinctus, cujus cadaver e lecto detraxit, & projecit populus, qui illum oderat tantum, quantum postea filium dilexit. Plutarch. in Pompejo. Idem.

<sup>73</sup> M. Brutus ] Credimus hunc esse patrem Bruti Accusatoris, de quo supra. Idem.

<sup>74</sup> Cn. Octavii ] Hunc nos putamus filium fuisse illius Cn. Octavii, qui lib. 1. de Orat. consularis appellatur. Consul armis ex urbe collegam suum L. Cinna expulsi, in Orat. III. in Cæsar. qui eundem Cinna non ita multo post reverfus, illi prædici caput iussit, Tusc. V. & exponi pro rostris, ut Flor. lib. 121. cap. 21. scribit. Idem.

<sup>75</sup> C. Julius ] C. Julius Cæsar Strabo, ut a Patreulo & Suetonio vocatur, qui rogatus à Sardis T. Albinus accersivit, Verri- na h.

præstitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditor. Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus, sicut ex ejusdem tragœdiis, lenitas ejus sine nervis perspici potest.

Ejus æqualis P. Cethegus <sup>76</sup>, cui de republica satis suppeditabat oratio. Totam enim tenebat eam, penitusque cognorat. Itaque in senatu consularium auctoritatem assequabatur. Sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. Erat in privatis causis Q. Lucretius Vespillo <sup>77</sup> & acutus & jurisperitus. Nam Aphilia <sup>78</sup> concionibus aptior, quam judiciis. Prudens etiam T. Annii Velina <sup>79</sup>, & in ejus generis causis orator sane tolerabilis.

In eodem genere causarum multum erat T. Juventius <sup>80</sup>, nimis ille quidem lentus in dicendo, & pæne frigidus: sed & callidus, & in capiendo adversario versutus, & præterea nec indoctus, & magna cum juris civilis intelligentia. Cujus auditor P. Orbius <sup>81</sup>, meus fere æqualis, in dicendo non nimis exercitatus, in jure autem civili non inferior, quam magister fuit. Nam T. Aufidius <sup>82</sup>, qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum, eratque & bonus vir & innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater ejus M. Virgilius, qui

na T. & lib. 11. de Offic. & orationem pro Sardinis, ut ait Sueton. in Cæsare, reliquit. Edidit curialis, L. Cæsar, P. Rutilio consularibus, fuit, & adlicius quidem occisus est: sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno plebis fuerit. Nam sperabat, & id agebat hic Cæsar, ut omnia prætura consul fieret: cui cum primis temporibus iure Sulpicium resisteret, postea nimia contentione ad ferrum & arma processit, ut ait Afronius: eam petitionem extraordinariam infra Cicero vocat. Ob hæc illi postea Cinna prædici caput iussit, Tusc. V. Idem.

<sup>76</sup> P. Cethegus ] P. Cornelius Cethegus, prætor an. U. C. DCLXXXI. Præf.

<sup>77</sup> Q. Lucretius Vespillo ] Quis hic fuerit, ignoramus: illud scire videmus, Lucretius patricius fuisse, cum tot Lucretii consules legantur ante, quam plebeii crearentur. Corradus.

<sup>78</sup> Aphilia ] Legunt alii Asella Lucretio,

de quo epitome Livii lib. LXXXVIII. Alii Ostello Lucretio, cujus meminit Patreullus. Divinant alii Ostilius, quem inter jurisconsultos recenset Pomponius. Præf.

<sup>79</sup> T. Annii Velina ] Ex tribu Velina, Velia Romæ collis editor. Idem.

<sup>80</sup> T. Juventius ] Juvenis adhuc historiam non potuimus: illud in Orat. pro Plancio invenimus, Juventium gentem ex municipio Tusculano oriundam consulem fuisse, sed tamen plebejam, quando Juventius Laterensis tibi dicitur petere tributatum plebis coepisse. Corradus.

<sup>81</sup> P. Orbius ] Proconsul Afiam sortitus obtinuit anno Urbis DCXCI. Præf.

<sup>82</sup> T. Aufidius ] Frater M. Virgillii, sed tantum ex eadem matre, que, ut cenfer Pi-phius, Aufidium & Virgillum maritos habuerat, & ex utriusque filios. Quætor fuit anno BCLXX, ac septimo post anno ædilis plebis. Idem.

qui tribunus plebis L. Sylla imperatori diem dixit. Ejus collega P. Magius<sup>83</sup>, in dicendo paulo tamen copiosior.

Sed omnium oratorum, sive rabularum, qui & plane indocti, aut inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo, & acutissimum iudicio nostri ordinis Q. Sertorium<sup>84</sup>, equestris C. Gorgonium<sup>85</sup>. Fuit etiam facilis & expeditus ad dicendum, & vitæ splendore multo, & ingenio sane probabili, T. Junius<sup>86</sup>, L. filius, tribunicius: quo accusante P. Sextius<sup>87</sup>, prætor defignatus, damnatus est ambitus. Is processisset honoribus longius, nisi semper infirma, atque etiam ægra valetudine fuisset.

XLIX. Atque ego præclare intelligo, me in eorum commemoratione versari, qui nec habitus sint oratores, neque fuerint, præteritque a me aliquot ex veteribus, commemoratione, aut laude dignos: sed hoc quidem ignoratione. Quid enim est superioris ætatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere prætermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus. Volo enim sciri, in tanta & tam vetere republica, maximis præmiis eloquentiæ propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos auctos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi possit, quem existimem clamatores, quem oratorem fuisse. Iisdem fere temporibus, ætate inferiores paulo, quam Julius, sed æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius<sup>88</sup>, Q. Varius<sup>89</sup>, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. An-

<sup>83</sup> P. Magius ] P. Magius Philo in tribumata Virgiliti collega anno DCLXVII. Idem.

<sup>84</sup> Q. Sertorium ] Cujus vitam scripsit Plutarchus.

<sup>85</sup> C. Gorgonium ] Hominem nobis prolixum ignotum. Cornutus.

<sup>86</sup> T. Junius ] Tribunus plebis anno Urbis DCLII.

<sup>87</sup> P. Sextius ] Existimabamus olim hunc esse P. Sestium, pro quo Ciceronis exat oratio: nunc vero aliter sentimus, & P. Sestium, quem Cicero defendit, non posse significari, e temporum ratione colliges. Possit igitur hic videri vel pater P. Sestii, præferentem cum P. dicatur, ut filius patris prænomen, quasi de more, referat: nisi Cicero P. Sestium L. filium vocet, epist. 6. lib. v. Famil. quæ res facit, ut ego nunc solum paterem hunc, de quo nunc loquitur, vel illum esse, vel potius patrem illius P. Sestii esse, ad quem epist. 16. lib. v. Familiar. scribit. Idem.

<sup>88</sup> C. Cotta, P. Sulpicius ] Quos in libris de Oratore loquentes inducit: ubi de illis dictum est.

<sup>89</sup> Q. Varius, &c. ] De singulis inferiori, ubi seorsum appellabuntur.

P. Antistius: nec ulla ætate uberior oratorum factus fuit. Ex his Cotta & Sulpicius, cum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt.

Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, cum tuo iudicio, tum omnium? Semperne in oratore probando, aut improbando, vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? An alii probantur a multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt?

Recte requiris, inquam, Attice: sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent. An tu, inquit, id laboras, si huic modo Bruto probaturus es?

Plane, inquam, Attice, disputationem hanc de oratore probando, aut improbando, multo malim tibi, & Bruto placere: eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Nam, quid in dicendo rectum sit, aut pravum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim, aut sciam iudicare: qualis vero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. Tria sunt enim (ut quidem ego sentio) quæ sint efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicitur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiiis orator aut non assequatur hæc, aut etiam in his labatur, & cadat, artifex aliquis iudicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit; vulgi assensu, & populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit.

An centes, dum illi vigerent, quos ante dixi, non eodem gradus oratorum vulgi iudicio, & doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses, Quis est in hac civitate eloquentissimus? In Antonio & Crasso aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret. Nemone Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem; tam facetum, his anteferet, quem nosmetipsi, qui hæc arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto. Id enim ipsum est summi

mi oratoris, summum oratorem populo videri. Quare tibi-  
cen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populam,  
*Mibi cane, & Musis*: ego huic Bruto dicenti, ut solet, ap-  
ud multitudinem, *Mibi cane, & populo, mi Brute*, dix-  
erim; ut, qui audient, quid efficiatur; ego, etiam cur id  
oratorum; vera putat; assentitur; probat; fidem facit oratio.  
Tu artifex, quid quaeris amplius? Delectatur audiens multitu-  
do, & ducitur oratione, & quasi voluptate quadam perfundi-  
tur. Quid habes quod dispueres? Gaudet, dolet, ridet, plo-  
rat, favet, odit, contemnit, invidet; ad misericordiam in-  
ducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur,  
sperat, timet: haec perinde accidunt, ut eorum, qui adsunt,  
mentes verbis, & sententiis, & actione tractantur. Quid est,  
quod expectetur docti alicujus sententia? Quod enim probat  
multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc spe-  
cimen est popularis iudicii, in quo nunquam fuit populo cum  
doctis intelligentibusque dissensio. Cum multi essent oratores  
in vario genere dicendi, quis unquam ex his excellere judica-  
tus est vulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur?  
Quando autem dubium fuisset apud patres nostros, eligendi  
cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut  
Crassum? Aderant multi alii; tamen utrum de his potius,  
dubitasset aliquis: quin alterum, nemo. Quid adolescentibus  
nobis, cum esset Cotta, & Hortensius, num quis, cui quidem  
eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat?

LI. Tum Brutus, Quid tu, inquit, quaeris alios? de te  
ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius judica-  
ret, videbamus? qui cum partiretur tecum causas, (saepe e-  
nim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio,  
semper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam: &  
mihi, benevolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. Sed  
ego, quae de me populi sit opinio, nescio: de reliquis hoc  
affirmo, qui vulgi opinione discretissimi habiti sint, eosdem  
intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos. Nec enim  
posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum  
Cla-

Clarium poetam ferunt, qui, cum, convocatis auditoribus,  
legeret eis magnam illud, quod novistis, volumen suum, &  
eum legentem omnes, praeter Platonem, reliquissent, *Legam*,  
inquit, *nihilominus: Plato enim mihi unus instar est omnium  
millium*. Et recte. Poema enim reconditum, paucorum ap-  
probatione; oratio popularis ad sensum vulgi debet moveri.  
At, si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet De-  
mosthenes, cum esset relictus a caeteris, verbum facere non  
posset. Quid, tu, Brute, posses, si te, ut Curionem quon-  
dam, concio reliquisset? Ego vero, inquit ille, ut me tibi  
indicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum  
iudicibus est, non cum populo, tamen si a corona relictus  
sim, non queam dicere. Ita se, inquam, res habet. Ut, si  
tibi inflata non referant sonum, abjiciendas eas sibi tibicen  
putet: sic oratori populi aures tanquam tibiæ sunt: eæ si in-  
flatum non recipiunt, aut si auditor omnino tanquam equus  
non facit<sup>99</sup>, agitandi finis faciendus est.

LII. Hoc tamen interest, quod vulgus interdum non pro-  
bandum oratorem probat, sed probat sine comparatione, cum  
a mediocri, aut etiam a malo delectatur: eo est contentus:  
esse melius non sentit: illud, quod est, qualecumque est, pro-  
bat. Tenet enim aures vel mediocri orator, sit modo ali-  
quid in eo: nec res ulla plus apud animos hominum, quam  
ordo & ornatus orationis valet. Quare quis ex populo, cum  
Q. Scavolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa,  
de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut  
omnino melius aut expectaret, aut posse fieri putaret? Cum  
is hoc probare vellet, M. Curium, cum ita heres institutus  
esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam  
venisset, pupillo non nato heredem esse non posse: quid ille

Tom. I. LII non

<sup>99</sup> Aut si auditor omnino tanquam equus  
non facit? Id sine omni gratia leporeque  
dictum videtur, sed & varie explicatur. E-  
go ne quem reprehendam, qui factis ipse  
pecco, ut censoribus potius fatigare debeam,  
quam in aliis defendendis me occupare: puto  
facere verbum esse circense: quod ex eo ap-  
paret, quia factio, quæ a faciendo nomen

adepta sunt, in circo quatuor erant: & in  
Iulii pile factores etiam Plautus dicit. E-  
quam igitur puto non facere, qui aurigæ  
non parerent: nec curricula corripit spaium,  
nec adjuvat in partem ad victoriam: sed  
segris & ignavus est, nec sentit stimulos,  
nec aurigam audit. Turneb. Advers. xiv. 22.

non dixit de testamentorum jure? de antiquis formulis? quid, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres instrueretur? Quam captiosum esse populo, quod scriptum esset, negligi, & opinione quari voluntates; & interpretationes disertorum, scripta simplicium hominum pervertere? Quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper jus illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando jure civili? Quae quidem omnia cum perite, & scienter, tum & breviter, & presse, & satis ornate, & perleganter diceret; quis esset in populo, qui aut expectaret, aut fieri posse quidquam melius putaret?

LIII. At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalum reperisset, ob eamque rem edificare navem concupivisset, exorsus est: similiter Scævola ex uno scalmo captivus, centumvirale iudicium hereditatis effecisse: hoc in illo initio consecutus, multis ejusdem generis sententias delectavit, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit: quod est unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensitse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerisque, & id valere, & valuisse semper. Haec, & multa ejusmodi dicens, fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officii aliorum. Deinde æquum bonum, testamentorum sententias, voluntatesque tutatus est: quanta esset in verbis captio, cum in cæteris rebus, tum in testamentis, si negligenter voluntates: quantam sibi potentiam Scævola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. Haec cum graviter, tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule, & facete explicans, eam admirationem, assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. Hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem, audito altero, iudicium suum contemneret. At vero intelligens & doctus, audiens Scævola, sentiret esse quoddam

dam uberius dicendi genus & ornatus. Ab utroque autem, causa perorata, si quaeretur uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet.

LIV. Qui praestat igitur intelligens imperito? magna re & difficili: si quidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur, amittaturve dicendo illud quicquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit. Nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet; sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. Itaque intelligens dicendi existimator, non assidens, & attente audiens, sed uno aspectu, & praeteriens, de oratore saepe iudicat. Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas; quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit, oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicium admoveere orationem, tanquam fidibus manum. Idem si praeteriens adspexerit erectos intuentes iudices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur: aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione, quasi suspensos, teneri: aut, id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos esse vehementius: ea si praeteriens (ut dixi) adspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem versari in illo iudicio, & opus oratorum fieri, aut perfectum jam esse, profecto intelligit.

LV. Cum haec disseruissem, uterque assensus est, & ego tanquam ab integro ordiens. Quando igitur, inquam, a Cor-ta & Sulpicio haec omnis fluxit oratio, cum hos maxime iudicio illorum hominum, & illius aetatis dixissem probatos, revertat ad eos ipsos: tum reliquos, ut institui, deinceps persequar. Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera sunt, unum attenuate, pressequer; alterum sublata, ampleque dicentium: etsi id melius est, quod splen-

didius & magnificentius, tamen in bonis omnia, quæ summa sunt, jure laudantur. Sed cavenda est pressio illi oratori inopia & jejunitas: amplo autem, inflatum & corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute: & ut ad infirmitatem laterum perscipienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi sicum, atque sanum: illudque maximum, quod, cum contentione orationis flectere animos judicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis, &, ut ita dicam, tragicus orator. Vox cum magna, tum suavis & splendida; gestus & motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur: incitata & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari, Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.

LVI O magnam, inquit, artem! Brutus: si quidem istis, cum summi essent oratores, duæ res maximæ, altera alteri defuit.

Atque in his oratoribus illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio; & uterque æqualibus suis plurimum præstitit. Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque: & ea duce utentem sic instituire, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Sulpicii orationes, quæ feruntur, eas post mortem ejus scripsisse P. Caninius putatur, æqualis meus, homo extra nostrum ordinem, meo judicio, disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est: sæpeque ex eo audiui, cum se scribere neque consuevit, neque posse diceret. Cottæ<sup>b</sup> pro se lege Varia quæ inscribitur, eam L. Ælius scripsit Cottæ rogatu.

<sup>a</sup> Et uterque ] Lamb. ut uterque

<sup>b</sup> Pro se lege ] Lamb. delet se.

tu. Fuit is omnino vir egregius, & eques Romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus & Græcis litteris & Latinis: antiquitatilque nostræ & in inventis rebus, & in æstis, scriptorumque veterum literate peritus. Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio præstans, omnique doctrina, pluribus & illustrioribus literis explicavit. Sed idem Ælius, Stoicus esse voluit; orator autem nec studuit unquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello<sup>a</sup> filio, ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompejo Rufo<sup>b</sup>: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Ælio. His enim<sup>c</sup> scriptis etiam ipse interfuit, cum essem apud Ælium adolescens, eumque audire persudiose solerem. Cottam autem miror summum ipsum oratorem, minimeque ineptum, Ælianus leves oratiunculas voluisse existimari suas.

LVII. His duobus ætatis annumerabatur nemo tertius: sed mihi placebat Pomponius maxime; vel dicam, minime displicebat. Locus erat omnino in maximis causis, præter eos, de quibus supra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat. Horum qui neutrum habebat, confugebat ad Philippum fere, aut ad<sup>b</sup> Cæsarem: Cotta & Sulpicius expetebantur. Ita ab iis sex patris causa illustres agebantur: neque tam multa, quam nostra ætate, judicia fiebant: neque hoc, quod nunc fit, ut causæ singulæ defenderentur a pluribus; quo nihil est vitiosius. Respon-

<sup>a</sup> Q. Metello ] Vis sciri posse certo credimus, quis hic Q. Metellus fuerit, cum tot eo tempore fuerint Metelli: quia tamen cum duobus consularibus numeratur, & videtur accusatus fuisse, sic ut L. filii oratione usus ad se defendendum dicatur, putamus hunc esse Q. Cæcilium Metellum Nepotem, Balarici filium, qui consul cum T. Didio, anno ab U. C. DCXVI. fuit, & a C. Corione patre fuit accusatus, ut Aconius scribit. *Corradus.*

<sup>b</sup> Q. Pompejo Rufo ] Qui prætor urbanus paucis diebus antequam L. Crassus de Oratore loqueretur, lib. 1. de Orat. & po-

stera consul cum L. Cornelio Sylla, anno ab U. C. DLXVI. fuit, ut Cicero Orat. 1. & II. contra Rullum meminit: cujus etiam consulis filium, eundemque Syllæ generum P. Sulpicius per emissarios factionis suæ interfecit, ut Liv. lib. LXXVII. & Paterec. lib. 11. scribunt. Nec ita multo post Q. ipse Pompejus adhuc consul ab exercitu C. Pompeji, Strabonis proconsulis seditione, sed quam dux excitaverat, interfecit. *Idem.*

<sup>c</sup> Scripsit ] Lamb. scribendis.

<sup>b</sup> Cæsarem ] Lamb. Cæsarem: secundum Philippum, & Cæsarem, Cotta &

pondemus iis, quos non audivimus: in quo primum sæpe aliter est dictum, aliter ad nos relatum: deinde magni interest coram videre me, quemadmodum adversarius de quaque re affereret; maxime autem, quemadmodum quæque res audiat. Sed nihil vitiosius, quam, cum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, cum sit ab altero perorata. Omnium enim causarum unam est naturale principium, una peroratio: reliquæ partes, quasi membra suo quæque loco locata, suam & vim, & dignitatem tenent. Cum autem difficile sit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat; quanto difficilius cavere, ne quid dicas quod non conveniat ejus orationi, qui ante te dixerit? Sed quia & labor multo major est, totam causam, quam partem dicere, & quia plures inveniuntur gratia, si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter adscivimus.

LVIII. Erant tamen, quibus videretur illius ætatis tertius Curio<sup>92</sup>, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur: & quia Latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico. Nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pedagogi, matres etiam loquantur. Legimus epistolas Cornelia, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Lælia Caji filia sæpe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus: & filias ejus Mucias am-

<sup>92</sup> Curio ] C. Scribonius Curio, Curionis oratoris filius, Tribunus plebis fuit, L. Cæsare, P. Rutilio cons. Videtur prætor in Asia fuisse: certe ibi cum esset, illi Sylla imperavit, ut Nicomedem & Aerobazantem in Cappadociam deduceret, ut Appianus in Michridatico refert. Ejus etiam opera in capiendis Athenis usam Syllam fuisse testis est Plutarchus. Deinde cum Cn. Octavio, anno ab U. C. DCLXXVIII. consul fuit, ut Plinius ostendit lib. 21. c. 35. Proconsul postea Dardanos in Thracia domuit, ut Frontinus lib. 2. c. 3. refert, ubi tamen M. Curio, pro C. Curione male legitur. Videndus etiam Marcellin. lib. 21. c. 2. ex quo

cognoscimus in eo fuisse prædianum, quam Cicero in Orat. pro Leg. Manil. commendat. Fuit etiam pontifex, ut in Orat. de Reponsis apparuit: cuius locum tum filius videtur petisse, cum Cicero lib. 21. Fam. scripsisset ad eum, se de sacerdotio laborasse; est scio arguendum posse significari. Hic Ciceronis amicissimus fuit, ita ut ejus consalatum de eodem, ut lib. 1. ad Attic. leges, appellaret. Cicero tamen illum sæpe mordebat. Deceffit non ita multo ante quam Cicero in Ciliciam proficisceretur, ut ex lib. 11. Fam. cognoscimus: cum vir optimus fuisset, ut Val. Max. lib. 1. c. 1. ostendit. Idem.

ambas<sup>94</sup>, quarum sermo mihi fuit notus: & neptes Licinias<sup>95</sup>, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; & eo lubentius, quod L. Crassi erat filia.

Quid Crassum, inquam, illum censet istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit. Et vero hic Scipio<sup>96</sup>, collega meus, mihi sane bene & loqui videtur, & dicere. Recte; inquam, judicas, Brute. Etenim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam & de duobus avis jam diximus, Scipione & Crasso: & de tribus proavis, Q. Metello, cujus quatuor filii: P. Scipione, qui ex dominatu Tib. Gracchi privatus in libertatem rempublicam vindicavit: Q. Scævola augure, qui peritissimus juris, idemque<sup>a</sup> percomis est habitus. Jam duorum abavorum quam est illustre nomen: P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est *Corculum* dictus; alterius omnium sapientissimi, C. Lælii<sup>97</sup>? O generosam, inquit, stirpem! & tanquam in unam arborem plura genera; sic in istam domum multorum insitam atque<sup>b</sup> illuminatam sapientiam!

LIX. Similiter igitur suspicor, ( ut conferamus parva magnis,

<sup>94</sup> Mucias ambas ] M. Mucii Scævola auguris & Læliae filias, & Mucias a patre de more nominatas, quarum altera L. Crasso nupsit, lib. 1. de Orat. altera C. Mario, ut nos putamus. Certe Plutarchus Mucium Marii *εὐσφύλι* vocat: Ob id fortasse Marius L. Crassi affinis a Cic. lib. 2. de Orat. & in Orat. pro Corn. Balbo vocatur. Scimus quidem quod idem Plutarch. in Cæsare scribit, Marium Julianum uxorem habuisse, sed duas habere potuit. Videtur etiam Marius filius L. Crassi filiam uxorem duxisse, unde Marius quidam, qui se M. filium esse dicebat, L. Crassum avum suum vocabat, ut ep. 41. lib. 21. ad Attic. leges. Idem.

<sup>95</sup> Licinias ] L. Licinii Crassi & Muciae filias. Idem.

<sup>96</sup> Scipio ] Publius, ut putamus, vel Lucius, ut est apud Appianum lib. 11. Scipio, L. Scipionis & Liciniae alter filius, qui & ipse adoptatus, Q. Metellus Q. F. Pius Sci-

pilio fuit appellatus: ut epist. 8. lib. 1. 1. Famil. legitur: qui cum fuisset consul cum Pompejo genero, & bellum cum Cæsare in Africa gessisset, se ipse tandem interfecit: quod etiam factum est antequam Dialogus hic fieret, Brutus tamen de illo tanquam vivo loquitur, nisi forte prius hic Dialogus fuerit comatus, & postea absolutus: vel hic alius sit Scipio, cuius historiam nos invenire non poterimus. Brutus autem illum vocat collegam suum, nam Brutus pontifex fuit. Idem.

<sup>a</sup> Percomis ] Man. idemque patronus est <sup>97</sup> C. Lælii ] De quo jam supra. Is pater fuit Læliae, que nupsit Q. Scævola auguri: unde nata est Mucia L. Crassi uxor, & mater Liciniae, ex qua natus est hic Scipio, cuius ipse Lælius ob id avus fuit. Idem.

<sup>b</sup> Illuminatam ] illuminatam

gnis) Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum: & eo magis hoc iudico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat: non publicum jus, non privatum & civile cognoverat: quanquam id quidem fuit etiam in aliis, & magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. Sed ii tamen unum illud habebant, dicendi opus elaboratum: idque cum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. In quacumque enim una plane claudicaret, orator esse non posset. Sed tamen alius in alia excellerebat magis: reperiebat, quid dici opus esset, & quo modo preparari, & quo loco locari: memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione: erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora. At Crassi magis enitebat oratio. Nec vero Sulpicio, neque Cotta dicere possumus, neque cuiquam bono oratori, rem ullam ex illis quinque partibus plane, atque omnino defuisse. Itaque in Curione hoc verissime judicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore & copia. Nam cum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit.

LX. Reliqua duo sunt, agere, & meminisse. In utroque cachinnos irradientium commovebat. Motus erat is, quem & C. Julius in perpetuum notavit, cum ex eo, in utramque partem toto corpore vacillante, quasivit, *quis loqueretur e linere* <sup>98</sup>: & Cn. Sicinius <sup>99</sup>, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam. Is cum tribunus plebis Curionem & Octavium contules produxisset,

<sup>98</sup> *Lagueretur e linere* ] Nam qui vacillant in utramque partem loquentes, e linere loqui videntur: quod linere, cum sit navicula, facile in utramque partem vacillat, si quis modo velit in eo stare & loqui. *Idem.*

<sup>99</sup> *Cn. Sicinius* ] Illam esse credimus, de quo Plutarchus in Crasso. Sicinii vero plebei fuerunt. Nam Sicinius primus tribunus plebis fuit, in Liv. lib. 11. scribit: & hic Sicinius tribunus plebis hoc loco dicitur. *Idem.*

fet, Curioque multa dixisset, sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic musca comedissent*. Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreretur. Qui in iudicio privato vel maximo, cum ego pro Titinia Cotta peroravissem, ille contra me pro Ser. Nevio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis & cantionibus Titiniae factum esse dicebat. Magna hæc immemoris ingenii signa: sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis oblivisceretur, quid paulo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu, & cum Panfa nostro, & cum Curione filio colloquentem facit, cum senatum Cæsar consul habuisset, omnisque ille sermo ductus e peroratione filii, quid in senatu esset actum. In quo multis verbis cum invehretur in Cæsarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consueto dialogorum, cum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Cæsar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.

LXI. Tum Brutus admirans, Tantamne fuisse oblivionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitii commisisset! Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam, si ea vituperare volebat, quæ vituperavit, non eo tempore instituere sermonem, cum illarum rerum jam tempora præterissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat, in senatum se, Cæsare consule, non accedere, sed id dicat ipso consule exiens e senatu. Jam qui hæc parte animi, quæ custos est cæterarum ingenii partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset, quid paulo ante posuisset, huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem. Itaque cum ei nec officium deesset, & flagraret studio dicendi, perpaucæ ad eum causæ deferebantur. Orator autem, vivis ejus aequalibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ut ante

dixi, & expeditam ac profluentem quodam modo celeritatem. Itaque ejus orationes adspiciendas tamen cenfeo. Sunt illæ quidem languidiores; verumtamen possunt augere, & quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus: quod habet tantam vim, ut solum sine aliis in Curione speciem oratoris alicujus effecerit. Sed ad instituta redeamus.

LXII. In eodem igitur numero ejusdem ætatis C. Carbo<sup>1</sup> fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator; sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas, & facile dicebat, & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius<sup>2</sup> rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus: fortis vero actor, & vehemens, & verbis nec inops, nec abjectus, & quem plane oratorem dicere aude- res. Cn. Pomponius<sup>3</sup> lateribus pugnant, incitans animos, acer, acerbus, criminofus.

Mulum ab iis aberat L. Fufius<sup>4</sup>; tamen ex accusatione M. Aquilii diligentia fructum cepit<sup>5</sup>. Nam M. Drusum<sup>6</sup>, tuum

<sup>1</sup> C. Carbo] Hunc inserit hoc loco, cum supra de illo cum aliis non proposuerit: sed facit, ut opinor, ne medietas in dialogo dicere videatur. Hic tribunus plebis fuit, ut est in Oratore; de quo etiam Val. Max. lib. 111. cap. 7. Haud equidem certo scio, an ille sit, quem Damastippus increp- cit, ut legitur apud Ciceronem epist. 21. lib. 12. Famil. Idem.

<sup>2</sup> Q. Varius] Q. Varius Suetonensis a Quintiliano lib. 5. cap. 12. & ab auctore libelli de Viris Illustribus appellatus, ab oppido Hispaniæ. De Vario Crassus libro 12. Oratore ita loquitur: *Quis vestrum æquale meum Q. Varius, Græcæ. Nec me mover, quod Crassus suum vocet æqualem, & hic Cicero Coræ & Sulpicio faciat æqualem, quoniam potuit aliquanto minor natu Cras- so, & aliquanto major Coræ & Sulpicio ita esse, ut & Crasso & his duobus æqualis appellari posset: nisi, quod ego minus probo, credat aliquis alterum fuisse. Hic san- mo tractatu supplicatioque perit, ut legitur lib. 111. de Nat. Deorum, c. 23. Val. Max. quoque lib. 11. cap. 2. hominem seditionissi- mum & abjectissimum vocat, qui etiam vi-*

dentus est lib. viii. cap. 6. Idem.

<sup>3</sup> Cn. Pomponius] Quæstor, tribunus plebis, ac denique prætor anno DCLVII. *Pro- fectus.*

<sup>4</sup> L. Fufius] Quem frater dicit Antonius, lib. 11. de Orat. cap. 22. ad nomen ejus respiciens. *Fufius enim & Fufius, quemadmodum Valerius & Valerius commutantur, ut observat Quintilianus lib. 1. cap. 4. l. dem.*

<sup>5</sup> Ex accusatione M. Aquilii diligentia fru- ctum cepit] Fuit M. Aquilii consul cum C. Mario, anno ab U. C. DLIII. unde Mar- ti collegam lib. 11. de Orat. vocat. Illum Romani multis avaritia criminibus, ressi- monitiisque convulsim, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, liberaverunt; ut ait in Orat. pro Flacco. *Corradus.*

<sup>6</sup> M. Drusum] M. Livium Drusum, M. Drusi & Corneliæ, ut in Consol. ad Mar- ciam Seneca refert; filium; qui pupillus ad- huc cum esset & prætextatus, iudicibus reos commendabat, & se hic interponebat, ut de seclatè dicere, sibi uni, ne pueri quidem, unquam ferias contigisse: quod Seneca

tuum magnum avunculum<sup>7</sup>, gravem oratorem, ita dun- taxat cum de republica diceret; L. autem Lucullum etiam acutum; patremque tuum, & Brute, juris quoque & publici, & privati sane peritum; M. Lucullum<sup>8</sup>; M. Octavium<sup>9</sup>, Cnæi filium, qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam, populi frequentis suffragiis abrogaverit; Cn. Octavium, M. filium; M. Catonem<sup>10</sup> pa- trem; Q. etiam Catulum<sup>11</sup> filium abducamus ex acie, id

M m m 2 est,

ta in lib. de Brev. Vitæ scribit. Ob id Ci- cero lib. 1. de Offic. dixit, in eo adolescen- te gravitatem singularem fuisse. Hic quæ- stor in Asia nullis insignibus viri voluit, ne quid ipso esset insignis. Morbo comitiali helleboro in Anticyra insula constat esse li- beratum, ut Plinius lib. xxv. c. 5. & Gellius lib. xvii. c. 15. retulerunt. Inter hunc & Capionem ex annulo in auctione venali inimicitia cooperunt; unde origo socialis belli & exitia rerum, ut ait Plin. lib. xxv. cap. 5. & Gell. lib. xvii. c. 15. In atrio do- mus suæ custodia est percussus, quod scri- bunt Patruclus lib. 11. Liv. lib. LXX. Ap- pianus lib. 1. Orof. lib. v. c. 18. & Cicero ipse Orat. pro Milone. Idem.

<sup>7</sup> Magnum avunculum] Maternæ aviæ fratrem, ut Grammatici docent, & tu ita colliges: M. Livius Drusus, qui senatus est patronus appellatus, habuit filios M. Livium Drusum, de quo loquimur, & Liviam, quæ mater fuit Catonis. Ita Drusus pater, Ca- tonis fuit aviæ mater: lib. 10. de Fin. Drusus vero filius, ejusdem Catonis avuncu- lus fuit, ut Livie matris frater, ut a Cice- rone in Orat. pro Milone, a Valer. Max. lib. 111. c. 1. & a Plutarcho vocatur. Ead- dem porro Liviam, mortuo priore marito, nupsit Q. Servillio Capioni, unde nata est Bruti mater Liviam, quæ ex matre soror fuit Catonis. Et sic Cato, ut Serviliæ fra- ter, Bruti fuit avunculus: Liviam fuit aviæ materna, & M. Drusus, ejus frater, ma- gnus avunculus. Idem.

<sup>8</sup> M. Lucullum] L. Luculli fratrem, ut Plutarch. in Lucullo docet, quævis Entro- pium confobrimum vocet. In lapidibus certe Romanis L. Lucullus, L. F. & hic M. F. dicitur; qui L. Syllæ imperatoris quæstor fuit, & postea, ut unus e Syllanis ducibus ad Fidentiam feliciter pugnavit. Cum fratre

fuit ad illis; apud Plinium, viii. 7. Hic prætor inter peregrinos jus dixit, & contra C. Antonium, quod Græci postulabant, de- crevit, ut Afcionius ostendit. Consul cum C. Cassio fuit, ut in Orat. pro Cluent. legitur; unde Verrina III. sic esse legendum cogno- scimus: *Nobis respondit, cum ab eo tabulas postularemus, usque ad M. Lucullum & C. Cassium cass. confessisse, postea desistisse.* Pro- consul hic in Macedonia Curioni succentit, & totam Bessorum gentem, bello appetitam, in destitutionem accepit, ut auctor est Oro- sius lib. vi. c. 3. & ad terminum gentium Tamam lacumque Macedoniam pervenit, ut Flor. lib. 111. cap. 4. refert; Hinc postea L. Lu- culli fratris tutela permittit, cum ille a- lienata mente desipere cepisset. Ante Cice- ronem ex lium videtur L. Lucullus vel decess- sisse vel secessisse, vel certe nihil curasse, quando nusquam dicitur Ciceronem adjuvis- se, ut si vixisset vel valuisset, profus ad- juvisset; ab eo in triumpho aditus, lib. 11. Acad. Quæritur M. ipse Lucullus adjuvit, ut refertur in Orat. in Pisonem, & de Har. Ref. ubi postea etiam vocatur, ut epist. 2. lib. 10. ad Attic. significatur. Hic M. Lucullus ante bellum civile decessit, cui vel ob id Patruclus gratulatur. Idem.

<sup>9</sup> M. Octavium] Illum fortasse, quem Verrina III. Liguriam vocat, & laudat: vel illum, quem cum C. Cotra consulem anno DCLXXIX. esse, & Lucium vocari videmus. Ille certe Cn. F. in lapidibus Romanis ap- pellatur. Idem.

<sup>10</sup> M. Catonem] M. Porcium Catonem, qui tribunus plebis fuit, & prætorum pe- tem, mortem obiit, ut Gellius lib. x111. cap. 19. scribit. Idem.

<sup>11</sup> Q. Catulum] Viri consularis & trium- phalis filium. Quæstor fuit; tribunus plebis, ad illis, & prætor. *Proff.*



est, a iudiciis, & in praesidiis reipublicae, cui facile satisfacere possint, collocemus.

Eodem Q. Capionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus, a senatu discedisset. Cn. Carbonem <sup>12</sup>, M. Marium <sup>13</sup>, & ex eodem genere complures minime dignos elegantibus conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus. Quo in genere (ut in iis perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quintius <sup>14</sup> fuit: aptior autem etiam Palicanus <sup>15</sup> auribus imperitorum. Et, quoniam hujus generis facta mentio est, seditionum omnium post Gracchos, L. Apulejus Saturninus <sup>16</sup> eloquentissimus visus est: magis specie tamen & motu, atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiae. Longe autem post natos homines improbilissimus C. Servilius Glauca <sup>17</sup>, sed peracutus

<sup>12</sup> Cn. Carbonem ] Cn. Papirium Carbonem, qui Marianus fuit, etiam ante, quam consul fieret, ut Liv. lib. LXXIX. & sequi scripti: deinde cum L. Cinna & ipse Carbo a se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam parassent, ac tandem Cinna ab exercitu suo interceptus esset, consulatum Carbo solus gessit, ut Liv. lib. LXXXIII. & Patere. lib. 11. praeter alios ostendunt. Tandem illum consulem 111. cum C. Mario C. F. Sylla, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Elicantiamque caeso, Italia expulsi, ut ait Liv. lib. LXXXVIII. quem Pompeius in Sicilia captum occidit. Auctores Livio Livium, Valer. Max., Patereculum, Plutarchum, & Appianum, qui res illas pluribus explicavit. *Corradus*.

<sup>13</sup> a M. Marius ] M. Marius Gratidianum, M. Marii Gratidiani filium, cujus caput abscissum per urbem sua manu Castilia tulit, & alia fecit, quae scribunt Q. Cicero de Terit. Consul. & illi. Hunc bis praetorem fuisse scribit Aconius. Cum vero praetor esset, collegas, tribunosque plebis eo modo decepit, quem Cicero, qui fuit Africanus lib. 11. de Offic. non probavit. Liv. et cum Sergio Aurata fuit es, quam Cicero lib. 1. de Orat. & lib. 111. de Offic. ponit. *Idem*.

<sup>14</sup> Quintius ] Tribunus plebis, anno DCCLXX.

<sup>15</sup> Palicanus ] M. Lollius Palicanus, qui & ipse tribunus plebis fuit, et nomen duobus post L. Quintium, L. Gellio & Cn. Lentulo

consulibus, Val. Max. lib. 111. cap. 8. testatur ita desideriosum fuisse, ut C. Piso consul illum suffragis populi consulem creatum renunciare noluerit, quod dicerent non existimasse se, tantis tenebris offusum esse Rem. ut hoc indignitatis veniret. Hinc Cicero epist. 1. lib. 1. ad Attic. scripsit: *De Palicano non potest se expectare, dicit scribentis: quod verisimile non esset illum, qui tam turpiter repulsus fuisset, iterum consulatum petiturum. Lollius ab Aconio dicitur, & ita gens Lollia plebeja cognoscitur. Corradus*.

<sup>16</sup> L. Apulejus Saturninus ] Tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. Gracchanus enim leges asserere non desistit, ut ait Flor. lib. 111. cap. 16. Nam legem agrariam tulit, ut Liv. lib. LXIX. scripsit, quam Plutarchus in Mario *de rebus* ejus appellare videtur. Turbulentissimi hujus hominis res narrantur a Livio, Patereculo, Appiano, Floro, Orofio, & aliis. *Idem*.

<sup>17</sup> C. Servilius Glauca ] De quo loquitur omnes historici, qui de L. Anuleio Saturnino scribunt. Is populum seclat monere, ut, cum lex aliqua recitaretur, primum verum attenderet: si esset dictator, consul, praetor, magister equitum, ne laboraret: sciret nihil ad se pertinere: si non, *Quicunque post hanc legem, videre ne qua nova quaestione alligaretur. Hoc Cicero in Orat. pro Rabirio Posthumo scribit. Idem*.

& callidus, cum primisque ridiculus. Is, ex summis & fortunae & vitae sordibus in praetura, consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset. Nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis <sup>17</sup> devinxerat. Is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario & Flacco consulibus, publice est interfecit; homo simillimus Atheniensis Hyperboli <sup>18</sup>, cujus improbitatem veteres Atticorum comediae notaverunt.

Quos Sex. Titius <sup>19</sup> consecutus, homo loquax sane & satis acutus, sed tam solutus & mollis in gestu, ut saltatio quadam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. Ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cujus imitatio rideatur.

LXIII. Sed ad paulo superiorem aetatem reverti sumus: nunc ad eam, de qua aliquantum sumus locuti, revertamur. Coniunctus igitur Sulpicii aetati P. Antistius <sup>20</sup> fuit, rabula sane probabilis, qui multos cum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra G. Julii illam consulatus petitionem extraordinariam, veram causam agens, est probatus: & eo magis, quod eandem causam cum ageret ejus collega ille ipse Sulpicius, hic plura & acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multa ad eum causa, deinde omnes, maximae quaecumque erant, deferrebantur. Rem videbat acute, componebat diligenter;

<sup>17</sup> Leges ] Quam primus ipse Glauca tulit, ut comprehenderetur reus, Verrina III. quam legem Glauca vocat Aconius, ob id fortasse, ne, si lex *Servilia*, ut debuit, diceretur, cum legibus aliis Serviliis confunderetur. Tulit certe legem ad judicia pertinentem, quae tunc equites exercebant. Hinc Aconius ita scribit: *Q. Servilius Capiti Saturnum ab Iteprionis Aelianae novissimam, & adversus leges pecuniarum captorum, remissa fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glauca*. In quibus quidem verbis Aconius, legationis Africae, de qua scribit Sallustius, videtur legendum. *Idem*.

<sup>18</sup> Hyperboli ] Lucernarum faber improbus; quippe qui faciendis lucernis non aere solum, sed plumbo etiam uteretur, quo pluris eas, ut graviore, venderet, & sic em-

ptores decipiebat; qui tamen *quod res ad Kalliope Luceoia Iteprione res dixerunt, ut Aristobolus interpres in Nubb. & in Pace scribit*. Fuit etiam *quod res ad Nubb. ut idem interpres ait in Acharn. Aristobolus de rebus illi dicit, notavit res ad res, ut interpres idem in Rami refert. Idem*.

<sup>19</sup> Sex. Titius ] Tribunus plebis anno DCCLV.

<sup>20</sup> P. Antistius ] P. Antistius Laebo tribunus plebis cum collega P. Sulpicio Rufo acriter resistit C. Caesari Scraho consulatum contra leges petenti. Triennio post praetor Pompejo cum filiam collocasset, quasi Sylle paribus addidit, a Damaspippo in senatu interfecit. *Plut. in Pompejo*. Præ-

ter; memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. Expedita autem erat, & facile currens oratio. Et erat ejus quidem tanquam habitus non inurbans: actio paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sylla sine jure fuit & sine ulla dignitate republica. Hoc etiam autem magis probabatur, quod erat ab oratoribus quadam in foro solitudo. Sulpicius occidebat, Cotta aberat, & Curio: vivebat e reliquis patronis ejus aetatis nemo praeter Carbonem & Pomponium: quorum utrumque facile superabat.

LXIV. Inferioris aetatis erat proximus L. Sisenna<sup>21</sup>, doctus vir, & studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus reipublicae, non sine facietis: sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis; interjectusque inter duas aetates; Hortensii & Sulpicii, nec majorem consequi poterat, & minori necesse erat cedere. Hujus omnis facultas ex historia ipsius percipi potest: quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum abest a summo, quamque genus hoc descriptionis nondum sit satis Latinis literis illustratum. Nam Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul adspectum & probatum est.

Is L. Crasso, Q. Scavola consulibus primum in foro dixit, & apud hos ipsos quidem consules, & cum eorum, qui assuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, judicio discessit probatus. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paulo, C. Marcello consulibus mortuus: ex quo videmus eum in patronorum numero annos quatuor & quadraginta fuisse. Hoc de oratore paulo post plura dicemus. Hoc autem loco volumus aetatem ejus in dispari oratorum aetatem includere. Quanquam id quidem

<sup>21</sup> L. Sisenna ] Sisennam cognomen in Gabinis apud Valer. Max. lib. VIII. cap. 1. & Dion. lib. XXXIX. & in Strabonis apud Paterculum lib. II. invenio, neque tamen scire certo possunt, ex qua gente L. hic Sisenna fuerit, de quo Paterculus ita scribit; Historiarum auctor jam tum Sisenna erat

juris, sed opus belli civilis Syllani post aliquot annos ab eo sentiore editum est. Videtur Latine Sisenna id bellum scripsisse, ut patet ex lib. 1. & 11. de Divin. Ovid. lib. 11. de Trist. hoc addit:

Pater. Aristidem Sisenna, nec obfusa illi  
Historia imper. injuriosa jocos. Cott.

dem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paulo longior vita contigit, ut & cum multo majoribus nato, quam essent ipsi, & cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Accius iisdem adilibus ait se & Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset: sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed & mea cum aetate, & cum tua, Brute, & cum aliquanto superiore conjungitur. Siquidem & Crasso vivo dicere solebat: & magis jam etiam vivebat cum Antonio, & cum Philippo jam sene, pro Cn. Pompeii bonis dicente. In illa causa adolescens cum esset, princeps fuit, & in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat: & suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe prelitit: & me adolescentem nactus octo annis minore, quam erat ipse, multos annos in studio ejusdem laudis exercevit: & tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit, paulo ante mortem.

LXV. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus, tam multis inter nostrum, tuumque initium ferendi interpositis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare, ne vos curiosius eliceretis ex me, quid de quoque judicaret: eos, qui jam sunt mortui, nominabo.

Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis, quamobrem de iis, qui vivunt, nihil velis dicere. Quanam igitur, inquam, est? Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet, & tibi ii succenseant, quos praeterieris. Quid? vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillime; sed tamen te arbitror malle<sup>b</sup> id ipsum tacere, quam taciturnitatem nostram experiri. Tum ego, Vere, inquam, tibi, Brute, dicam: non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc aetatem esse venturum: sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut jam ad minores etiam pervenerim. Interpone igitur, inquit, si quos videtur: deinde redeamus ad te, & ad Hortensium. Immo vero, inquam, ad Hortensium.

<sup>a</sup> In studiis ] Lamb. in studio.

<sup>b</sup> Id ipsum ] Vici. malle ipsum

Hortensium : de me alii dicent , si qui volent . Minime vero , inquit . Nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti , tamen is mihi longior videtur , quod propro audire de te : nec vero tam de virtutibus dicendi tuis , quæ cum omnibus , tum certe mihi notissimæ sunt , quam quod gradus tuos , & quasi processus descendendi studeo cognoscere . Geretur , inquam , tibi mos : quoniam me non ingenii prædicatorem esse vis , sed laboris mei . Verum interponam , ut placet , alios , & a M. Crasso <sup>21</sup> , qui fuit æqualis Hortensii , exordiar .

LXVI. Is igitur mediocriter a doctrina instructus , angustus etiam a natura ; labore & industria , & quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam & gratiam , in principibus patronis aliquot annos fuit . In hujus oratione sermo Latinus erat , verba non abjecta , res compositæ diligenter : nullus flos tamen , neque lumen ullum : animi magna , vocis parva contentio , omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur . Nam hujus æqualis , & inimicus C. Fimbria <sup>22</sup> , non ita diu jactare se potuit : qui omnia magna voce dicens , verborum sane bonorum cursu quodam incitato , ita furebat tamen , ut mirarere tam alias res agere populum , ut esset infans inter difertos locus .

Gn. autem Lentulus multo majorem opinionem dicendi actione faciebat , quam quanta in eo facultas erat : qui cum esset

<sup>20</sup> *Discendi* ] Vid. Man. Crut. *dicendi* .

<sup>21</sup> *M. Crasso* ] M. Licinius Crassus , Romanorum ditissimus , amplissimus magistratus : is quoque consulari serum perfunctus , Syriam præconful obtinuit anno DCCII. belloque adversus Parthos infeliciter gesto , amissa maxima exercitus parte , occisus est . Aurum liquidum in os cadaveris infuderunt barbari , ut *corus animus* , inquit Florus , *asperat auri cupiditate , quæ etiam mortuorum & evanque terrore excipitur* . Brullcus .

<sup>22</sup> *C. Fimbria* ] C. Flavius Fimbria , qui L. Valerii Flacci consulis legatus fuit , ut Liv. lib. LXXXII. scripsit . Cum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Nicomediam interfecisset , & imperium ad se transfudisset , illum , quod sibi porras clausisset , undecimo die cepit , & evertit : & cum ob id gloriaretur , quod quam urbem Agamemnon deci-

mo anno vix cepit , cum mille navium classem & universam Græciam secum haberet : eam ipse undecimo die cepisset , respondit quidam ex libentibus : *Non enim Hector adeo post apud Thraciam , cum ab exercitu Syllæ obideretur , in templo Esculapii sua & ferri manu interfectus est , ut videbis apud Liv. lib. LXXXI. Strabonem lib. xxi. Plutarchum in Sylla , Appian. in Bell. Mithrid. Orosium lib. vi. cap. 2. & Patere. lib. ii. Ad id autem Cicero : Non ita diu jactare se potuit , quod scilicet se intervenit , adolescentem , que *ausus erat , fortiter resistens* , ut ait Patere. loco citato , & recte *ausus erat* , quoniam fuit *homo longe audacissimus* , ut ait Cicero in Orat. pro Roscio Amerino . Vide Val. Max. ix. ii. *Corradus* .*

esset nec peracutus , ( quanquam & ex facie & ex vultu videbatur ) nec abundans verbis , etsi fallebat in eo ipso : sic intervallis , exclamationibus , voce suavi & canora , \* admirando irridebat , calebat in agendo , ut ea , quæ deerant , non desiderarentur . Ita tanquam Curio copia nonnulla verborum , nullo alio bono , tenuit oratorum locum ; sic Cn. Lentulus <sup>23</sup> cæterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit , in qua excellens fuit . Neque multo secus P. Lentulus <sup>24</sup> , cuius & excogitandi , & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas , corporis motus plenus & artis , & venustatis , vocis & suavitas , & magnitudo . Sic in hoc nihil præter actionem fuit ; cætera etiam minoræ , quam in superiore .

LXVII. M. Pifo <sup>25</sup> quiddid habuit , habuit ex disciplina ; maximeque ex omnibus , qui ante fuerunt , Græcis doctrinis eruditus fuit . Habuit a natura genus quoddam acuminis ,

Tom. I.

N n n

quod

\* *Admirando* ] Lamb. *admirando , irridendo , iactat in agendo* .

<sup>23</sup> *Cn. Lentulus* ] Multa huic cum L. Gellio , de quo supra , sunt communia , cum Gellio , & in consulari college fuerint ; illud est hujus proprium , quod male adversus Sparacum pugnavit , ut Liv. lib. xxvi. & Orolius lib. v. cap. 24. scripserunt . Censor dilectus Verina VII. in Orat. pro Flacco , & in Orat. pro Domo . In eo vero summam consilium , & summam gravitatem fuisse , testatur in Orat. pro lege Manlii . Is videtur esse , qui Philippo & Marcellino cons. decessit , epist. 6. lib. iv. ad Attic. quamvis aliter olim scripserimus . Temporibus Marii non abuit . *Idem* .

<sup>24</sup> *P. Lentulus* ] P. Cornelius Lentulus Sura , is qui cum L. Sergio Catilina conjuravit , quem putat Aconius P. Lentuli filius , quem Cicero Vetrina I. principem senatus appellat , filium fuisse : quod tempora non pati videntur , ut hic Sura filius fuerit illius , quem Cicero loco citato , & lib. 1. de Oratore , P. Africano vel majorem nata vel qualem fuisse ostendit . M. Antonius certe lib. 1. de Orat. de illo sic loquitur , ut de homine , qui tot annis ante obisset : ut hujus Lentuli pater vix esse poterit . Quin si vix tantus hujus P. Lentuli pater fuisset , Cicero ei aliquando objecisset , ut avum in Orat. III. in Catilinam ; cujus imaginem Sura non po-

tius quam patris in annulo gesserat , si talem patrem habuisset . Videri potest igitur M. Marcellum filium . Quætor Syllæ fuit , postea prætor , ac deinde consilium cum Cn. Aufidio Orestes , anno ab U. C. DCLXXXII. Sed cum vita ejus semper , ut ait Porcius Latro , in obediendis libidinibus versaretur , ac societate turpissimorum hominum nobilitaretur , bis accusatus , & , ut lib. 1. ad Attic. Cicero scribit , absolutus est : quod iudices , ut auctor est Plutarchus in Ciceroe , corripisset . Non ita multo post tamen senatus motus est , & ut amittam dignitatem recuperaret , prætor iterum factus fuerat , quando cum L. Catilina conjuravit . *Idem* .

<sup>25</sup> *M. Pifo* ] M. Pupius Pifo Calpurnianus , sic appellatus a quibusdam , quod cum M. Pupius in Orat. pro Domo dicitur adoptivus . Hic quætor cum L. Pisoni consili obligisset , non attigit pecuniam , non ad exercitum profectus est . *Verr. III.* Hic idem in ædilitate offensuicavit ( nam populus illi M. Sejum prætulit ) accepta , fumos a populo honores , ut in Orat. pro Plancio legitur , est adeptus . Nam proconsul in Hispania fuit , unde triumphavit , ut Cæc. in Orat. pro Flacco , & in Pisoni . significat . Illum , lib. 1. ad Att. hominem perfectum , virtuosum , innotent somni plenum , imperitum appellat , quod forte facit iratus : alibi certe fere semper illum laudat . *Idem* .

quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendis verbis versutum, & solers; sed sepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem, quasi cursum, forensis diutius non tulit, quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac stultitias, quæ devorandæ nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenuo, liberoque fastidio. Is cum satis florisset adolescens, minor haberi est ceptus postea. Deinde ex virginum iudicio <sup>27</sup> magnam laudem est adeptus, & ex eo tempore quasi revocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem: postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria.

P. Murena <sup>28</sup> mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum: literarum & studiosus, & non imperitus: multa industria, & magni laboris fuit. C. Censorinus <sup>29</sup> Græcis literis satis doctus: quod proposuerat, explicans expedite: non inveniustus actor, sed iners, & inimicus fori. L. Turius <sup>30</sup> parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, sepe dicebat. Itaque ei pauca centuriæ ad consulatum defuerunt.

C. Maecius <sup>31</sup> auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus: hujus si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, majus nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops

<sup>27</sup> Ex virginum iudicio ] Post quarum absolutionem decimus annus fuit in Ciceronis consulari, ut ait in Orat. III. in Catilin. Accusatus enim fuit Catilina incelli: quod cum Fabia virginis Vestalis commississet arguebatur: sed Catali igratia sulcus evasit, ut Orosius lib. vii. cap. 3. scribit: Sed & Fabia ipsa causam incelli dixerat, cum ei Catilina objiceretur, eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentia Ciceronis, ut ait Aconius. Virgines vero ipsas P. Clodius accusavit, & M. Cato defendit, ut Plutarchus in Catone scribit. In eo iudicio M. hic Piso magnam laudem est adeptus, ut hic ait. Idem.

<sup>28</sup> P. Murena ] P. Licinius Murena, qui sublatu infra fuisse dicitur: cujus historiam quaerent alii. Nos apud Macrob. lib. iiii.

Saturn. invenimus, Varronem asseruisse, eodem modo Licinius appellatus Murena, quo Sergius Aurata cognominatus; quod ei pisces, qui aurata vocantur, carissimi fuerint. Hanc gentem plebejam fuisse Cicero in Orat. pro Murena testatur. Idem.

<sup>29</sup> C. Censorinus ] Quæstor an. DCLXIV. Martium factioni addictus, & C. Octavianum consulens occidit, & ipse vicissim occisus est reverto Sylla, anno DCLXXII. Prof.

<sup>30</sup> L. Turius ] De quo nihil, quod sciam, existat. Corradus.

<sup>31</sup> C. Maecius ] C. Licinius Maecius, de quo Cicero prator incredibili ac singulari populi voluntate transegit. Damnum est autem, ut *καταλαβὴν κλονῆτε*, ut ait Plur. in Cicerone, id est *repetundarum*, ut scribit Valer. Max. lib. ix. cap. 12. Idem.

inops tamen: non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus, & omnis actio sine lepore: at in inveniendis, componendisque rebus mira accuratio; ut non facile in ullo diligentiore maioremque cognoverim; sed eam ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceret. Hic est etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.

LXVIII. C. deinde Piso <sup>32</sup>, statarius, & sermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu & simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam ejus æqualem M. Glabionem <sup>33</sup>, bene institutum avi Scævola diligentia, locors ipsius natura ingenique tardaverat. Etiam L. Torquatus <sup>34</sup> elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem æqualis Cn. Pompejus, vir ad omnia summa natus, majorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratio

N n n 2 ratio-

<sup>32</sup> C. Piso ] C. Calpurnius Piso, quo prætor Cicero Q. Roscii comædi causam defendit, quemque in causa Cæcæ adversarium habuit. Is cum M. Glabione consul fuit, anno ab U. C. DCLXXXVII. & tum Pompejum voluit impedire, ne adversus piratas proficisceretur. Tunc etiam legem Calpurniam de ambitu tulit, in qua præter alias poenas pecuniaria quoque est adjecta, ut scribit Aconius, & Cicero meminit in Orat. pro Marzano. Postea proconsul in Galliam profectus est, sed domum cum redisset, repetundarum populus est, & a C. Julio Cæsare oppugnavit propter eujusdam Transpadani injurias supplicium; quare postea cum illo graves exerceat inimicitias, ita ut impellere Ciceronem tentaret, ut Cæsar inter conjuratos nominaretur, ut ait Sallustius. Piso, Cicerone consule defendente, quia consul fortis constantique fuerat, incoluntis est Reip. conservatus, ut leges in Orat. pro Flacco. Non dum milii satis constat, an is ille sit, quem Plutarchus *ἄγλας λεγόμενος* vocat, cum Cicero nihil hac de re dicat: quod mirum sit, cum Plutarchus testetur illum de Mario scripisse, ne quis forte putet illum esse, quem supra diximus L. Pisonem vocatum fuisse, & multo ante vixisse. Idem.

<sup>33</sup> M. Glabionem ] M. Acilius Glabionem, & Acilium, non Acilium, ut in libris sepe leges, scribere debemus, quoniam gens hujus Glabionis Acilia fuit, & pater ab Aconio M. Acilius appellatur, qui legem Acilianam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne comprehensum quidem licebat rem, ut legitur Verrius II. Hujus gens plebeja fuit, ut ostendit Licius, qui lib. xxxv. scribit, P. Scipioni de plebe M. Acilium Glabionem collegam aditum fuisse. Hoc vero M. Glabione prætor Cicero Verrem accusavit, ut Aconius scribit, & in ipsis Verriis apparet. Hic & cum C. Pisonem consul fuit, & ut Plutarchus scribit, in Bithyniam profectus est. Idem.

<sup>34</sup> L. Torquatus ] L. Manlius Torquatus, & quidem patricius, ut in Orat. pro P. Sylla cognoscet, cum Manliorum familia duplex esset, ut supra diximus. Hic Ciceronis & Attici consiliculus, ut Nepos ait in Attico, fuit. Cum L. Aurelio Cotta consul esset anno ab U. C. DCLXXXIX, quos Antonius, Catilina, & alii in Capitolio Cal. Jan. ut scribit Sallustius, interficere paraverunt. Post consularum videtur in Macedonia res ita magnas gessisse, ut Cicerone, jam tum consule, referente, abiens imperator sit appellatus, ut in Orat. in Pisonem dicitur. Idem.

ratione satis amplius: rem prudenter videbat: actio vero ejus habebat & in voce magnum splendorem, & in motu summam dignitatem.

Noster item æqualis D. Silanus, vitricus tuus<sup>35</sup>, studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis, & orationis satis. Q. Pompejus, A. filius, qui Bithynicus dictus est<sup>36</sup>, biennio quam nos fortasse major, summo studio\* discendi, multaque doctrina, incredibili labore atque industria: quod scire possum: fuit enim mecum, & cum M. Pisonem cum amicitia, tum studiis, exercitationibusque conjunctus. Hujus actio non satis commendabat orationem. In hac enim satis erat copie, in illa autem leporis parum.

Erat ejus æqualis P. Antronius<sup>37</sup>, voce peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis. Et L. Octavius Reatinus<sup>38</sup>, qui cum multis jam causis diceret, adolescens est mortuus. Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter, quam parate. Et C. Stalenus<sup>39</sup>, qui se ipse adoptaverat, & de Staleno Ælium fecerat, fervido quodam, & perulanti, & furioso genere dicendi: quod quia multis gratum erat, & probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus, pœnas legibus & judicio dedisset.

LXIX. Eodem tempore C. & L. Capasii<sup>40</sup> fratres fuerunt,

<sup>35</sup> D. Silanus: vitricus tuus ] Bruti mater Servilia, cum esset vidua, ipsi Silano nupsit. Silanus autem consul designatus censuit eos, qui Reimp. delere conati fuerant, morte esse multandos. Legit. Orat. IV. in Catin. Fuit vero consul cum L. Murzina, anno ab U. C. DCCXII. Idem.

\* Discendi ] Vid. Man. Ger. dicendi.

<sup>36</sup> Q. Pompejus, A. F. qui Bithynicus dicitur. ] De quo nullam mentionem, nisi in hoc dialogo, fieri vidimus, & apud Orof. lib. vii. cap. 12. in Ægypto interfectum fuisse legitur. Ant. Silius, credimus eum esse istius filium, qui obiit in Capitolio, cum Deos sacraasset, ut Plin. lib. vii. cap. 53. scribit. Idem.

<sup>37</sup> P. Antronius ] Qui se Ciceronis condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse: qui consul designatus, cum accusetur ambitus, judicium tollere ac distur-

bare primo confato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concursu, sed damnatus ita se gessit, ut Cicero in Orat. pro P. Sylla scribit: ubi nobis illum hominem, ut paucis dicam, sceleratissimum describit. Idem.

<sup>38</sup> L. Octavius Reatinus ] De quo nihil nos aliud invenimus. Idem.

<sup>39</sup> C. Stalenus ] C. Stalenus Patus. Hoc genus sibi cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne si se Ligurum fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine videretur, ut ait in Orat. pro Cluentio. Sed in Orat. pro Sextio ita scribit: Ex novem tribuitis plebis, qui tunc habueram, unus, ne absente, desinuit, qui cognomen sibi ex Æliorum imaginibus arripit, qui magis nationis ejus esse quam generis videretur. De eo pluribus agit Cicero in Orat. pro Cluentio, & in Topicis. Idem.

<sup>40</sup> C. & L. Capasii ] Homines industriae atque

quæ multa opera, ignoti homines & repentini, quæ flores celeriter facti sunt, oppidano quodam & incondito genere dicendi<sup>41</sup>. Addamus huc etiam, ne quem vocalem prateriteri videamur, C. Colconium<sup>42</sup> Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, præbebat populo cum multa concitatione, magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius<sup>43</sup>, qui fuit M. Crassi quasi secundarius. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiam si pugnos & plagas, Olympiorum cupidi, ferre possunt, solem tamen sapere ferre non possunt: sic ille, cum omni jam fortuna prospere functus, labores etiam magnos excepisset, illius judicialis anni<sup>44</sup> severitatem, quasi solem, non tulit.

Tum Atticus, Tu quidem de fœce, inquit, hauris, idque jam dudum: sed tacebam: hoc vero non putabam, te usque ad Stalenos & Antronios esse venturum. Non puto, inquam, exstimare te, ambitione me labi, quippe de mortuis: sed ordi-

atque eo animo, ut quæcumque dicendi potentias esset data, in honore atque beneficio ponerent, ut in Orat. pro Cluentio loquitur; ubi ita de illis verba facit, ut eos irrideri potius quam laudare videatur. Idem.

<sup>41</sup> Oppidano genere dicendi ] Oratio est non urbana, nec elegans, nec nitida: sed velut vicana & municipalis aut castellana: quod in oppidis, vicis, castellis, municipiis non tam integre incorrupteque, quam in urbe loqui solent. Sed & homo repentinus ibidem dicitur homo novus, qui subito repenteque in hominum cognitionem, famam, commendationemque pervenit. Sic autem scribit: I. quærit homines & repentinus, quæ flores celeriter facti sunt: oppidano quodam & incondito genere dicendi. Turcob. Advect. xiv. 12.

<sup>42</sup> C. Colconium ] Qui in Orat. pro Sylva videtur prator fuisse, consul Cicero: cum tamen eodem Cicero prator foret extra ordinem in Illyrio præconful fuisse: nisi fuit alter, præsertim cum Cæsar, non

Cæsar ab Eutropio lib. vii. ille dicatur. Hoc certe in Orat. pro Cluent. Cæsar appellatur. Idem.

<sup>43</sup> Q. Arrius ] Is videtur esse, qui prætor Clavium fugitivorum ducenti cum viginti milibus hominum cecidit, ut Liv. lib. xxvii. scripsit; quique C. Verri successurus putabatur, ut Verria xv. & vi. dicitur. Is cum esset loco infimo natus, ut hic ait, post præturam diu jaceit: sed Cæsar & Bibulo consulibus, cum Pompejus, Crassus, & ipse Cæsar Reimp. tenerent, se consulem fieri posse speravit: verum desiderium ægre tulit sibi exceptum fuisse consularum, ut enit. 5. & 6. lib. 11. ad Attic. videbis. Idem.

<sup>44</sup> Judicialis annus ] An, quemadmodum significatur Corradus & Manutius, intelligendus annus DCCII. Quo Cn. Pompejus tertium consul, teste Aconio, brevem iustitiam fornam teis lege præscripsit? Pæf. Rev.

ordinem sequens in memoriam notam & æqualem necessariò incurrò. Volo autem hoc perficere, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere auri sint, memoria quidem dignos perpaucos; verum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur.

LXX. T. Torquatus <sup>45</sup>, T. filius, & doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, & a natura ad dicendum satis solutus, atque expeditus, (cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset) plus facultatis habuit ad dicendum, quam voluntatis. Itaque studio huic non satisfacit: officio vero nec in suorum necessariorum causis, nec in sententia senatoria defuit.

Etiam M. Pontidius, <sup>46</sup> municeps noster, multas privatas causas agitavit, celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis, vel dicam, plus etiam quam non hebes, sed effervescentes in dicendo stomacho sæpe, iracundiaque vehementius; ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile esset) cum iudice ipso, cujus delinere esse debet orator, iurgio sæpe contenderet. M. Messala <sup>47</sup> minor natu, quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum; prudens, acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque causarum.

Duo etiam Metelli, Celer & Nepos <sup>48</sup>, nihil in causis versati, nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicent-

<sup>45</sup> T. Torquatus ] Alii quærent historiam. Corradus.

<sup>46</sup> M. Pontidius ] Idem forsasse, qui laudatur in II. de Orat. c. 8.

<sup>47</sup> M. Messala ] M. Valerius Messala, quem Cicero consul constituit cum aliis, qui omnia iudicium dicta perscriberent, eum tunc ille præturam peteret, ut in Orat. pro P. Sylla testatur. Hic postea cum M. Pisone, anno ab U. C. DCXCIII. consul fuit, & eundem egregius, fortis, constans, diligens, Ciceronis laudator, amator, imitator, ut lib. I. ad Attic. describitur. Idem.

<sup>48</sup> Duo Metelli, Celer & Nepos ] Duo fratres, aut potius pariter, ut conjicit

Corradus. Q. Metellus Celer, prætor urbanus, vir strenuus, egregiam Cicero consule adversus Catilinæ copias operam Reip. navavit. Triennio post consulatum adeptus est. Eum a Clodia uxore veneno sabulatum esse in Cassiana Cicero testatur. Q. Caecilius Metellus Nepos, tribun. pleb. anno DCXCIII. graves cum Cicero inimicitias exercuit; cui, cum abiret e consulatu, de rebus a se pectis differere paranti licentiam imposuit, quod in dicta causa civis condemnasset accusans: cumque jurare tantummodo permitteret, Cicero iuravit Remp. sus antus opera esse salvam. Consul fuit hic Metellus anno DCXCIII. Prætor.

dicendi genus assecuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus <sup>49</sup>, nec unquam indifertus, & in consulatu pereloquens visus est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis. C. Memmius <sup>50</sup>, L. filius, perfectus literis, sed Gracis: fastidiosus sane Latinarum: argutus orator, verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.

Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet. Et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Cæsare <sup>51</sup> & Marcello <sup>52</sup>, audirem non minus lubenter, quam audivi de iis, qui fuerunt. Cur tandem, inquam? an expectas,

<sup>49</sup> Cn. autem Lentulus Marcellinus ] Hunc nos a principio credimus Claudium Marcellum fuisse, sed ab aliquo Cornelio adoptatum, Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, non autem Cn. Cornelium Lentulum Clodianum, ut mos erat, appellatum, ut cognosci posset, utra ex familia fuisset, cum duæ familiarum Claudii essent; quarum quæ Marcellorum appellata est, plebeja; quæ Pulchrorum, patricia fuit. Cicero terre lib. xv. Famil. & Verria L. Marcellus & Marcellinus ita coniungit, ut fuisset propinquos ostendat. Consulatum inivit cum L. Marcio Philippo anno ab U. C. DCXCVIII. Corradus.

<sup>50</sup> C. Memmius ] C. Memmius Gemellus, epist. 19. lib. xiii. Famil. Tribunus pleb. M. Lucullum accusavit, & diu prohibuit, ne L. Lucullus triumpharet, ut Plutarch. in Lucullo & Catone scribit; atque id ipsum triennio ante Ciceronis consulatum. Nam Cicero consul, ut ait lib. xi. Acad. Quæst. carnum Luculli in urbem introduxit; L. Pisone & A. Gabinio consulibus prætor fuit, ut epist. 1. lib. 1. ad Q. Fratr. cognoscimus. Post vero præturam Bithyniam provinciam sortitus est: quo secum Val. Catullum poetam duxit; ut ipse Catullus ad Veranium & Fabullum scribens, testatur, quo loco illos Pisones comites vocat. Inde reversus cum M. Scæuro, M. Messala, Cn. Domitio consulatum petiit, & eundem Cæsaris auxilio fretus, cuius opibus & militia confirmabatur, & commendabatur, ut lib. iv. ad Attic. & lib. iiii. ad Q. Fratrem videre li-

cet. Ille tamen repulsam tulit, & ambins a Q. Curio fuit accusatus, & Pompejo consule III. fuit condemnatus, ut Appian. lib. II. scribit; quamvis Ciceronis esset clientis, ut epist. 19. lib. xiii. Fam. refert Cicero, & ostendit illum Patris exulasse. Lucretius huic, ut poeta poetæ, & Epicureus Epicureo suos libros de Rebus Nat. scripsit. Nam C. Memmius poeta fuit etiam laudatus, ut Plin. epist. 2. lib. v. & Ovid. lib. ii. de Trist. affirmant. Idem.

<sup>51</sup> Cæsare ] C. Julio Cæsare dictatore. Idem.

<sup>52</sup> Marcello ] M. Claudio Marcello, quem Cicero in Orat. I. Catilin. Catilinæ eundem sodalem, sed virum tamen optimum & fortissimum vocat; de cuius magnificentibus nihil penè possumus affirmare, nisi illum anno ab U. C. DCCIII. cum Servio Sulpicio Rufo consulente fuisse. Post bellum civile, in quo Pompejum secutus est, timens Cæsarem veterem suum inimicum Marcellus exulabat; quo tempore Cæsar ejus acerbissimum accusavit, sed tamen repente præter spem dicit, se tenatur roganti de Marcello; ne hominis quidem causa negaturum. Quare, cum reliqui gratias Cæsari egissent, Cicero longa fastis oratione, quæ nunc extat, idem fecit, ut ait lib. iv. Famil. ubi sæpe monet illum, ut domum revertatur: quod cum ille jam facere cogitaret, & vellet, a P. Magio Chilonæ, familiaris suo, fuit interceptus, ut lib. xv. Famil. lib. xiii. ad Attic. & apud Liv. lib. cxv. & apud alios etiam legitur. Idem.

etas, quid ego iudicem de istis, qui tibi sunt æque noti, ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus satis est notus; Cæsar autem parum. Illum enim sæpe audivi: hic, cum ego iudicare jam aliquid possem, absuit.

Quid igitur de illo iudicas, quem sæpe audisti? Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? Næ ego, inquam, si ita est, velim tibi eum placere quam maxime. Atqui & ita est, inquit, & vehementer placet: nec vero sine causa. Nam & didicit, &, omiſſis cæteris studiis, unum id egit, seseque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaque & lectis utitur verbis, & frequentibus: & splendore vocis, & dignitate motus fit speciosum & illustre, quod dicitur: omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem: maximeque laudandus est, qui hoc tempore ipſo, cum \* liceat, in hoc communi nostro, & quasi fatali malo, conſoletur se cum conscientia optima mentis, tum etiam usurpatione & renovatione doctrinæ. Vidi enim Mytilenis nuper virum, atque (ut dixi) vidi plane virum. Itaque cum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro, tibi que, ut intellexi, amicissimo Cratippo instructum omni copia, multo videbam similiorem.

Hic ego, Eth, inquam, de optimi viri, nobisque amicissimi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quaerens, hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Cæsare cupio audire, quid tandem Atticus iudicet.

LXXII. Et ille, Præclare, inquit, tibi constas, ut de iis, qui nunc sint, nihil velis ipse dicere: & hercle si sic ageres, ut de iis egisti, qui jam mortui sunt, neminem ut prætermitteres, næ tu in multos Antronios, & Stalenos incurreret. Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut præteritum, aut non satis laudatum queri possit: de Cæsare tamen potuisti dicere, præsertim cum & tuum de illius ingenio notissimum iudicium esset, nec illius de tuo obscurum.

Sed

\* Licet ] Lamb. cum iacet in hoc.

Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Cæsare & ipse ita iudico, & de hoc hujus generis acerrimo æstimate sapissime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime. Nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Læliorum & Muciorum familiis audiebamur: sed, quanquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & iis quidem reconditis & exquisitis, summoque studio & diligentia est consecutus. Quin etiam in maximis occupationibus, cum ad te ipsum (inquit, in me intuens) de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit; primoque in libro dixerit, verborum delectum originem esse eloquentiæ; tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quam se dicere, laudem singularem: (nam scripsit his verbis, cum hunc nomine esset affatus: *Ac, si, \* ut cogitata præclare eloqui possent, nonnulli studio & usu elaboraverunt, cujus te pene principem copiarum atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus*) hunc facilem, & quotidianum novisse sermonem, <sup>b</sup> nunc pro relicto est habendum.

LXXIII. Tum Brutus, Amice, hercule, inquit, & magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiarum dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine & dignitate. Quo enim uno vincebamur a victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. Hanc autem, inquit, gloriam testimoniumque Cæsaris tuæ quidem supplicationi non, sed triumphis multorum antepono.

Et recte quidem, inquam, Brute, modo sit hoc Cæsaris iudicium, non benevolentiae testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt: ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphati.

Verum quidem si audire volumus, omiſſis illis divinis con-

Tom. I.

O o o

filii,

<sup>a</sup> Ut cogitata ] Absente non videretur posse illud ut, quod unus tamen Lambinus agnovit. Infra, pro cuius, vide an huius reponendum sit. Olivarius.

<sup>b</sup> Lamb. non pro relicto.

<sup>c</sup> Viri. non solum, sed

filiis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salus civitatis aut belli, aut domi; multo magis orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? Sed tamen, (non metuo ne mihi acclametis: est autem quod sentias, dicendi liber locus) malim mihi L. Craffi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. At plus interfuit reipublicae castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M. Curii. Credo. Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma testis in domiciliis habere, quam Minerva signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse malle, quam vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quisque proficit, sed quanti quisque sit, ponderandum est: praesertim cum pauci pingere egregie possint, aut fingere; operarii autem, aut bajuli deesse non possint.

LXXIV. Sed perge, Pomponi, de Caesare, & redde quae restant: Solum quidem, inquit ille, & quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendam & Latinam: cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiae, sed quasi bona consuetudinis. Mitto C. Laelium, P. Scipionem. Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen. Nam illorum aequales, Caelium & Pacuvium, male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriore vetustas fecit & Romae, & in Graecia. Confluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem multi inquinatae loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda, tanquam obrussa, ratio, quae mutari non potest; nec utendum pravissima consuetudinis regula.

T. Flaminium, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus. Existimabatur bene Latine, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paulo est ante dictum: sed tamen suavitas vocis, & lenis appellatio literarum, bene loquendi famam consecerat. Corta, quia se valde

valde dilatandis literis a similitudine Graecae locutionis abstraxerat, sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam, planeque subrusticum: alia quidem, quasi inculta & silvestri via, ad eandem laudem pervenerat. Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rufio quidem accusatore deterri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. Quidnam istuc est? inquit Brutus: aut quis est iste C. Rufus? Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante Chritilium, Sisenna defendens, dixit, quadam ejus *sputatilia* esse crimina. Tum C. Rufus, *Circumvenior*, inquit, *Judices, nisi subvenitis: Sisenna quid dicas, nescio: meo insidias*. *Sputatilia, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilia nescio*, Maximus risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui.

LXXV. Caesar autem rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quae etiam si orator non sis, & sis ingenium civis Romanus, tamen necessaria est) adjungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. Splendidam quandam, minimeque veteratariam rationem dicendi tenet, voce, motu; forma etiam magnifica, & generosa quodam modo.

Tum Brutus, Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur; complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto. Sed dum voluit, alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamitatis inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia, pura & illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excefferunt, revertamur.

LXXVI. C. Sicinius<sup>53</sup> igitur, Q. Pompeji illius, qui cen-

O o o 2

for

<sup>53</sup> C. Sicinius] Quaestor anno DCLXXVII. Professus.



for fuit, ex filia nepos, quaestorius mortuus est, probabilis orator: jam vero etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita, Hermagora disciplina. Ea dat rationes certas & praecipua dicendi: quae si minorem habent apparatus, (sunt enim exilia) tamen habent ordinem, & quaedam errare in dicendo non patientes vias. Has ille tenens, & paratus ad causas veniens, verborum non egens, ipsa illa comparatione disciplinae dicendi jam in patronorum numerum pervenerat.

Erat etiam vir doctus in primis C. Vifellius Varro<sup>54</sup>, confobrinus meus, qui fuit cum Sicinio aetate conjunctus. Is cum post curulem adilitatem iudex quaestionis esset, est mortuus: in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo discessisse. Nam populo non erat facile vendibilis: praecipua quaedam, & cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida, & celeritate caecata oratio: sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. Praeterea perfectus in literis, iurisque civilis jam a patre Acaleone traditam tenuit disciplinam.

Reliqui sunt, qui mortui sint, L. Torquatus<sup>55</sup>, quem tu non tam cito rhetorem dixisses, (etsi non deerat oratio) quam ut Graeci dicunt, *πολιτικός*. Erant in eo plurima litera, nec ea vulgares, sed interiores quaedam, & recondita: divina memoria, summa verborum & gravitas, & elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat dignitas & integritas. Me qui-

<sup>54</sup> C. Vifellius Varro ] In Asia tribunus militum fuit C. Nerone praetore, cum Verres legatus esset Dolabella, ut Verr. III. videre licet. Hinc cum J. Cesare magna fuit confideratio, ut in Orat. de Provinciis consularibus ostenditur. Atque nisi cognoscatur hic ante mortem, dicerem ipsum cum Cicerone in Ciliciam profectum fuisse, cum dicit Cicero epist. 7. lib. III. Famil. de Varronem App. Claudio obvium misisse, nec M. Varroem illum doctum posse significare, qui tum Romae fuit, ut epist. 11. lib. 4. ad Attic. cognoscit, nec ita multo post ivit legatus in Hispaniam ulteriorem. Hunc Vifellium Valer. Max. lib. vii. c. 2. scribit gra-

vi morbo correptam trecenta milia summum ab Othacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passum fuisse, & ab Aquilio, cum postea convalesceret, absolutum. *Conradus.*

<sup>55</sup> L. Torquatus ] L. Manlius L. F. Torquatus, qui adolescentulus eripuit P. Sylla consulatum, & ad patrem suum retulit. De hoc Cicero in Orat. pro P. Sylla ita scribit: *Herens omnium rerum, quae ego in conspectu pro salute amicum, suscepit. Ep. 9. lib. 1. L. Torquatus, cuius est non contumeliosus in conspectu, cum signifer esset praetoris, atque in praetura fuisse, ostendit, adjuvat, praecipue exitit. Idem.*

quidem admodum delectabat etiam Triarii<sup>56</sup>, in illa aetate, plena literatae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore!

Tum Brutus, Torquati & Triarii mentione commotus, (utrumque enim eorum admodum dilexerat) Ne ego, inquit, (ut omittam caetera, quae sunt innumerabilia) de istis duobus cum cogito, doleo, nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse: nam nec istos excellentes viros, nec multos alios praestantes cives respública perdidisset. Siccamus, inquam, Brute, de istis, ne angeamus dolorem. Nam & praetorum recordatio est acerba, & acerbior expectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, & tantum, qui quidem dicendo poterit, (quoniam id quaerimus) praedicemus.

LXXVII. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus<sup>57</sup>, qui & scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, & egit multa constanter: Appius Claudius<sup>58</sup>, foecer tuus, collega & familiaris meus; hic jam & satis studio-

<sup>56</sup> Triarii ] C. Valerii Triarii, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulit, ut ait Afoninus, unde nos inspicari sumus Verr. III. ita esse legendum: P. Lepidus, C. Triarii quaestorius obtulit. Hic, ut auctor est Afoninus, postea L. Luculli in Asia Pontogae legatus fuit: & ut Liv. lib. xiv. scribit, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit, & quidem apud Ziclam, quae nobilis clade Triarii ob id, opinor, a Plin. lib. vi. c. 3. dicitur, quam quidem cladem Plutarcho in Lucullo, & Appian. in Mithridate, plurius describit. Triarios vero e gente Valeria fuisse, ostendit etiam Valeria, quae Triarii foret epist. 7. lib. vii. Famil. vocatur. Idem.

<sup>57</sup> M. Bibulus ] M. Calpurnius Bibulus a Plutarcho in Cesare vocatur, quoniam Bibulus cognomen in gente Publicia frequentius, ut apud Liv. lib. xxii. & xxvii. & apud Plin. in Marcello, reperitur. Is fortis Bibulus, ut Caesar lib. i. de Bello Civ. refert, in amicitia summa fuit, inimicitiaque habuit prius cum Cesare, ex edita lite concepta de praetura. Bibulus consul

factus Caesari collega ferentem legem agrariam cepit adversari & obnucciare, sed armis fortis pulsus est. Ac postea die Bibulum in senatu conquestum, nec quomquam reperto, qui super tali confirmatione referre aut censere audeat, qualia saepe multa in levioribus turbis decreta erant, in eam Caesar cogit desperationem, ut, quod possit abiret, domo abiit nihil aliud quam per edicta obnucciaret: in quibus Caesarem inter conjuratos fuisse dicebat, eumque Bithynicum regnum vocabat, ut scribit Sueton. quae quidem edicta vel ob id Cicero lib. 12. ad Attic. *Archelochus* vocat. De rebus hujus Bibuli Plutarcho, Dion. & Appian. plura scribunt. Idem.

<sup>58</sup> Appius Claudius ] Appius Claudius Pulcher, quae Appii, qui cum P. Servilio consul fuit, filius, ut in Orat. de Responso agnosces. Hic pauper cum duobus fratribus & duobus sororibus esse relictus, ut Varro lib. 12. cap. 16. de R. Ruit. testis est. P. Clodius natus fratrem fuisse cognosces ex orationibus pro Domo, & in Dione. Tandem cum L. Domitio consul fuit, ad quos illic

studiosus, & valde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici juris, antiquitatisque nostra bene peritus fuit. L. Domitius<sup>59</sup> nulla ille quidem arte, sed Latine tamen, & multa cum libertate dicebat. Duo praterea Lentuli<sup>60</sup> consulares, quorum Publius ille, nostrarum injuriarum ultor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae dearent: sed tantus animi splendor, & tanta magnitudo, ut sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus<sup>61</sup> latis erat fortis orator, si modo ora-

tempus videtur durasse, quod inter eum & Ciceronem simulatis fuit. Tunc enim de man fuit reconciliati, vel paulo ante, ut lib. I. Famil. cognoscimus: atque ad ipsum per Cn. Pompeium, ut ad Brutum scripsit, quod Quintil. lib. ix. cap. 3. refert: vel per Gracchum, ut epist. 10. lib. 11. ad Q. Fratrem scribit: quem rectum in gratiam *illustrem* vocat epist. 10. lib. 11. Famil. A Pompejo Actioe cum esset praefectus, secutum gravissimum motus explorare, ut ait Val. Max. lib. 1. cap. 8. cupiens, Pythici oraculi fidem voluit experiri, quod Orof. lib. vi. cap. 15. scribit: & oraculum accepit, quod Lucanus lib. v. sic explicat:

*Effugit ingentes tanti discriminis expertus,  
Bellorum, Romanae, mitas, solisque  
quiescentis*

*Enobarbi, vestrae lateris consule crebris.*  
Et fauce ibi, ante Phalaricum certamen,  
morbo consumptus, praedictum a deo locum  
pro sepultura possedit, ut Val. Max. lib. 2. cap. 8. scribit. Ob id fortasse Cicero postea Tusc. I. scripsit Appianum *responsum* fecisse, & lib. 2. de Divin. fore legis & *prophetiae* uti solitum fuisse. *Idem.*

<sup>59</sup> L. Domitius ] L. Domitius Enobarbus, qui filius fuit Cn. Domitii, quem supra diximus cum L. Graccho confectum fuisse. Hunc adolefcentem clarissimum, ac principum juvenutis Verr. III. vocat: ubi scribit in eorum tantum pudorem fuisse, ut Chelidonem meretricem ab se nominari vix sibi honestum esse dicitur. Dedit vero, quam contemneret populares infansias, jam ab adolefcentia documenta maxima, ut ait Cicero in Orat. pro Milone. Dion. lib. xli. scribit eum admodum

divitem fuisse, quod Syllanis temporibus sibi divitias ingenita comparasset, quod verore non sit falsum, cum Domitius illis temporibus admodum adolefens, & puer esset: ita ut vix rem familiarem curare possent, nisi forte pater eo modo divitias filio comparavit. De morte ejus non una est apud veteres scriptores sententia, cum Suetonio & Lucano in acie Martialis occidisse dicant, quavis aliter legas apud Appianum. *Idem.*

<sup>60</sup> P. Lentulus ] Cornelius Lentulus Spinther, *ad illis* curulis, Cicero consule, omnium illius consiliorum particeps, periculorumque socius fuit, ut in Orat. post Redit. ad Quirit. est scriptum. Casare & Bibulo consultus, ipsius Caesaris beneficio in collegium pontificum venit, & hinc Cicero in Orat. de Rep. illum pontificem vocat, & in Orat. pro Dono cum illo, tanquam pontifice, loquitur. In Ciliciam proconsul profectus rem sic praesale gessit, ut imperator sic appellatus, ut ostendunt inscriptiones epistolares lib. I. Famil. quas eo tempore Cicero scripsit. Quin, ut ego ex epist. 2. lib. v. ad Atticum concipio, triumphavit: sed ob id tantum aeris alieni videtur socius, ut Cicero in Cilicia proconsul audiverit, quod epist. I. lib. vi. ad Attic. scripsit, eum praedictum Tusculanum profecturum. In bello civili Pompejo adhaerit, sed quid postea insiduum sit, nescimus: id scimus, Ciceroem multo post adversis illum Rhodi esse, quod epist. 13. lib. xi. ad Attic. scripsit. *Idem.*

<sup>61</sup> L. Lentulus ] Ne longam faciam, mirram conjeturas, quae multa sunt, eum ego credam hunc esse L. Cornelium Lentulum Reginum Martialem, quem Alconius Nigritum vocat,

orator, sed cogitandi non ferebat laborem. Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi & terroris oratio.<sup>62</sup> Quereret in judiciis fortasse melius: in republica, quod erat, esse judicares satis. Ne T. quidem Postumius<sup>63</sup> contemnendus in dicendo: de republica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit: effrenatus, & acer nimis, sed bene juris publici leges atque instituta cognoverat.

Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si, (ut dixisti) ii, quos jamdiu colligis, viverent. Omnes enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui; ut mihi imprudens M. Servilium<sup>64</sup> praeterisse videre.

LXXVIII. Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi multos fuisse, qui verbum nunquam in publico fecissent, cum melius aliquanto possent, quam isti oratores, quos colligo, dicere: sed his commemorandis etiam illud assequor, ut intelligatis, primum ex omni numero, quam non multi ausi sint dicere, deinde ex iis ipsis quam pauci fuerint laude digni. Itaque ne hos quidem equites Romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium<sup>65</sup>; in quo & compositum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit: T. Accium Pisaurensem<sup>66</sup>, cujus accusationi respondi pro A. Cluentio; qui & accurate dicebat, & satis copiose, eratque praterea doctus Herma-

vocat, quemque Cicero dicit in Orat. in Vatin. Gabinii competitorum fuisse, cum multo plures sint, cui arbitror, & quae adeo afflictiorem esse L. Cornelium Lentulum Crucellum, qui Pisonem & Gabinio consulibus praetor fuit, ut epist. 2. lib. 1. ad Q. Fratrem, & in Orat. in Pisonem leges. Ejus res reperiantur passim apud Plutarchum, Appianum, Dionem, Val. Max. & alios. *Idem.*

<sup>62</sup> Verba non horrida sane, ut plena esset animi, & terroris oratio ] Fuit qui persuadere vellet aut mutandam esse vocem *terroris*: aut delendam negationem. At non cogitabat paritalem ut eodem esse sensu intelligendam, quod P. Lentuli verba fuisse non horrida, etiam plena esset *terroris oratio*. Possit autem sine horrore illo verborum, & cum suavitate orationis terrorem consistere, docuit ipse

supra (cap. 11.) ubi hac de Pericle: *Hujus suavitate maxime hilante sunt Athenae: hujus libertatem & copiam admirata, eusdem cum libertate, terroremque timebant.* Anonymus.

<sup>63</sup> T. Postumius ] Is mihi videtur esse, de quo, belli civilis initio, nominatim feruatus decrevit, ut statim in Sicilia iret, ut epist. 15. lib. vii. ad Att. scribitur. *Idem.*

<sup>64</sup> M. Servilium ] M. Servilius Geminus, tribunus plebis. An. DCXCIV.

<sup>65</sup> C. Cornelium ] Qui Pompeji quaeque fuerat, dein tribunus plebis, quem Cicero praetor defendit, ut ipse in Orat. in Vatinium, & sibi sepe testatur. *Idem.*

<sup>66</sup> T. Accium Pisaurensem ] Quem bonum adolefcentem & disertum vocat in Orat. pro Cluentio. *Idem.*



ut doceret, ut delectaret, ut moveret: duo summe tenuit, ut & rem illustraret disserendo, & animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret, atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus. Nec erat ulla vis, atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque esset ardentior, furere & bacchari arbitraretur; sive quod natura non esset ita factus; sive quod non consueisset; sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, absuit: si opus erat, defuit. Quin etiam memini, cum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, questiones, manifestam rem deferre diceret, deque eo crimine accurate & exquisite disputavisset: me in respondendo, cum essem argumentatus, quantum res ferebat; hoc ipsum etiam posuisse pro argumento; quod ille, cum peltem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto & manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter. Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim cum ista eloquentia, alienorum hominum pericula defendere accerrime soleas, tuum negligeres? Ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingenii elicere voces, & querelas solet? Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis (quod minimum est) nulla suppositio. Itaque tantum absuit, ut inflammaret nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus. Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus.

Tum Brutus, Atqui dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit, an virtum? Quis enim non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium, & quocumque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse?

LXXXI. Sit sane ita, inquam: sed redeamus ad eum, qui jam unus restat, Hortensium: tum de nobismetipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus. Quamquam facien-

facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium: qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti.

C. Curionem te, inquit Brutus, & C. Licinium Calvum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris: quorum quidem alter, quod verisimile dixisset, ita facile, soluteque verbisolvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatus esse, nihil expeditius. Atque hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum: industriam non sum expertus: studium certe fuit: qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores, quam opes, consequi maluisset. Quidnam est, inquit, istud? & quemadmodum distinguis? Hoc modo, inquam. Cum honos sit praemium virtutis, iudicio, studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententis, qui suffragiis adeptus est: is mihi & honestus & honoratus videtur. Qui autem occasione aliqua, etiam invitis suis civibus, nactus est imperium, ut ille cupiebat: hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. Quae si ille audire voluisset, maxima cum gratia & gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratum, ut pater ejus fecerat, ut reliqui clariores viri. Quae quidem etiam cum P. Craffo, M. filio, cum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitrator, cum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent. Erat enim cum institutus optime, tum etiam perfe-

P p p 2 ste,

70 C. Curionem ] C. Scribonius Curio, patris consularis ac triumphalis eloquentia & ingenio similis, perditis moribus dissimilimus; quem Velleius lib. 11. egregie describit: Vir nobilis, eloquens, aulox, sua alienaque & fortuna & pudicitia prodigit, homo ingeniosissime nequam, & facundus malo publico; cuius animo, voluptativus, vel libidinosus nequa spes ulla, neque civitatis sustinere possent. Prullius.

71 C. Licinium Calvum ] C. Licinium Calvum, C. Licinii Macri filium, ut apud Valer. Max. lib. 10. cap. 12. videre poteris. Hujus vitam Crinitus & Lilius scripserunt.

Catullus eundem non semel ut oratorem & poetam describit. Ut poeta igitur versus in Caesarem scripsit, ut Suetonius ostendit. Scripsit & in Tigellium, unde versum refert interpres Horat. Sardi Tigelli praedium caput venis. Hinc Cicero de Paeligio loquens epist. 25. lib. 111. Famil. scribit itaq. Eius additio iam non parvo Caesari Licinio Hippaetico praecorior. Hic amavit Quintilianam, ut Catullus, & Propertius lib. 11. sunt auctores; & carmina cum ingenii animi plena, ut ait Seneca lib. 10. Contrarium saepe etiam lasciva scripsit, ut Ovid. lib. 11. de Tristibus ostendit. Corradus.

Ac, planeque eruditus: ineratque & ingenium satis acre; & orationis non inelegans copia: prætereaque sine arrogantiâ gravis esse videbatur, & sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbit æstus quidam non insolita adolescentibus gloriæ: qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat: cui muneri mos majorum ætatem certam, fortem incertam reliquit. Ita gravissimo suo casu, dum Cyri & Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant; & L. Crassi & multorum Crassorum inventus est dissimillimus.

LXXXII. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator fuisse cum literis eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi & exquisitius assererebat genus: quod quanquam scienter, eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, meruentque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem perdebat. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis, & attente audientibus erat illustris: a multitudine autem, & a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur.

Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebar, inquam, ita: sed & ipse errabat, & alios etiam errare cogebat. Nam, si quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide, Attice putat dicere, is recte, nisi Atticum, probat neminem. Insulstatem enim & insolentiam, tanquam insaniam quandam orationis, odit: sanitatem autem & integritatem, quasi religionem & verecundiam oratoris probat. Hæc omnium debet oratorum eadem esse sententia. Sin autem jejunitatem, & siccitatem, & inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit; hoc recte duntaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret & gradus, & dissimilitudines, & vim, & varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile, quam Demosthenes & Lysias? quam  
idem,

idem, & Hyperides? quam omnium horum Æschines? Quem igitur imitaris? Si aliquem, ceteri ergo Attice non dicebant. Si omnes; qui potes, cum sint ipsi dissimillimi inter se? In quo etiam illud quero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit? Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsa Athenæ videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias: natura quadam, aut voluntas ita dicendi fuit.

LXXXIII. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se; sed Attici tamen: quorum Charisius multas orationes scribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lysiam: Demochares autem, qui fuit Demosthenis sororis filius, & orationes scripsit aliquot, & earum rerum historiam, quæ erant Athenis ipsius ætate gestæ, non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, isque se ita putat Atticum, ut veros illos præ se pane agrestes putet. At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa, quam tamen consequitur, concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur ii Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo, qui sunt & inter se dissimiles, & aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitaris. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, & grandis etiam fuit. Hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit, (multæ enim sunt,) eas ego laudare soleo: imitari neque possim, si velim; nec velim fortasse, si possim. Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium consullem querat. Atqui ea notæ sunt optimæ. Credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quarimus, suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minime: sed quandam sequatur ætatem. Sic ego istis cœnuerim, & novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem, fugiendam; nec  
illam

illam præclaram Thucydidi nimis veterem, tanquam Anicia-  
nam notam, persequendam. Ipse enim Thucydides si poste-  
rius fuisset, multo maturior fuisset, & mitior.

LXXXIV. Demosthenem igitur imitemur. O dii boni!  
quid, quæso, nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At  
non assequimur. Isti enim videlicet Attici nostri, quod vol-  
unt, assequuntur. Ne illud quidem intelligunt, non modo  
ita memoriæ proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum De-  
mosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendæ causa, ex  
tota Græcia fierent. At cum isti Attici dicunt, non modo a  
corona, (quod est ipsum miserabile) sed etiam ab advoca-  
tis relinquuntur. Quare si anguste, & exiliter dicere, est At-  
ticorum, sint sane Attici: sed in comitiis veniant, ad stan-  
tem iudicem dicant. Subsellia grandiore, & pleniorē vo-  
cem desiderant.

Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit eum esse  
dicturum, locus in subsellis occupetur, compleatur tribunal,  
gratiosi scribæ sint in dando & cedendo loco, corona multi-  
plex, iudex erectus: cum surgit is, qui dicturus sit, signifi-  
cetur a corona silentium, deinde crebræ assensiones, multæ  
admirationes: risus, cum velit; cum velit, fletus: ut, qui  
hæc procul videat, etiam si, quid agatur, nesciat; at placere  
tamen, & in scena esse Roscium intelligat. Hæc cui contin-  
gant, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audivimus, ut  
de Hyperide, ut de Æschine, de ipso quidem Demosthene  
maxime.

Sin autem acutum, prudens, & idem sincerum, & soli-  
dum, & exficatum genus orationis probant, nec illo gra-  
viorē ornatu oratorio utuntur, & hoc proprium esse Attico-  
rum volunt; recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque  
varia, etiam huic minutæ subtilitati locus. Ita fiet, ut non  
omnes, qui Attice, iidem bene; sed, ut omnes, qui bene,  
iidem etiam Attice dicant. Sed redeamus rursus ad Horten-  
sium.

LXXXV. Sane quidem, inquit Brutus: quanquam ista mi-  
hi tua fuit perjuranda a proposita oratione digressio. Tum  
Attic-

Atticus, Aliquoties sum, inquit, conatus, sed interpellare  
nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur ser-  
mo tuus, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam,  
Tite. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in So-  
crate dicunt fuisse, qua ille in Platonis, & Xenophontis, &  
Æschinis libris utitur, facetam & elegantem puto. Est enim  
& minime inepti hominis, & ejusdem etiam faceti, cum de  
sapientia discipletur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere  
illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socra-  
tes in cælum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodi-  
cum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inficium  
fingit & rudem. Decet hoc nescio quomodo illum: nec Epi-  
curo, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu  
es usus in omni sermone, cum, qualis quisque orator fuisset,  
exponeres, vide, quæso, inquit, ne tam reprehendenda sit  
ironia, quam in testimonio.

Quorsus, inquam, istuc? non enim intelligo. Quia pri-  
mum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos  
posses in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix  
tenebam, cum Attico Lysia Catonem nostrum comparabas,  
magnum mehercule hominem, vel potius summum, & singu-  
larem virum: nemo dicit secus: sed oratorem? sed etiam  
Lysia similem, quo nihil potest esse pictius? bella ironia, si  
jocemur: sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam ad-  
hibenda sit, quam si testimonium diceremus.

Ego enim Catonem tuum, ut civem, ut senatorem, ut  
imperatorem, ut virum denique cum prudentia, & diligen-  
tia, tum omni virtute excellentem probō: orationes autem  
ejus, ut illis temporibus, valde laudo: significant enim quan-  
dam formam ingenii, sed admodum impolitam, & plane ru-  
dem. Origines vero cum omnibus oratoris laudibus refertas  
diceres, & Catonem cum Philisto & Thucydide comparares,  
Brutone te id censebas, an mihi probaturum? Quos enim ne  
e Græcis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas  
hominem Tusculanum, nondum suspicantem quale esset co-  
piose & ornate dicere.

LXXXVI. Galbam laudas. Si ut illius ætatis principem, assentior: sic enim accepimus. Sin ut oratorem, cedo, quæso, orationes, (sunt enim) & dic, hunc, quem tu plus, quam te, amas, Brutum, velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes: paulum hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Lælio, cujus tu oratione negas fieri quidquam posse dulcius. Addis etiam nescio quid augustius: nomine nos capi volens summi viri, vitæque elegantissimæ verissimis laudibus. Remove hæc: na ista dulcis oratio ita sit abjecta, ut eam adspicere nemo velit. Carbonem in summis oratoribus habitum scio: sed cum in cæteris rebus, tum in dicendo, semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecumque est, solet. Dico idem de Græchis: etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto cæteros: venio ad eos, in quibus jam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi, sine controversia magnos oratores, Crassum & Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior: sed tamen non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus ajebat, sic tu suasionem legis Serviliæ tibi magistratam fuisse. Hæc germana ironia est. Cur ita sentiam, non dicam, ne me tibi assentari putes. Omitto igitur, quæ de iis ipsis, quæ de Cotta, quæ de Sulpicio, quæ modo de Cælio dixeris. Ii enim fuerunt certe oratores. Quanti autem, & quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod concessisti operarios omnes: ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur.

LXXXVII. Hæc cum ille dixisset, Longi sermonis initium detulisti, inquam, Attice, remque commovisti, nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. Volvendi enim sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis. Intelleges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem, & colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere: alium, ut arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistratam fuisse dixerim.

xerim. Nam etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate; tamen, adolescentes quid in Latinis potius imitemur, non habebamus. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit (ut paulo ante dixi) quod intelligi volui, in eo, cujus omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare *espa* me, ne si Africanus quidem fuit, (ut ait in historia sua C. Fannius) existimari velim.

Ut voles, inquit, Atticus. Ego enim non alienum a te putabam, quod & in Africano fuisset, & in Socrate. Tum Brutus, De isto postea: sed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute: sed in Cumano; aut in Tusculano, aliquando, si modo licebit: quoniam utroque in loco vicini sumus. Sed jam ad id, unde digressi sumus, revertamur.

LXXXVIII. Hortensius <sup>72</sup> igitur, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad majores causas adhiberi coepit. Quanquam inciderat in Cottæ, & Sulpicii ætatem, qui annis decem majores, excellentæ tum Crasso, &

Tom. I.

Q q q

Anto-

<sup>72</sup> Hortensius igitur &c. ] Hic fuit eques Romanus, ut ait Afconius. Quæstor Verr. III. & V. fuisse dicitur. Edilis Verr. III. significatur, & ab Afconio vocatur; & sane fuit Octavio & Cotta cõs. Prætor Verr. II. co-guoscitur, & ab Afconio in III. nominatur. Edilis, vel prætor, cum seque modios populo Romano in capta defecisset; gratissimum omnibus fecit. Verr. V. Consul fuit cum C. Cæcilio Metello Cretico, ut Afconius scribit. Fuit etiam augur, & Ciceronem in augurum collegium cooptavit, ut initio diximus; unde Cicero epist. 8. lib. 111. Famil. suam collegam vocat & familiarem, quod essent conjunctissimi omnium consiliorum societate. Cicerò illum sæpe laudavit, ut hic. Libi 111. *De Oratore*, & in *Orat. pro Milone*, ubi vocat illum lumen & ornamentum Reip. & de nomine ipsius librum, in quo cohortatus est ad philosophiz studium, *Hortensium* inscripsit, ut ostendit lib. 1. de Fin. Tuscul. II. & III. & lib. 11. de Divin. Atque in his quidem omnibus videtur Cicero *823*, quæ de loquitur epist. 6. lib. 14. ad Attic. servasse; cum revera se ab

Hortensio sceleratissime & insidiosissime traditum esse sentiret, ut epist. 3. lib. 11. ad Q. Frat. & epist. 6. lib. 111. ad Attic. declaratur. Dives admodum videtur fuisse, qui Tusculanum haberet, ut Plin. ostendit lib. xxxv. cap. 11. villam ad Baulos, ut Cicero lib. 11. Acad. Quæst. & Varro lib. 111. cap. 17. de L. Li. testatur, quædam ad portam Flumentanam, epist. 3. lib. 7. ad Attic. villam in Laurenti agro cum sylva magna, ut Varro lib. 111. cap. 13. de R. R. testis est; & domum tam pulchram, ut postea L. Lentulum eam sibi in bello civili responderit, epist. 6. lib. xi. ad Attic. & super decem milia eadum heredi reliquit, ut Plin. lib. xxv. cap. 11. scribit. Fuit certe sumptuosus ita, ut, quod Dion lib. xxxix. scribit, consuli legem sumptuariam ferre volentibus sit adversatus. Male audivit, & quod iudices corrumperet, ut Cicero in Verrius significat & Afconius interpretatur, & quod munera a clientibus acciperet. Solutus erat gloriæ, quod nunquam bello civili interfucisset, ut epist. 16. lib. 11. Famil. scriptum videtur. *Ideu*.

Antonio, deinde Philippo, post Julio, cum iis ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adjumento ille tanto sic utebatur, ut sua & commentata, & scripta, &, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditarietur extra forum. Sapissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus disturus esset, & collectiones, memor & quæ essent dicta contra, quaque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus: eaque erat cum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec prætermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora & suavis. Motus & gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. Hoc igitur florente, Crassus est mortuus, Cotta pulsus, judicia intermissa bello, nos in forum venimus.

LXXXIX. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum: Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius: exercebatur una lege iudicium Varia, cæteris propter bellum intermissis: qui frequentes aderant (quanquam pro se ipsi dicebant) oratores non illi quidem principes L. Memmius, & Q. Pompejus, sed oratores tamen, teste disertot uterque Philippo, cujus in testimonio contentio & vim aculatoris habebat, & copiam. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio: quanquam is quidem silebat, ut erat semel a concione univerfa relictus. Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans: disertus autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: & ii quidem habitabant in rostris.

stris. C. etiam Julius, ædilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieque & scribens, & legens, & commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non eram. Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. Ego autem, juris civilis studio, multum operæ dabam Q. Scævola, P. filio, qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sylla consul, & Pompejo fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Eodemque tempore cum princeps Academia Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus: in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas & magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata jam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium ætatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Julius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romæ dedimus operam, & aëori summo causarum, & magistro.

XC. Hæc etsi videntur esse a proposito ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere quoniam voluisti, Brute, possis, (nam Attico hæc nota sunt) & videre, quemadmodum sumus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti.

Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu, aut discessu, aut fuga, (nam aberant etiam adolescententes M. Crassus, & Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius: magis magisque quotidie probabatur. Antistius, Piso sæpe dicebant; minus sæpe Pomponius; raro Carbo; semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoiico Diodoro: qui cum habitavisset apud me,



mecumque vixisset, nupere est domi meae mortuus. A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quae quasi contracta, & adstricta eloquentia putanda est: sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti, te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilataram esse putant, consequi non posse. Huic ego doctori, & ejus artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoris nullus dies vacuus esset. Commentabar declamans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone, & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppedians, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat: vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri.

Tumulus interim pro recuperanda republica: & crudelis interitus oratorum trium, Scavola, Carbonis, Antistii: reditus Cotta, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompeji: leges & judicia constituta: recuperata respublica: ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus, Murena sublati. Tum primum nos ad causas & privatas, & publicas adire coepimus; non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. Eodem tempore Moloni dedimus operam. Dictatore enim Sylla, legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas & tanquam elucubratas afferebamus.

XCI. Nunc, quoniam totum me non navo aliquo, aut corpore omni videris velle cognoscere, complectar nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa fragilitas & infirmitas corporis; procerum & tenue collum: qui habitus, & quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor, & laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissio-

ne,

ne, sine varietate, vi summa vocis, & totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me & amici & medici hortarentur, ut causas agere desisterem: quodvis potius periculum mihi adendum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed, cum centerem, remissione & moderatione vocis, & commutato genere dicendi, me & periculum vitare posse, & temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque cum essem biennium versatus in causis, & jam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus.

Cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo & prudentissimo philosopho, fui, studioque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo auctore, & doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem, & non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia, illis temporibus, disertissimus: & si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest.

Affiduisime autem mecum fuit Dionysius Magnes. Erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, neque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, cum actorem in veris causis, scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, & instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit) ut nimis redundantes nos, & superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate & licentia, reprimeret, & quasi extra ripas disfluentes coerceret. Ita recepi me biennio post, non modo exercitior, sed prope mutatus. Nam & contentio nimia vocis reciderat, & quasi deferberat oratio, lateribusque vires, & corporis mediocritas habitus accesserat.

XCII.

XCII. Duo tum excellabant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta, & Hortensius: quorum alter remissus & lenis, & propriis verbis comprehendens solute & facile sententiam; alter ornatus, acer, & non talis, qualem tu eum, Brute, jam desorefcntem cognovisti, sed verborum, & actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod & dicendi ardore eram prior, & ætate conjunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canulejo, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensam, & agentem, & canorum, concursus hominum, forique strepitus desiderat.

Unum igitur annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, cum quaesturam nos, consulatum Cotta, ædilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus: Cotta ex consulatu est profectus in Galliam: princeps & erat & habebatur Hortensius. Cum autem anno post e Sicilia me recepissem, jam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, & habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse præsertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium, & eloquentiam meam perspicias, unde longe abssum, sed ut laborem, & industriam. Cum igitur essem in plurimis causis, & in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus adilis cum designato consule Hortensio.

XCIII. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam præcepta quædam desiderat: quid tanquam notandum, & animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere.

Nam is post consulatum (credo quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos qui consules non fuissent) summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatus, ut ipse putabat, remissus certe, vivere. Primus, & secundus annus, & tertius tantum  
quasi

quasi de picturæ veteris colore detraxerat, quantum non quis unus ex populo, sed existimator doctus, & intelligens posset cognoscere. Longius autem procedens, & in cæteris eloquentiæ partibus, tum maxime in celeritate & continuatione verborum adhærens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie.

Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime stylo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat. Atque (ut multa omittam) in hoc spatio, & in iis post ædilitatem annis, & prætor primus, & incredibili populari voluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in causis & industriam, tum propter exquisitius, & minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi novitate converteram. Nihil de me dicam: dicam de cæteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis, quibus fons perfecta eloquentiæ continetur: nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum, beneque dictorum: nemo, qui jus civile didicisset, rem ad privatas causas, & ad oratoris prudentiam, maxime necessariam: nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret: nemo, qui breviter, arguteque, incluso adversario, laxaret iudicum animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem, risumque traduceret: nemo, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis, ac temporis, ad communem quaestionem universi generis orationem traduceret: nemo, qui delectandi gratia digredi parumper a causa: nemo, qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo, qui ad solum posset adducere: nemo, qui animum ejus (quod unum est oratoris maxime proprium) quocumque res postularet, impelleret.

XCIV. Itaque, cum jam pæne evanisset Hortensius, & ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam cœpit: ne, cum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximo causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferet, conjunctissime ver-  
fati

fati fumus: consularique meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude conjunxerat. Maxime vero perfecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito, & obmutuit: cum lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius eandem, novi veniebamus quotidie. Quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti, compluresque & nobiscum, & solus egisti: ut qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum consecerit. Annis ante decem causas agere coepit, quam tu es natus: idem quarto & sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum focerum tuum defendit Appium.

Dicendi autem genus, quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

XCv. Sed, si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius; causas reperiemus verissimas duas. Primum, quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum, quam senectuti. Genera autem Asiatica dictionis duo sunt. Unum sententiosum & argutum, sententis non tam gravibus & severis, quam concinnis & venustis: qualis in historia Timaeus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Meneclis, frater ejus, fuit; quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententis frequentatum, quam verbis volucre, atque incitatum; quali est nunc Asia tota; nec summe solum orationis, sed etiam exornato, & faceto genere verborum: in quo fuit Aeschylus Cnidius, & meus aequalis Milesius Aeschines. In iis erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. Haec autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus: in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim & Meneclium illud studium crebrarum, venustarumque sententiarum: in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc, erant quaedam magis venusta, dulcesque sententiae.

tentiae, quam aut necessariae, aut interdum utiles. Et erat oratio cum incitata, & vibrans, tum etiam accurata & polita. Non probantur haec senibus. Saepè videbam cum irridentem, tum etiam irascentem & stomachantem Philippum: sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur.

Erat excellens judicio vulgi, & facile primas tenebat adolescens. Etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur: & certe, quod & ingenii quaedam forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat. Sed, cum jam honores, & illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem: quodque exercitationem, studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa, crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio & florentem facultate audire potuisses.

XCvi. Tum Brutus, ego vero, inquit, & ista, quae dicis, video qualia sint, & Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messala dicentem, cum tu abfuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, (ut ajunt) scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule & Scavola usque ad Paulum & Marcellum consules floruit: nos in eodem cursu fuimus a Sylla dictatore ad eodem fere consules. Sic Q. Hortensii vox extincta fato suo est, nostra publico.

Melius, queso, ominare, inquit Brutus. Sit sane ut vis, inquam; & id non tam mea causa, quam tua: sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit cum fierent, quae providit futura. Saepè enim inter nos impendentes casus descevimus, cum belli civilis causas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseris, quae consecuta sunt, morte vindicavisse.

Nos autem Brute, quoniam post Hortensii, clarissimi oratoris,

toris, mortem orbæ eloquentiæ quasi tutores reliqui sumus, domi teneamus eam septam liberali custodia: & hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque, ut adultam virginem, caste, & ab amatorum impetu, quantum possumus, prohibeamus. Equidem, etsi doleo me in vitam paulo serius, tanquam in viam, ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc reipublicæ noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis literis; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quæ de me, etiam me tacente, ipsa loquerentur, mortuoque viverent. Quæ, si recte esset, salute reipublicæ; sin secus, interitu ipso, testimonium meorum de reipublica consiliorum darent.

XCVII. Sed in te intuens, Brute, doleo; cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehementem, transversa incurrit misera fortuna reipublicæ. Hic me dolor tangit, hæc me cura sollicitat, & hunc mecum, socium ejusdem & amoris & judicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam, atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illic veneras unus, qui non linguam modo acuisisses exercitatione dicendi, sed & ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, & iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiæ laude junxisses. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod & ipse reipublica careas, & illa te. Tu tamen (etsi cursum ingenii tui, Brute, premit hæc importuna clades civitatis) contine te in tuis perennibus studiis, & effice, id, quod jam propemodum, vel plane potius effecerat, ut te eripias ex ea, quam ego congeffi in hunc sermonem, turba patronorum. Nec enim decet te, ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non posses, arcessevisi ex urbe ea, quæ domus est semper habita doctrinæ, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Græciæ? quid illa vetus A-

\* Amatorum ] Viâ. Man. Grut. amatorum

cademia, atque ejus heres Aristus, hospes, & familiaris meus, si quidem similes majoris partis oratorum futuri sumus? Nonne cernimus, vix singulis ætatibus binos oratores laudabiles constituisse? Galba fuit inter tot æquales unus excellens; cui (quemadmodum accepimus) & Cato cedebat senior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt, Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus multo faciliore, & liberiore genere dicendi; quorum tamen ipsorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta nondum fuit: Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius: nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis \*\*\* si operosa est concursatio magis opportunorum \*\*\* 77

77 Si operosa est concursatio magis opportunorum ] Hic multi multa deesse, aliqui aliquid, nonnulli nonnihil, omnes fere locum mendosum esse putant; nos, ut aliquid concedamus, multa tamen non credimus deesse, cum facta & dicta sint omnia, quibus dialogi texti & finiri soleant; & Tacit. in Dial. de Orat. hanc extremam partem fuisse docet. Fieri igitur potest, ut aliquod verbum desit, aut, quæ sunt hic verba, ita sint mendosa, ut sensus elici non possit: etsi videatur hoc modo elici posse: Tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, me non magis hoc studium dicendi facturum fuisse, si tamen operosa est concursatio ma-

gis opportunorum ita, ut difficile sit cognoscere, qui sint oratores magis opportuni: cum quisvis id posse intelligere, & ita judicare, an ego in multis sim numerandus, an inter paucos collocandus. A verborum vero post verbum, *multis*, loco & dedita opera facta est, ne si totam rem pronuntyet, arroganter loqui videretur. Itaque reliquit nobis intelligendum, aut addendum *non magis facturum*, aut tale quid. Quod autem pertinet ad illa verba: Si operosa, video etiam legi posse: etsi operosa, vel sed operosa, præsertim cum Cicero hac particula, *sed*, post *avertentem* frequenter utatur. *Idem*.



## O R A T O R

A D M. B R U T U M.

## A R G U M E N T U M.

Hujus libri summum consilium hoc est, ut perfecti ab omnibus partibus & absoluti oratoris species quadam & forma effingatur, quam imitans futurus orator, ad perfectam eloquentiam conformare orationem possit. Summa autem totius disputationis huc redit, ut orator perfectus is sit, qui tria illa dicendi genera ita habeat in potestate, ut parva summissis, modica temperate, magna graviter dicere possit. Vide cap. 29. Hanc disputationem ita instruat, ut posito tanquam fundamento eloquentiae, philosophiae studio, cap. 3. 4. primo de tribus dicendi generibus agat, eaque occasione verum Atticum dicendi genus hoc esse agat, quod omnia apte possit eloqui, non aridum illud & jejunum, quod quidam consecrarentur, cap. 5. 9. Deinde vero tria oratori videnda ostendat, quid, quo loco, & quo modo dicat: quorum primum in inventionione, alterum in dispositione, tertium in elocutione versetur, cap. 10. 18. Ac summam eloquentiae vim in elocutione positam doceat, quae cum quidem perfecta sit, cum sit ad docendum, delectandum, stultendum accommodata, hoc est, tribus illis generibus commode utatur: cujusmodi elocutio quibus quasi signis agnoscat & judicetur, fuse persequitur, cap. 19. 38. Tandem ipsa forma ac character orationis traditur, & de verborum sententiarumque luminibus, cap. 39. 40. ac de collocacione verborum, cap. 44. & seq. Ea autem cernitur, vel cum extrema cum primis apte cohaerent, & enuntiantur suavissimis vocibus; vel cum forma ipsa concinnitasque verborum conficit orbem suum; vel tertio cum periodi apte numerosque cadant. Itaque tandem agitur de numero, cujus origo, cap. 52. causa, cap. 53. natura, cap. 53. & usus, cap. 61. declaratur. ERNESTUS.

I. UTRUM

I.



TRUM difficilius, aut majus esset negare tibi sapius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. Nam & negare ei, quem unice diligere, cuique me carissimum esse sentirem, preferim & iusta petenti, & praecleara cupienti, durum admodum mihi videbatur: & suscipere tantam rem, quantum non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti; vix arbitraber esse ejus, qui vereretur reprehensionem doctorum, atque prudentium. Quid enim est majus, quam cum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, judicare, quae sit optima species, & quasi figura dicendi? Quod quoniam me sapius rogas, aggrediar, non tam perficendi spe, quam experiendi voluntate. Malo enim, cum studio tuo sim obsecutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benevolentiam.

Quæris igitur, idque jam sapius, quod eloquentiae genus problem maxime, & quale mihi videatur illud, cui nihil addi possit, quod ego summum & perfectissimum judicem. In quo vereor, ne, si id, quod vis, effecero, eumque oratorem, quem quæris, expressero, tandem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolent, quod se assequi posse dissident. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas, & magno opere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis, tertisque consistere. Nam in poetis, non Homero soli locus est (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia & copia cæterorum studia restinxit.

II. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui

qui aut Ialyfi<sup>1</sup>, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coe Veneris<sup>2</sup> pulchritudinem imitari. Nec simulacro Jovis Olympii<sup>3</sup>, aut Doryphori<sup>4</sup> statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus. In oratoribus vero, Græcis quidem, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. Attamen, cum esset Demosthenes, multi oratores magni & clari fuerunt, & antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiæ dederunt, spes infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: & in præstantibus rebus, magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima.

Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quæro, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse præstantius: quod in perpetuitate dicendi non sæpe, atque haud scio an unquam, in aliqua parte eluceat aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit<sup>5</sup>, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimat, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest; cogitatione tantum, & mente complectimur. Itaque & Phidias simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, & his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, e quo simi-

<sup>1</sup> Ialyfi ] De hac Ialyfi imagine vide Gellium, lib. xv. cap. 21.

<sup>2</sup> Coe Veneris ] De hac Veneri Plinius, lib. xxxv. cap. 10.

<sup>3</sup> Jovis Olympii ] De quo Plinius, xxxv. 8. & Pausanias in Eliac.

<sup>4</sup> Doryphori ] Plin. ibid.

<sup>5</sup> Quo non pulchrius id sit, &c. ] Methodum hic Platoniam ab Aristotelem diversam sequitur Tullius. Plato via sapientia altissima rerum causas investigat; ideas rerum perfectissimas mente exprimit, & ab universali-

bus, ut ajunt, ad singularia descendit. Aristoteles via scientia proximas rerum causas inquiri, & a singularibus ad universalia progreditur. De perfecto oratore si differendum sit Aristoteleo more, videndum quid in singulis oratoribus sit eximium, & collatis singulorum virtutibus, exprimens generatim oratoris imago. At si dicendum sit more Platonicis, perfectæ eloquentiæ species cogitatione comprehendenda, ad quam singulos oratores dirigamus. *Præstat.*

militudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat.

III. Ut igitur in formis & figuris est aliquid perfectum & excellens, cujus ad cogitatum speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt: sic perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus, effigiem auribus querimus. Has rerum formas appellat *ideas*<sup>6</sup> ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister, Plato: easque gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu. Quicquid est igitur, de quo ratione & via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.

Ac video, hanc primam ingressionem meam non ex oratoris disputationibus ductam, sed e media philosophia<sup>7</sup> repetitam, & eam quidem cum antiquam, tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineant ad ea, quæ querimus: quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa alte repetita videatur: aut reprehendent, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem & me sæpe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam, sed inaudita plerisque: & fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatii existisse. Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primùm impressa sunt vestigia: sed & hujus, & aliorum philosophorum disputationibus,

<sup>6</sup> Appellat ideas ] Idea Platonica aliud nihil est, nisi rei naturalis exemplum: ut enim prudens artifex ex imagine quam animo informavit, opus dirigit & efficit; ita Deus, cujus infinita est providentia, ex specie, quæ divine menti insidet, omnia molitur. Hac porro species est idea, quæ non gignitur, sed semper est, ac ratione & intelligentia continetur. Quo propius ad illam ideam accedit opus aliquod, eo perfectius censetur. Exempli gratia, pulchritudo in corporibus est magis expressa ideæ similitudo.

<sup>7</sup> E media philosophia ] Mediam philosophiam dicit illam secretissimam, quæ secretiora sunt ea quæ rebus in mediis latent. *Antiquam*, accipit Platoniam; *subobscuram*, quod idearum species non cadit in sensum, sed in mentem & cogitationem. *Seriosas*.

nibus, & exagitatus maxime orator est, & adjutus. Omnis enim ubertas, & quasi silva dicendi, ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas: quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Sic eloquentia hæc forensis spreta a philosophis & repudiata, multis quidem illa adjumentis magnisque caruit; sed tamen ornata verbis atque sententiis, iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium reprehensionemque pertimuit. Ita & doctis eloquentia popularis, & disertis elegans doctrina defuit.

IV. Postum sit igitur in primis, (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici, quem quærimus, eloquentem: non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adjuvet, ut palastra histrionem\*. Parva enim magnis sæpe rectissime conferuntur. Nam nec latius, nec copiosius de magnis, variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phædro Platonis hoc Periclem præstitisse cæteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ physici fuerit auditor: a quo censeat, cum, cum alia præclara quadam & magnifica didicisset, uberem & secundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest: cujus ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec vero sine philosophorum disciplina, genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus; nec iudicare, quæ vera, quæ falsa sint; neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam? de vita, de officiis, de virtute, de moribus? sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi potest?

V. Ad

\* *Ut palastra histrionem* ] Histriones sunt a hores fabularum, qui mirri solebant ad palastras. Et id Quintilianus fieri suadet, ut exercitatione palastræ membra decentius & corpus morentur, aptiusque gestum componerent: cujus exæthores severos Athenienses fuisse constat, atque Romanos, recepta celebritate & magnificentia ludorum scenico-

rum. Ut igitur in scena videntes histrionem prudentiores, operante palastræ deserer, intelligant: ita qui dicentem audiunt oratorem, sentiant quantum disciplina & eruditione profecerit: utque plus habet librato quam palastrita, sic summus orator, quam philosophus ille cui popularis eloquentia deest. *Idem.*

V. Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quæ sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut veram illam, & absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est: & ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quæritur. Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum nostrorum tribuebat ætas, vir natura peracutus & prudens, in eo libro, quem unum reliquit, *disertos* ait se vidisse multos, *eloquentem* omnino neminem. Insidabat videlicet in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa & in se & in aliis desiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat.

Quod si ille nec se, nec L. Crassum eloquentem putavit: habuit profecto comprehensam animo quandam formam eloquentiæ, cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid, aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem nunquam vidit Antonius, aut qui omnino nullus unquam fuit: quem si imitari, atque exprimere non possumus, quod idem ille vix deo concessum esse dicebat; at qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.

VI. Tria sunt omnino genera dicendi<sup>o</sup>, quibus in singulis quidam floruerunt: peræque autem (id quod volumus) perpauca in omnibus. Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla & sententiarum gravitate, & majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves: ad permovendos, & convertendos animos instructi, & parati. Quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa: alii lævi, & instructa, & terminata. Et contra tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora, facien-

Tom. I.

S i f

<sup>o</sup> *Tria sunt genera dicendi* ] Hæc est Græcorum doctrina, qui triplicem dicendi charactere fecerunt, *ἀγρόν*, *ἄγρον*, *ἄγρον*, *ἄγρον*, *ἄγρον*, *ἄγρον*. Uberi dignitas est & amplior: gracili venustas & subtilitas; mediis in confinio est, utriusque modi particeps. His singulis virtutibus vitia agnata

sunt. Sufflatis atque tumidi fallunt pro uberibus, squallentes & jejuni dicti pro gracilibus, incerti & ambiguus pro mediocribus. *Celsus lib. vii. cap. 14.* Grandiloquus est Cicerone in oratione pro Milone, tenuis & acutus cum dicit pro Cecinna, temperatus in oratione pro lege Manilia. *Præfatus.*

facientes, subtili quadam & pressa oratione limati. In eodemque genere alii callidi, sed impoliti, & consulto rudium similes & imperitorum: VIII. In eadem jejunitate concinniores, id est, faceti, florentes etiam, & leviter ornati.

Est autem quidam interjectus, inter hos medius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, ut cinnus<sup>10</sup> amborum, in neutro excellens, utriusque particeps; vel utriusque (si verum quarimus) potius expertus. Ique uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem & æquabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros<sup>11</sup>, omnemque orationem ornamentis modicis verborum, sententiarumque distinguit. Horum singulorum generum quicumque vim singulis consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. Sed querendum est, latine id, quod volumus, effecerint.

VII. Videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate, ac graviter, iidem versute, & subtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis oratoris simulacrum reperire possemus! Esset egregium non querere externa, domesticis esse contentos. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios, vel quod amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodavit ad eam, quam sententiam, eloquentiam; non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior existit quisquam, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Attice volunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quoniam Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. Quid enim sit Atticum, discant, eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua, metiantur. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Sed tamen eos studio

<sup>10</sup> Ut cinnus. ] Perperam nonnullis in editionibus habetur vicinæ. Veram lectionem ex Nonio Marcello ab eruditiss. dresdavi. accipimus. Cinnus, inquit, est commissio plurimorum, sive & concinnare dicitur. Deinde locum huic integrum subiicit. Idem.

<sup>11</sup> Ut in corona, toros. ] Volubile genus orationis & rotundum ut corona, suscipit ad ornamentum partes eminentiores, quasi toros, ne tanquam positum marmor, varietatis jucunditate careat. Strabon.

dio optimo, judicio minus firmo præditos, docere, quæ sit propria laus Atticorum, non alienum puto.

VIII. Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium & nutum totos se fingunt & accommodant. Itaque Caria, & Phrygia, & Mysia, quod minime polita, minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato<sup>12</sup> interjecto mari) Rhodii nunquam probaverunt, Græci autem multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt: quorum semper fuit prudens, sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum, audire, & elegans. Eorum religioni cum ferviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat.

Itaque hic, quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Cresiphonte oratione longe optima, summissus a primo: deinde, dum de legibus disputat, pressus: post sensim incedens, iudices ut vidit ardentis, in reliquis exultavit audacious. Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante verborum omnium pondera, reprehendit Æschines quædam, & exagitat; illudentque, dura, odiosa, intolerabilia esse dicit. Quin etiam querit ab ipso, cum quidem eum belluam appeller, utrum illa verba, an portenta sint: ut Æschini ne Demosthenes quidem videatur Attice dicere. Facile est enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idque restinctis jam animum incendiis irridere. Itaque se purgans jocatur Demosthenes<sup>13</sup>, negat in eo positas esse fortunas Græciæ, in hoc eum, huc, an illuc manum porrexerit. Quoniam igitur modo audiretur

S i f 2 M y-

<sup>12</sup> Non ita lato. ] Decem fere leucis Gallicis Rhodus distat a litonibus Carie. Præfatus.

<sup>13</sup> Jocatur Demosthenes. ] Verba Demosthenis sunt: Πῶς γὰρ καὶ τὸν ἐξ ἡγῆ γλυκῆν ἐν τῷ ἰσχυρῷ ἰσχυρῶν, ἢ τὸν ἐν τῷ ἰσχυρῷ ἐν τῷ ἰσχυρῷ. Præclare sane se habeant fortunas Græcorum, uti videre poter, hoc si verbum, non illud locutus

sunt: aut si manum hoc, non illuc, protulerim. Ex his facile est intelligere, locum Ciceronis esse corruptum, & hoc modo legendum. Negat in eo positas esse fortunas Græciæ, hoc an illud dixerit verbum, huc an illuc manum porrexerit. Strabon. Emendavit Lamb. hoc an illud locutus sit. Quæ sit sententia, vident omnes: quæ fuerint Ciceronis verba, nemo.



Myſus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitur, ut putidus? Cum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere cœpisset, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri?

IX. Ad Atticorum igitur aures teretes <sup>14</sup>. & religiosas qui se accommodant, si sunt existimandi Attice dicere. Quorum genera plura sunt; hi unum modo <sup>\*</sup> quale sit <sup>15</sup>, suspicantur. Putant enim, qui horride inculcteque dicat, modo id elegantem enucleateque faciat, eum solum Attice dicere. Erant, quod solum: quod Attice, non falluntur. Istorum enim iudicio, si solum illud est Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice, cui prima sine controversia deferebantur. Qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset. Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lyſias. Quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lyſia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens, aut ineptum. Ornate verò, & graviter, & copiose dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Æschines, neve Demosthenes Atticus.

Ecce autem aliqui se Thucydidos esse proferunt, novam quoddam imperitorum & inauditum genus. Nam qui Lyſiam sequuntur, caudicium quendam sequuntur: non illum quidem amplum atque grandem; subtilem & elegantem tamen, & qui in forensibus causis possit præclare consilire. Thucydides autem res gestas & bella narrat & prælia, graviter sane & probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum & publicum. Ipsæ illæ conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione civili vitium vel maximum. Quæ est autem in hominibus tanta

<sup>14</sup> Atticorum igitur aures teretes ] Dixit hic Cicero teretes aures, sicut Horatius os rotundum: *Gravis delis ore rotundo Musa loqui*. Acron interpretatur os perfectum. Autem ergo teretes, perfectæ, perpolitæ, delicatæ, & quæque sonis asperioribus facillime laudantur. Reliquæ vero, quæ nihil corruptum, nihil foedum, nihil putidum admittunt: con-

tra legunt pura omnia, sancta, & incorrupta, ut fieri solet in observatione cærimoniarum. *Idem.*

<sup>\*</sup> Quale ] Lamb. quale id cumque

<sup>15</sup> Hi unum modo quale sit ] Sentus est: Attice dicentium plura sunt genera; sed Latini qui se dicere Attice putant, unum sibi genus qualescunque sit, fingunt. *Idem.*

ta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? An victus hominum, Atheniensium beneficio <sup>16</sup> excoli potuit, oratio non potuit? Quis porro unquam Græcorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit? At laudatus est ab omnibus. Fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis: non ut in iudiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator. Nec vero, si historiam non scripisset, nomen ejus non exstaret <sup>17</sup>, cum præsertim fuisset honoratus & nobilis. Hujus tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur: sed, cum mutila quadam & hiantia locuti sunt, quæ vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas. Nactus sum etiam qui Xenophontis similem esse se cuperet: cujus sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus. Referamus nos igitur ad eum, quem volumus, inchoandum, & eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius.

X. Magnum opus omnino & arduum, Brute, conamur: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, & semper amavi ingenium, studia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, non desiderio solum (quo quidem conficior) congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos, sed etiam admirabili fama virtutum incredibilium, quæ specie dispares, prudentia conjunguntur. Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligi? consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos, placatosque dimittas. Itaque efficit, ut, cum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quæ facis. Ergo omni-

<sup>16</sup> Atheniensium beneficio ] Primus omnium Athenienses agriculturæ rationem a Tripolemo edoctos fuisse, memoriz proditum est. *Idem.*

<sup>17</sup> Nomen ejus non exstaret ] Ita Lambini editiones, quod cum verbis sequentibus magis congruit. Ut sententia sit, Nunquam

Thucydides locum inter oratores habuit, celeberris est tantum historici nomine: non continuo tamen, si historiam non scripisset, oblivioni fuisset traditus, si quidem & nobilitate & honoribus Athenis inclaruit. In aliis editionibus particula negans supprimatur. *Idem.*

omnibus terris <sup>18</sup> una Gallia <sup>19</sup> communi non ardet incendio: in qua frueris ipse te, cum in Italia luce <sup>20</sup> cognosceris, verarisque in optimorum civium vel flore vel robore. Jam quantum illud est, quod in maximis occupationibus <sup>21</sup> nunquam intermittis studia doctrinae? semper aut ipse scribis aliquid, aut me vocas ad scribendum?

Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto <sup>22</sup>: quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem. Sed testificor, me a te rogatum, & recusantem, hac scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quaestionem non porvero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. In quo tamen <sup>23</sup> iudicii nostri errorem laus tibi dari muneris compensabit.

XI. Sed in omni re difficillimum est, formam (quod *κατατύπη* Graece dicitur) exponere optimi: quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non difcedit a communi more verborum; Pacuvio, inquit alius: omnes apud hanc ornati, elaboratique sunt versus; multa apud alterum negligentius. Fac alium Accio. Varia enim sunt iudicia, ut in Graecis: nec facilis explicatio, qua forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abditia: & opa-

<sup>18</sup> *Omniaque terris* ] Post haec verba vulgati omnes virgulas adscribant, quae videtur delenda esse, ut sic ordinentur voces: *Expo Gallia una non ardet incendio communi terris omnibus*. Potest etiam scribi, *ex omnibus terris*, quo modo ante Victorianam editionem vetustiores habuerant. *Olivetus*.

<sup>19</sup> *Una Gallia* ] Trajacobus in Africam Caesar adversus Catonem & Scipionem, Bruto Galliam Cisalpinam, magni illius provinciae Siciliae, conquistit. *Plutarchus* in *M. Bruto*: *Idem*.

<sup>20</sup> *In Italia luce* ] In Gallia, quae sit lux Italiae. Ad quod faciunt haec in Antoniana tertius. *Nec vero de civitate, constantia, gravitate provincia Gallia taceri potest. Est enim ille sors Italiae, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. Illic Italiae sors Galliam, hic optimorum civium sorem: illic imperii firmamentum,*

hic optimorum civium robur varie dixit. *Sextus*.

<sup>21</sup> *In maximis occupationibus* ] Adeo studio literarum deditum fuisse Brutum scribit Plutarchus, ut in castris daret operam legendis libris, & paulo ante Pharsalicam pugnam, aliis de eventu pugnae sollicitis, ipse Polybii epitomen componeret. *Prullus*.

<sup>22</sup> *Catone absoluto* ] Non est hic *Cato maior*, seu liber de Senectute, sed laudatio Catonis Uticensis, qui ne venire in potestatem Caesaris, ipse sibi manus attulerat: in quem Caesar Anticatoque edidit, ut Cicero nem resisterent. *Sextus*.

<sup>23</sup> *In quo tamen* ] Si culpatur iudicium meum, quod opus aggressus sum, cui efficiendo non eram idoneus, laudabitur quidem voluntas dandi mihi munus. *Ammonius*.

opaca: contra alios nitida, lata, collustrata delectant. Quid est, quo praescriptum <sup>24</sup> aliquid, aut formulam exprimas, cum in suo quodque genere praestet, & genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsi: existimavique, in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiam si lateret: idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, iudicari.

Sed quoniam plura sunt orationum genera, etque diversa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, suasionum, & historiarum, & talium scriptionum, qualem Iocrates fecit Panegyricum <sup>25</sup>, multique alii, qui sunt nominati sophista, reliquarumque rerum, quae abluunt ab forensi contentione, ejusque totius generis, quod Graece *ἐπιδεικτικόν* <sup>26</sup> nominatur, quod, quasi ad inspiciendum, delectationis causa comparatum est, formam non complectar hoc tempore: non quo negligenda sit: est enim illa quasi nutrix ejus oratoris, quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquisitius dicere.

XII. Ab hac & verborum copia alitur, & eorum constructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati sententiarum: & argui certique & circumscripti verborum ambitus conceduntur: de industriaque, non ex infidiis, sed aperte, ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa, & paria respondeant; ut crebro confentantur pugnancia, comparenturque contraria; & ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum: quae in veritate causarum & rariis multo facimus, & certe occultius. In Panathenaeo <sup>27</sup> autem Iocrates ea studiose con-

<sup>24</sup> *Praescriptum* ] Literarum characteres prius scripti, quos ludi magister pueris imitandos proponit. *Prullus*.

<sup>25</sup> *Panegyricum* ] In quo elaborando decem aut etiam quindecim annos Iocratem consumpsisse tradunt. Oratio ex suasionem & laudationem mixta, cujus prima parte laudes Athenientium persequitur, altera eosdem ad bellum regi Persarum inferendum impellit. *Idem*.

<sup>26</sup> *Επιδεικτικόν* ] Quod quid differat a laudatione, Quintilianus, *lib. 4.*, ostendit.

his verbis: Sed mihi *ἐπιδεικτικόν* non ita demonstrationis vim habere, quam ostentationis videtur, & multum ab illo epiconiastico differre. Nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit panegyricos *ἐπιδεικτικόν* esse? Atqui formam suadendi habent, & plerumque de utilitatibus Graeciae loquuntur. Haec ille. Unde scias *ἐπιδεικτικόν* genus latius patere, quam quod laudativum vocatur. *Sextus*.

<sup>27</sup> *Panathenaeo* ] Iocratem oratione sic appellat.

festatum fatetur. Non enim ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat.

Hæc traſtaſſe Thraſymachus Chalcedonium, primum, & Leontinum ferunt Gorgiam: Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos *λογολυβδάνης* <sup>28</sup> appellat in Phædro Socrates: quorum ſatis arguta multa, ſed ut modo primumque naſcentia, minuta, & <sup>\*</sup>verſiculorum ſimilia quadam, nimiumque depiſta. Quo magis ſunt Herodorus, Thucydidesque mirabiles: quorum ætas cum in eorum tempora, quos nominavi, incidiffet, longiſſime tamen ipſi a talibus deliciis, vel potius ineptiis, abſuerunt. Alter enim ſine ullis falebris quaſi ſedatus amnis fluit: alter incitator fertur, & de belliſis rebus carit etiam quodam modo bellicum: primiffique ab his ( ut ait Theophrastus ) hiſtoria commota eſt, ut auderet uberius, quam ſuperiores, & ornatiſſe dicere.

XIII. Horum ætati ſuccceſſit Iſocrates, qui præter cæteros ejuſdem generis laudatur ſemper a nobis, nonnunquam, Brute, leviter & erudite <sup>29</sup> repugnante te. Sed credas mihi fortaſſe, ſi, quid in eo laudem, cognoveris. Nam cum conciliſus ei Thraſymachus minutis numeris videretur, & Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba <sup>\*</sup> junxiſſe; Thucydides autem præfraſtor, nec ſatis ( ut ita dicam ) rotundus: primus inſtituit dilatate verbis, & mollioribus numeris exple-re ſententias. In quo cum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes exſtiterunt, domus ejus officina habita eloquentiæ eſt. Itaque ut ego, cum a noſtro Catone laudabar, vel reprehendi me a cæteris facile patiebar: ſic Iſocrates videtur teſtimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Eſt enim ( ut ſcis ) quaſi in extrema pagina Phædri his ipſis verbis loquens Socrates. „ Adoleſcens etiam „ nunc,

pellata, vel quod habita fuerit Panathæniſis ſolemnibus feriis, vel quod Athenienſium omnia egregie facta, eorumque laudes ab ultima origine repetit. Eam orationem ſcripſit annos natus nonaginta-quatuor, & in eodẽdico fatetur Iſocrates juniarum ſe herorum ſtoſculos ſtudioſus conſulſiſſe. *Præſens*. <sup>28</sup> *λογολυβδάνης* ] Id eſt, artiſticioli ſer-

monis fabricatores.

<sup>\*</sup> *Verſiculorum* ] Lamb. *verſiculorum*

<sup>29</sup> *Leviter & erudite* ] Quid ſi pro *leviter* legas *leniter*? Hujus quidem adverbii ſignifiſicatio æco-modata eſt ad naturam M. Bruti, qui benignitate ſumma fuit. Quod Cice-ro in hoc libro teſtatur eſt. *Movetis*.

<sup>\*</sup> *Junxiſſe* ] Gruet. *vixiſſe*

„ nunc, o Phædre, Iſocrates eſt: ſed quid de illo augurer, „ lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majorẽ mihi in- „ genio videtur eſſe, quam ut cum orationibus Lyſiæ compa- „ retur. Præterea ad virtutem major indoles: ut minime mi- „ rum futurum ſit, ſi, cum ætate proceſſerit, aut in hoc „ orationum genere, cui nunc ſtudet, tantum, quantum pueris „ ſis, reliquis præſter omnibus, qui unquam orationes atti- „ gerunt; aut, ſi contentus his non fuerit, divino aliquo a- „ nimi motu majora concupiſcat. Ineſt enim natura philoſo- „ phia in hujus viri mente quædam. Hæc de adoleſcente So- „ crates auguratur. At ea de ſeniore ſcribit Plato, & ſcribit æ- „ qualis, & quidem exagitor omnium rhetorum. Hunc mira- „ tur unum. Me autem, qui Iſocratem non diligunt, una cum Socrate, & cum Platone errare patiantur.

Dulce igitur orationis genus, & ſolutum, & eſtluens, ſen- tentiis argutum, verbis ſonans, eſt in illo epidictico genere, quod diximus proprium ſophiſtarum; pompæ, quam pugna aptius; gymnafiis & palæſtra dicatum; ſpretum & pulſum foro. Sed quod educata hujus nutrimentis eloquentia, ipſa ſe poſtea colorat, & roborat, non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis dicere. Verum hæc, ludorum, atque pompæ: nos autem jam in aciem, dimicationemque veniamus.

XIV. Quoniam tria videnda ſunt oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo; dicendum omnino eſt, quid ſit optimum in ſingulis, ſed aliquanto ſecus atque in tradenda arte dici ſolet. Nulla præcepta ponemus, ( neque enim id ſuſcepimus ) ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus: nec, quibus rebus ea paretur, exponemus; ſed qualis nobis eſſe videatur.

Ac duo breviter prima. Sunt enim non tam inſignia ad maximam laudem, quam neceſſaria, & tamen cum multis pæne communia. Nam & invenire, & iudicare, quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore: ſed propria magis prudentiæ, quam eloquentiæ: qua tamen in cauſa eſt vacua prudentiæ <sup>30</sup>. Noverit igitur hic qui-

Tom. I.

T t t

deni

<sup>30</sup> *Quæ tamen in cauſa eſt vacua prudentiæ?* ] Locum ſane difficilem ſic opinor poſſe explere.

dem orator, quem summum esse volumus, argumentorum & rationum locos. Nam quoniam, quidquid est quod in controversia aut in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaritur: sitne, signis: quid sit, definitionibus: quale sit, reſti, pravique partibus: quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis & temporibus semper, si potest, avocatur controversiam. Latius enim de genere, quam de parte, disceptare licet: ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse. Hæc igitur quaestio a propriis personis & temporibus, ad universi generis orationem traducta, appellatur *thesis*. In hac Aristoteles adoleſcentes, non ad philosophorum morem tenuiter disſerendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatus, & uberius dici possit<sup>31</sup>, exercuit: idemque locos, ( sic enim appellat ) quasi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.

XV. Facile igitur hic noster, ( non enim declamatorem aliquid de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum & perfectissimum quaerimus ) quoniam loci certi traduntur, percurreret omnes; utetur aptis generatim; discet ex quo emanent etiam, qui communes appellantur loci. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet, & seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt.

Judicium igitur adhibebit: nec inveniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Nihil enim est feracius ingenii, iis praefertim, quæ disciplinis exulta sunt. Sed ut segetes secundæ & uberes, non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis, aut levia qua-

explicari: ut sit correctio. Dixit invenire, judicare, propria magis prudentia esse, quam eloquentia. Tum subjungit, quasi corrigendo: Sed tamen qua in causa esse possit eloquentia sine prudentia? Nulla causa est, nullum genus dicendi, in quo eloquentia esse possit vacua, desituta prudentia. Et enim, quemadmodum infra dicitur cap. 27.

*eloquentia, sicut laterum verum, fundamentum sapientia.* Anonymus.

<sup>31</sup> *Ut ornatus et uberius dici possit.* Lingo, *possit*, ut melius se habeat ratio Latine linguae, quia in constructione praecedit *esse*, verbum perfecti temporis. Et ita legitur in M. Harlejenſi, qui penes est harenatissimum Comitem Oxonii. *Peacius*.

quædam, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur; quorum ab oratoris judicio delectus magnus adhibebitur. Alioqui quoniam modo ille in bonis hærebit, & habitabit suis? aut molliet dura, aut occultabit quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit, aut abducat animos? aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit, quam illud, quod obitabit?

Jam vero ea, quæ invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, adituque ad causam faciet illustres: cumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora. Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summam breviterque descripsimus.

XVI. Sed, ut ante dictum est, in his partibus ( etsi graves atque magnæ sunt ) minus & artis est, & laboris. Cum autem, quid, & quo loco, dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quoniam modo. Scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachus eadem dicere, Charmadam autem eodem etiam modo dicere. Quod si in philosophia tantum interest quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio?

Quod quidem ego, Brute, ex tuis literis sentiebam, non te id scitari, qualem ego in inveniendo & in collocando summum esse oratorem vellem: sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum judicarem. Rem difficilem, dii immortales! atque omnium difficillimam. Nam cum est oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas: tum & naturæ varia, & voluntates, multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumen alii verborum, volubilitaque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios, & interpuncta intervalla, moræ, respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? Tamen est in utroque aliquid excellens. E-laborant alii in lenitate & æquabilitate, & puro quasi quodam

dam & candido genere dicendi. Ecce aliqui duritatem, & feveritatem quandam verbis, & orationis quasi mollitiam sequuntur: quodque paulo ante divisimus, ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur.

XVII. Et, quoniam cepti jam cumulatus hoc munus augere, quam a te postulatum est, (tibi enim tantum de orationis genere querenti, respondi etiam breviter de inveniendo & collocando) ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita prætermissa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium.

Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo, & in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, cum consistet & voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Itaque ille perfectus, quem jamdudum nostra indicat oratio, utcumque se affectum videri, & animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum: de quo plura dicerem, si hoc præcipiendi tempus esset, aut si tu hoc quæreres. Dicerem etiam de gestu, cum quo junctus est vultus. Quibus omnibus, dici vix potest, quantum interfit; quemadmodum utatur orator. Nam & infantes<sup>33</sup>, actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum tulerunt: & disertis, deformitate agendi, multi infantes putati sunt: ut jam non sine causa Demosthenes tribuerit, & primas, & secundas, & tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac; hæc autem sine eloquentia, tanta est; certe plurimum in dicendo potest. Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, & contenta voce, atrociter dicere: & summis, leniter: & inclinata, videri gravis; & inflexa, miserabilis. Mira est enim quædam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino

<sup>33</sup> Nam & infantes ] Actionem plurimum valere probant eventus. Nam & infantes, id est, infancidii viri, rudesque dicendi, ut Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona & decora pronuntiatione, eloquentiæ fructum & gloriam tulerunt. Et diserti, quibus e di-

verso opponuntur infantes, deformitate agendi, hoc est indecora & fæda pronuntiatione, a multis infantes & indiferti putati sunt: cujusmodi L. Cottam dicit Cicero fuisse. Strabon.

sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, & tam suavis varietas perfecta in cantibus.

XVIII. Est autem in dicendo etiam quidam cantus<sup>33</sup> obscurior, non hic e Phrygia, & Caria rhetorum epilogus, pæne canticum; sed ille, quem significat Demosthenes, & Æschines, cum alter alteri objicit vocis flexiones. Dicit plura etiam Demosthenes, illumque sæpe dicit voce dulci & clara fuisse. In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequenda suavitatis in vocibus. Ipsa enim natura<sup>34</sup>, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria.

Ac vocis quidem bonitas optanda est. Non esse enim in nobis, sed tractatio atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit, & mutabit; omnes sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus: idemque motu sic utetur, nihil ut superfit in gestu. Status erectus & celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervicum<sup>35</sup>, nulla argutia digitorum, non ad numerum

<sup>33</sup> Est autem cantus ] A natura datur vox, ab arte flexus, a flexu signatur cantus. Qui si temperatus est in actione, decet oratorem maxime in affectibus movendis. Idem.

<sup>34</sup> Ipsa enim natura ] Cantus hic in oratione, sicut cætera omnia, cepit a natura femininarum, arte & humana industria colendum. Natura modulata est hominum orationem, certaſque voces ad agendam dedit: & ut imperi quodam proferenti animo concepta, & aurem ferirent, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, ut esset varietas: nec a postrema syllaba citra tertiam, ne quid spiritus laboraret. Omnne verbum aut unius est syllabe, aut duarum, aut trium, plurimumve. Si in verbo trium syllabarum pluriusve fuerit accentus in tertia ab extrema, is semper erit acutus, ut *dominus*, dominus. Si fuerit accentus in secunda a fine, aut acutus erit, *virgilius*, virgili, *deus*; aut circumflexus, ut *romanus*, romanus, Romanus, roma. Quod igitur inflexus ex acuto est & gravi, non defuerit acutus, si ponetur inflexus. In ultima nunc

est acutus, *baedæ*, dux: nunc circumflexus, *baedæ*, bos. Nihil refert an unius sint syllabæ verba, an vero plurium. Nunquam gravis erit ultima, nisi cum verbum acutum ceperit aliam ab ultima sedem, propter quod mutabit accentum, ut *baedæ*, dux, locutus est. Jam gravis hic est pro acuta. Ergo natura in omni verbo posuit acutam vocem, quæ cum altius eaderetur, & reliquæ summiffius consonarent, jucundam e varietate ceterè modulationem. Interim unum verbum duos habet accentus acutos, sed unum ab alio verbo ducit, ut *dominus*, dominus. An acutam vocem dicit eam quæ clarius auditur, magisque ferit aures, non illam tantum, quam proprie dicimus acutam? Id.

<sup>35</sup> Nulla mollitia cervicium ] Dixit rectum casum mollitiæ, non mollitiæ, propter litteram sequentem: & cervicium, non cervicis, quod illud verbum singulariter rarius usurparetur. Nam primus Hortensius cervicium singulari numero dixisse fertur. Id.

merum articulus cadens: trunco magis toto se ipse moderans, & virili laterum flexione, brachii projectione in contentionibus, contractione in remissis.

Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantum affert tum dignitatem, tum venustatem: in quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam ut imago est animi, vultus; sic indices oculi: quorum & hilaritatus, & vicissim tristitia modum res ipsa, de quibus ageretur, temperabunt.

XIX. Sed jam illius perfecti oratoris, & summa eloquentia species exprimenda est: quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, hæc complexus est omnia, sed & Græce ab eloquendo *ῥήτωρ*, & Latine *eloquens* dictus est. Ceterarum enim rerum, quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat: dicendi autem, id est eloquendi maxima vis, soli huic conceditur. Quamquam enim & philosophi quidam ornate locuti sunt, (siquidem & Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, & Aristoteles Isocratem ipsum lacessivum<sup>36</sup>, & Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt, & longe omnium, quicumque scripserunt, aut locuti sunt, exstitit \* & gravitate princeps Plato) tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios, ac forenses habet. Loquantur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare. Sic de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur: ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, fecernere. Mollis est enim oratio philosophorum & um-

brati-

<sup>36</sup> Aristoteles Isocratem ipsum lacessivum I Cicero de Orat. III, 33, sic de eadem (ut videtur) re loquitur: Aristoteles, cum ferere Isocratem nobilitate discipulorum videtur... *Isocratem optime, ut non formam prope disciplinam suam... Utitur oratore, & illi proinde doctrinam illam universam, utinamque cognitionem cum oratoris exercitatione conjunxit.* Et in Tuscul.

I, 4: ut Aristoteles... cum motus esset speciei rhetoris gloria, dicere etiam capis adolescentem docere. Ex his duobus locis mihi videtur hic legendum esse, Aristotelem Isocratem ipsum lacessivum. Pearcius.

\* Et gravitate I Lambinus una voce auctor, & suavitate, & gravitate. Velim ex illis Urui est, non displicet sane.

bratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec vineta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum<sup>37</sup> habet, nihil invidium, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. Itaque sermo potius, quam oratio, dicitur. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est.

Sophistarum, de quibus supra dixi, magis distinguenda similitudo viderur, qui omnes eisdem volunt flores, quos adhibet orator in caulibus, persequi. Sed hoc differunt, quod cum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quam delectare: & apertius id faciunt quam nos, & crebrius: concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles: a re sæpe discedunt, intexunt fabulas, verba apertius transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum: paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimèque similiter extrema definiunt.

XX. Huic generi historia finitima est, in qua & narratur ornate, & regio sæpe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones & hortationes: sed in his tracta quaedam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio. Ab his non multo secus, quam a poetis, hæc eloquentia, quam quærimus, sevocanda est. Nam etiam poæta quæstionem<sup>38</sup> attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus.

<sup>37</sup> Nihil iratum I Id est, quod iram concitanti audenti: nihil invidium, quod invidiam moveret: nihil atrox, quod exasperet: nihil mirabile, quod audenti affectu suporem: nihil astutum, quod capiat fallaciarum discipulorum: sed est casta sine popularium opinionum corruptela, casta veritatis illius naturalis, virgo incorrupta quodam modo, simplex oratio, integerrima virtutis indagatrix. Intellige orationem Platonis, Xenophontis, Theophrasti, & optimorum, non illorem qui se vocant philosophos, cum sint tamen infantissimi. Oratio eloquentis invidet, atrociter adauget, admirationes inducit, nolentem trahit, se committet populari contagione, ut ad sanitates reducat: audax iramperit, & tanquam virago & Amazonum fortissima aditum rumpit, quæ-

ritque victoriam. Strebanus.

<sup>38</sup> Poæta quæstionem I Id est, ut dubitemus effecerunt, quidnam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, & versa, tunc cum Homerus, Hesiodus, Euripides, alique veteres scripserunt ante rempora Thrasymachi & Isocratis, qui primi numerus inveniuntur. Ut autem cetera, sic etiam numerus poetarum ab oratorio differit. In illo certi atque numerati pedes. In hoc pedes quidem sunt, sed neque certi, neque numerati. In illo certa spatia, certi ordines, certique fines: oratorio numero neque certa spatia, neque certi ordines, neque certi fines, sed ad aurium mensurant longis & brevibus ad finem usque decurrunt. Idem.

ribus. Numero maxime videbantur antea, & versu: nunc apud oratores jam ipse numerus increbuit.

Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest a versu, (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui Græce *ῥυθμὸς* dicitur. Itaque video visum esse nonnullis, Platonis, & Democriti locutionem, etsi abest a versu, tamen, quod incitatus feratur, & clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum: apud quos, nisi quod versu sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id est poetæ maximum: etsi est eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur, cum versu sit adstrictior.

Ego autem etiam si quorundam grandis & ornata vox est poetarum, tamen in ea cum licentiam statuo majorem esse, quam in nobis faciendorum, jungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluptati vocibus magis, quam rebus inserviunt. Nec vero, si quid est <sup>30</sup> unum inter eos simile, (id autem est iudicium, electioque verborum) propterea cæterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest: sed id nec dubium est, & si quid habet questionis, hoc tamen ipsum ad id, quod propositum est, non est necessarium. Sejunctus igitur orator a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poetarum, explicandus est nobis, qualis futurus sit.

XXI. Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quarimus) is, qui in foro causisque civilibus ita dicit, ut probet, ut deleat, ut flectat. Probare, necessitatis est: delectare, suavitatis: flectere, victoriæ. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo: in quo uno vis omnis oratoris est.

## Magni

<sup>30</sup> Nec vero, si quid est unum inter eos simile est, iudicium, electioque verborum, quod utriusque, ut ante diximus, electis verbis, compositis, modificatis, numeroque comprehensis utuntur. Quod accipere dictum de elocutione: aliqui multa sunt inter eos similia, multaque dissimilia, tum in inven-

tionem, tum in collocazione. Sed id nihil habet questionis, id est, controversiæ: & si quid habet, ad id quod propositum est, non est necessarium: quoniam de elocutione, non de inventionem, & dispositionem proposita questio est. Item.

Magni igitur iudicii, summa etiam facultatis esse debet moderator ille, & quasi temperator hujus tripartitæ varietatis. Nam & iudicabit, quid cuique opus sit; & poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiæ, sicut reliquarum rerum, fundamentum, sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre. Πῶς ἔπος appellant hoc Græci: nos dicamus sane decorum. De quo præclare, & multa præcipiuntur, & res est cognitione dignissima. Hujus ignoracione non modo in vita, sed sapissime & in poematis, & in oratione peccatur. Est autem, quid deceat, oratori videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperque in omni parte orationis, ut vita, quid deceat, est considerandum: quod & in re, de qua agitur, positum est, & in personis & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum, longe & late patentem, philosophi solent in officiis tractare, (non cum de recto ipso disputant; nam id quidem unum est) grammatici in poetis, eloquentes in omni & genere & parte causarum. Quam enim indecorum est, de stulticiis cum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis, & locis uti communibus: de majestate populi Romani summissis & subtiliter? Hic genere toto.

XXII. At persona alii peccant, aut sua, aut iudicium, aut etiam adversariorum: nec re solum, sed sæpe verbo: etsi sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res sæpe aut probatur, aut rejicitur, alio, atque alio elata verbo.

In omnibusque rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. Magnus esset locus hic, Brute, quod te non fugit, & magnum volumen aliud desiderat. Sed ad id, quod agitur, illud satis: cum hoc decere, quod semper usurpamus in omnibus dictis & factis, minimis,

& maximis; cum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere, & id usquequaque, quantum sit, appareat: in aliisque ponatur, aliudque totum sit, utrum *decere*, an *oportere* dicas. Oportere enim, perfectionem declarat officii, quo & semper utendum est, & omnibus: decere, quasi aptum esse, contentaneumque tempori, & personæ: quod cum in factis sapissime, tum in dictis valet, in vultu denique, & gestu, & incessu: contraque item dedecere. Quod si poeta fugit, ut maximum vitium, qui peccat etiam, cum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis: si denique pictor ille <sup>40</sup> vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Calchas caput, mœstior Ulysses, mœreret Menelaus; obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari: si denique histrio, quid deceat, querit: quid faciendum oratori putemus? Sed, cum hoc tantum sit, quid in causis, earumque quasi membris faciat, orator videbit. Illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam cautas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

XXIII. Sequitur ut cuiusque generis nota quaratur, & formula. Magnum opus, & arduum, ut saepe jam diximus: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus; nunc quidem jam, quocumque feremur, danda nimirum vela sunt.

Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum. Summissus est, & humilis, consuetudinem imitans, ab indifferis re plus, quam opinione, differens. Itaque eum qui audiant, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas inimitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Et si enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiam si illi maximis viribus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine.

Pri-

<sup>40</sup> Pictor ille ] Timarches pictor ingenio ad aras & perituræ. De qua Plinius lib. filius, cujus est tabella Iphigeniæ stantis xxx. c. 10. Præfatur.

Primum igitur eum tanquam e vinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam, ut scis, oratori numeri (de quibus mox agemus) observandi, ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. Solutum quidam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis, magis quam de verbis laborantis. Sed erit videndum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint, circumcitus, conglutinatioque verborum. Illa enim ipsa contracta, & minuta, non negligenter tractanda sunt, sed quadam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quas idipsum deceat: sic hæc subtilis oratio etiam incompta deleat. Fit enim quiddam in utroque, quo fit venustius, sed non ut appareat. Tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum: ne calamistris quidem adhibebuntur: fucati vero medicamenta candoris, & ruboris, omnia repellentur: elegantia modo, & munditia remanebit. Sermo purus erit & Latinus: dilucide, planeque dicetur: quid deceat, circumspicietur.

XXIV. Unum adert, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suave, & affluens <sup>41</sup>: acuta, crebræque sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito erunt, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit usus oratoriæ quasi supellectilis. Supellex est enim quodam modo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum, duplex: unus simplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in propriis, usitatisque verbis, quod aut optime <sup>42</sup> sonat, aut rem maxime expla-

<sup>41</sup> Unum adert, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suave, &c. ] Lambinus vidit hanc vulgarem lecturam. Veris non posse: repolluitur (conjectura, de voce) ornamentum illud suave. Periculis. Ac, cum MS. habeant ornatus, sic legendum esse, punctis solum mutatis, censeo: nam adert, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus ornatum, illud suave & affluens. Potius enim Cicero videtur dixisse ornatum ornatum, quam ornatum suave. Periculis. <sup>42</sup> Sonat ] Lamb. sonant.... explausus.



explanat. In alienis, aut translatum, aut <sup>b</sup> factum aliunde, ut mutuo <sup>42</sup>: aut factum ab ipso: aut novum <sup>43</sup>: aut prisca & inusitatum. Sed etiam inusitata ac prisca sunt in propriis, nisi quod raro utimur. Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quæ permanent, etiam si verba mutaveris, sunt illa quidem permulta, sed, quæ emineant, pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis verecundus, & parvus in prisca, reliquisque ornamentis & verborum, & sententiarum demissior: translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum. Siquidem est eorum, *gemmare vires, strivo agros, lasas esse segetes, luxuriosa frumenta*. Nihil horum parum audacter, sed aut simile est illi, unde transferas: aut, si res suam nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi, videtur. Hoc ornamento liberius paulo, quam cæteris, utetur hic summis: nec tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplissimo.

XXV. Itaque illud indecorum (quod quale sit, ex decore debet intelligi) hic quoque apparet, cum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret.

Illam autem concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quasi aliquos gestus orationis

<sup>b</sup> *Falsum* ] Lamb. *sumptum aliunde, ut mutuum*.

<sup>42</sup> *Aut translatum, aut factum aliunde, ut mutuo* ] Suspicio illam vocem *falsum* nam esse ex sequentibus, in quibus occurrit *aut falsum ab ipso*. Quamvis enim verba aliena secundi generis proprie dicantur *falsa* esse, hæc de quibus Cicero iam loquitur, *aliunde sumpta* potius, vel *dicta*, esse dicenda sunt. Adde, quod non diversa sunt res, id quod *falsum* sive *sumptum* sit *aliunde*; & id quod *translatum* sit. Unde libenter assentior Lambino legendi, *aut translata* & *sumptum aliunde* &c. Quam quidem lætissimè firmant ea, quæ Cicero dicit de Orat. III.

<sup>43</sup> *He translationes quasi mutationes sunt, in quibus quod non habet, aliunde sumas. Idem.*

<sup>44</sup> *Aut factum ab ipso, aut novum* ] Disiungi non debere videntur voces *falsum* & *novum*; quæ enim facta sunt ab ipso hinc sunt *novæ*. Nec aliter Cicero de Orat. III. <sup>38</sup> *Novatur verba quæ ad eum, qui dicit, ipso signantur ac suat, vel coniungendis verbis... vel sine coniunctione*. Aut ipse legamus cum Lambino *ut novum*, aut (ut ego malim) *et novum*. Utrovris modo rectius se habeat sententia, quam si loquatur M. Hæc, qui delatio, aut, ex libere *aut falsum ab ipso novum*. Idem.

tionis *σχηματα* appellant, (quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur) adhibet quidem hic subtilis; (quem, nisi quod solum, cæteroquin recte quidem vocant Atticum,) sed paulo parcius. Nam sic ut in epularum apparatu, a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet; eliget quibus utatur. Sunt enim pleræque aptæ huius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimonie. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata <sup>44</sup>, & similiter conclusa <sup>45</sup>, eodemque pacto cadentia: & immutatione literæ <sup>46</sup> quasi qualitate venustates; ne elaborata concinnitas, & quoddam acupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemque si quæ verborum iterationes <sup>47</sup> contentionem aliquam & clamorem requirent, erunt ab hac summisione orationis alienæ: cæteris promiscue poterit uti; continuationem verborum modo relaxet, & dividat, utaturque verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis: etiam illa sententiarum lumina assumat, quæ non erunt vehementer illustrata. Non faciet rempublicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum hæc laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut expectanda, aut postulanda. Erit enim ut voce, sic etiam oratione suppressior. Sed pleræque ex illis convenient etiam huic tenuitati: quanquam iisdem ornamentis utetur horridius. Talem enim inducimus. Accedit actio non tragica, nec scenæ, sed modica iactatione corporis, vultu tamen multa conficiens: non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntiant.

## XXVI. Huic

*Hesper, tamesque corporis, Quæ non abdit in læce*

*Pallidula, rigida, quidula.*

*Nec, ut silet, dabit secur. Idem.*

<sup>45</sup> *Immutatione literæ* ] Quale est illud Ovidii de Arte Am. l. 124.

*Et Venus in vivis, vivis in igne suis.*

<sup>47</sup> *Iterationes* ] Qualis est hæc I. Catilinaria n. 4. *Uris, & uris non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Id.*

<sup>44</sup> *Paria paribus relata* ] Hæc Græci dicunt cum membrum unum alteri prope ex æquo responderet. Cuiusmodi est illud Ciceronis ad Quintum fratrem lib. 11. epist. 11.

*Tu vero si me appelles, & interpelles, & obloquere, & colligere velim. Præterea.*

<sup>45</sup> *Similiter conclusa* ] Cum voces simili sono clauduntur, ut in illis versiculis ab Hædriano imperatore moriente, ut refert Spartianus, compositis:

*Antipia, vagula, blandula*

XXVI. Huic generi orationis adspargentur etiam sales, qui in dicendo mirum quantum valent: quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque: sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo, mittendoque ridiculo: cujus genera plura sunt: sed nunc aliud agimus.

Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobscuro, ne mimicum: nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odii locum risus occupet: neque aut sua persona, aut judicium, aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorum referantur. Vitabit etiam quæ sita, nec ex tempore facta, sed domo allata: quæ plerumque sunt frigida. Parcet & amicitiiis, & dignitatibus: vitabit insanabiles contumelias: tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. Quibus exceptis sic utetur sale & facetiis, ut ego ex istis novis Atticis talem cognoverim neminem, cum id certe sit vel maxime Atticum.

Hanc ego judico formam summæ oratoris, sed magni tamen, & germani Attici: quoniam, quidquid est salum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est. E quibus tamen non omnes faceti. Lysias satis, & Hyperides: Demades præter cæteros fertur: Demosthenes minus habetur: quo quidem mihi nihil videtur urbanius, sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis.

Uberius est aliud, aliquantoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est: summis autem, quam illud, de quo jam dicitur, amplissimum. Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenus, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum, copiosumque, summis.

XXVII. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est, in hac orationis forma, suavitatis. In qua multi floruerunt apud Græcos: sed Phalereus Demetrius meo judi-

judicio præstitit cæteris; cujus oratio cum sedate, placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stella quadam, tralata verba, atque immutata. Tralata ea dico, ut sæpe jam, quæ per similitudinem ab alia re, aut suavitatis aut inopiæ causa, transferuntur. Mutata, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit<sup>48</sup>, cum dixit Ennius *arcem & urbem orbis*: alio modo, si pro patria arcem dixisset: & *horridam Africam terribili tremere tumultu* cum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc hypallagen rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: metonymiam grammatici vocant, quod nomina transferuntur.

Aristoteles autem translationi hæc ipsa subjungit, & abusionem, quam *αὐτιχία* vocant: ut cum *minutum* dicimus animum pro parvo, & abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. Jam cum fluxerunt plures continuæ tralationes, alia plane sit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant *ἀλλοιοποιῶν*; nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Hæc frequentat Phalereus maxime, suntque dulcissima: & quanquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores.

In idem genus orationis (loquor enim de illa modica, ac temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: late, eruditæque disputationes ab eodem explicantur, & loci communes sine contentione inducuntur. Quid multa? e philosophorum scholis tales serè evadunt: &, nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. Est enim quoddam etiam insigne, & florens orationis, pictum, & expoliturum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e

sophi-

<sup>48</sup> *Alio modo transtulit* ] Alia est translatio, cum sumit Ennius *arcem* pro Capitolio, alia, si sumeret *arcem* pro patria. Primus translationis modus refertur ad *συνενοχῶν*, quæ genus ponitur pro specie. Alter ad *μεταφορὰν*, quæ propter similitudinem res una

substituatur alteri: ut enim *arcis* & defendit & defendi debet, sic patria civis, tætur, eamque singuli debent tueri. Damus fortasse plusculum concessura, sed quid aliud in e-  
volvendis veterum fragmentis expectes? I-  
dem.

fophistaram fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate confedit.

XXVIII. Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cujus ornatum dicendi, & copiam admirata gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere passa sunt: sed hanc eloquentiam, qua curia magno, sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Hujus eloquentia est tractare animos, hujus omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo irrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas.

Sed multum interest inter hoc dicendi genus, & superiora. Qui in illo subtili & acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam alius cogitaret: hoc uno profecto, magnus orator est, si non maximus; minimeque in lubrico verlabitur, &, si semel constiterit, nunquam cadet. Medius ille autem, quem modicum & temperatum voco, si modo suum illud satis instruxerit; non extimescet accipites dicendi incertosque casus: etiam, si quando minus succedet, ut saepe fit, magnum tamen periculum non adibit. Alte enim cadere non potest. At vero hic noster, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni, nec suam copiam cum illis duobus generibus temperavit: maxime est contemnendus. Ille enim summissus, quod acute & veteratorie dicit, sapiens jam: medius, suavis: hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, desinite, distincte, facete dicere, praesertim cum causa partim tota sint eo modo, partim aliqua ex parte tractanda: si is non preparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. Tenemus igitur, Brute, quem quaerimus: sed animo. Nam manu si prehensissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem.

XXIX. Sed

XXIX. Sed inventus profecto est ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius. Quis est igitur is? Complectar brevi, disseram pluribus. Is enim est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate potest dicere.

Nemo is, inquit, unquam fuit. Ne fuerit. Ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo: redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam, & speciem: quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem quaro, neque quidquam mortale<sup>49</sup> & caducum, sed illud ipsum, cujus qui sit compos, sit eloquens: quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus. Is erit igitur eloquens, (ut idem illud iteremus) qui poterit parva summissis, modica temperate, magna graviter dicere.

Tota mihi causa pro Caccina, de verbis interdixi fuit, res involutas definiendo explicavimus: jus civile laudavimus: verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompejus: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Jus omne retinenda majestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsumus.

At haec interdum temperanda, & varianda sunt. Quod igitur in accusationis septem libris non reperitur genus? quod in Aviri? quod in Corneli? quod in plurimis nostris defensionibus? qua exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel posse eligere, qui quaerent. Nulla est enim ullo in genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. Non assequimur: at, quid deceat, videmus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum adest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles, ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quantum unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas. Ita sunt avida & capaces: & semper aliquid immensum infinitumque desiderant.

Tom. I.

X x x

XXX. Sed

<sup>49</sup> Neque quidquam mortale. Idea ex prioni obnoxia est: orator autem caducus & mente Platonis nec mutationi, nec corrupti mortalis. Idem.

XXX. Sed tamen, quoniam & hunc tu oratorem cum ejus studiosissimo Pammine, cum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti: neque eum dimittis e manibus: & tamen nostra etiam leſtitas: vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle, quocumque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus: nam & successit ipse magnis, & maximos oratores habuit æquales. Nos magnam fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire, in ea urbe, in qua ( ut ait Antonius ) auditus eloquens nemo erat. Atqui, si Antonio Crassus eloquens visus non est, aut sibi ipse: nunquam Cotta visus esset, nunquam Sulpicius, nunquam Hortensius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum dico & Antonium. Jejunas igitur hujus multiplicis, & æquabiliter in omnia genera sũta orationis aures civitatis accepimus: easque nos primi, quicumque eramus, & quantulumcumque dicebamus, ad hujus generis dicendi, audiendi incredibilia studia convertimus.

Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quæ nequaquam satis deseruisse post aliquanto sentire coepimus: <sup>50</sup> *Quid enim tam commune, quam spiritus viris, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de celo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant, & quæ sequuntur.* Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re & maturitate, quam spe & expectatione, laudati. Ab hac indole jam illa matura: <sup>51</sup> *Uxor generi, norverca filii, filia pellex.* Nec vero hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus. Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundancia, multa habet attenuata, quadam etiam paulo hilariora. At pro Avito, pro Cornelio, compluresque aliz. Nemo enim orator tam

<sup>50</sup> *Quid enim tam commune* ] Pro Roscio Amerino, cap. 26.  
<sup>51</sup> *Uxor* ] Pro Cluentio, c. 70.

tam multa, ne in Græco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra: eaque hanc ipsam habent, quam probo, varietatem.

XXXI. An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent: ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poetas divino ingenio profero? Histrones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse præstantius, qui non solum in dissimilibus personis satisfaciebant, cum tamen in suis versarentur, sed & comædum in tragædiis, & tragædum in comædiis admodum placere elavidimus. Ego non elaborem? Cum dico me, te, Brute, dico. Nam in me quidem jampridem effectum est, quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in iisdem causis perpetuum, & eundem spiritum sine ulla commutatione obtinebis? Demosthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas, ac tuorum, ( quod eum, credo, amares, ) cum ad te in Tusculanum venissem, imaginem ex ære vidi, nihil Lyſtæ subtilitate cedit, nihil argutius & acumine Hyperidi, nihil lenitate Æschini, & splendore verborum. Multa sunt ejus totæ orationes subtiles, ut contra Leptinem: multa totæ graves, ut quadam Philippicæ: multa varia, ut contra Æschinem, falsæ legationis, ut contra eundem pro causa Cresiphontis. Jam illud medium quoties vult, arripit, & a gravissimo discedens, eo potissimum delabitur. Clamores tamen tum movet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum gravitatis locis utitur.

Sed ab hoc parumper abeamus, quandoquidem de genere, non de homine querimus. Rei potius, id est, eloquentiæ vim & naturam explicemus. Illud tamen, quod jam ante diximus, meminerimus, nil nos præcipiendi causa esse dicturos: atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri. In quo tamen longius progredimur, quod videmus non te hæc solum esse lecturum, qui ea multo, quam

quam nos, qui quasi docere videamur, habeas notiora: sed hunc librum etiam si minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse est.

XXXII. Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quæ sit ejus propria, fule, lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus, atque finitimam, dialecticorum scientiam assumere. \* Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio: nec idem loqui esse, quod dicere: at tamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio, & loquendi, dialecticorum sit: oratorum autem, dicendi, & ornandi, Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat ejusmodi esse. Cum autem diduxerat, & manum dilataverat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: ut hoc videlicet differant inter se, quod hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo omnem, quæ ad dicendum trahi possit, loquendi rationem esse notam: quæ quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habet docendi viam. Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi, & postea, qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo enim censeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non esse eorum rerum omnino rudem; sed vel illa antiqua, vel hæc Chrysippi disciplina institutus, noverit primum vim, naturam, genera verborum, & simplicium & copulatorum: deinde quot modis quidque dicatur: qua ratione verum, falsumne sit, judicetur: quid efficiatur e quoque: quid cui consequens sit, quidque contrarium: cumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi, explanarique oporteat. Hæc tenenda sunt oratori. Sæpe enim occurrunt. Sed

quia

\* Quamquam aliud J. Lamb. Quamquam enim aliud videtur esse oratio, aliud disputatio: nec idem loqui esse, quod dicere: et quamquam disputandi ratio, & loquendi, dia-

lecticorum sit; oratorum autem, dicendi, & ornandi, atque vicinam utrumque in disserendo est. Zeno quidem, &c.

quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

XXXIII. Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur & via, primum constituendum est, quid quidque sit: (nisi enim inter eos, qui disceptent, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte differi, nec unquam ad exitum perveniri potest) explicanda est sæpe verbis mens nostra de quaque re, atque involutæ rei notitia definiendo aperienda est: siquidem definitio est oratio, quæ, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, ut scis, explicato genere cujusque rei, videndum est, quæ sint ejus generis sive formæ<sup>52</sup> sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio.

Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse, & anguste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet: sed cum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune judicium, popularemque intelligentiam accommodatus. Idemque etiam, cum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet, partiatur, ac dividet. Quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus: quoniam (ut supra dixi) judicem esse me, non doctorem volo.

Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiæ notos & tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus, quæ sæpe cadunt in causas, sed jejuniis aguntur: nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici & explicari potest.

XXXIV. De materia loquor orationis etiam nunc, non ipso de genere dicendi. Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogiter, quibus

52. Ejus generis sive formæ J. Generis gratia, virtus est genus, cui subsunt partes cujusque sunt sunt partes. Logici sunt justitia, prudentia, fortitudo, & temperantia, &c. Exempla. *Idem.*

bus verbis quidque dicat, aut quomodo. Quem etiam, quo grandior sit, & quodam modo excelsior, ( ut de Pericle dixi supra ) ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, cum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsus magnificentiusque & dicet, & sentiet. Cumque illa divina cognoverit, nolo ignoret ne hæc quidem humana. Jus civile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum & civilium controversiarum patrocinia suscipere, cum sis legum & civilis juris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, maxime scilicet nostræ civitatis: sed & imperioforum populorum, & regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri levavit labor; qui conservatis, notatisque temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriâ uno libro colligavit. Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum ætate contextitur? Commemoratio autem antiquitatis, explorumque prolatio, summa cum delectatione & austeritate orationi affert & fidem.

Sic igitur instructus veniet ad causas: quarum habebit genera primum ipsa cognita. Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba. Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. Verba, aut de ambiguo, aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex præterito verbo fieri solet: in quo, quod est ambiguum proprium, res duas significari videmus.

XXXV. Cum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum præcepta pauca sunt. Traditi sunt, e quibus ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri assumpti. Tractatio igitur rerum efficit admirabilem orationem. Nam ipsæ quidem res in perfacili cognitione versantur. Quid enim jam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discen-

discendam? rem breviter exponere, & probabiliter, & aperte, ut, quid agatur, intelligi possit? sua confirmare? adversaria evertere? eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis, quæ sumentur ad quamque rem confirmandam? post omnia perorationem inflammantem, restingentemve concludere? Has partes quemadmodum tractet singulas, difficile dictum est hoc loco. Nec enim semper tractantur uno modo. Quoniam autem non, quem doceam, quero, sed quem probem: probabo primum eum, qui, quid deceat, videbit. Hæc enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum, personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror.

XXXVI. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. Quod cum statuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet: nec satura jejune, nec grandia minute, nec item contra, sed erit rebus ipsis par & æqualis oratio. Principia verecunda, non elatis intensa verbis, sed acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui. Narrationes credibiles, nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatæ dilucide. Dein si tennes causæ, tum etiam argumentandi tenuis stilum & in docendo, & in refellendo; idque ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio.

Cum vero causa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ possit exprimi: tum se latius sunder orator, tum reget & fiet animosus, & sic afficiet, ut volet, id est, ut causæ natura, & ratio temporis postulat. Sed erit duplex omnis ejus ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. Nam cum omnis pars orationis esse debet laudabilis, sic ut verbum nullum, nisi aut grave, aut elegans excidar; tum sunt maxime luminosæ, & quasi actuolæ partes duæ: quarum alteram in universi generis quæstione pono, quam ( ut supra dixi ) Græci appellant *θεσις*: alteram in augendis, amplificandisque rebus, quæ ab iisdem *υπερηχοίς* est nomi-

minata. Quæ etsi æquabiliter toto corpore orationis sua esse debet, tamen in communibus locis maxime excelsit: qui communes appellati, quod videntur multarum idem esse causarum, sed proprii singularum esse debebunt. Ac vero illa pars orationis, quæ est de genere universo, totas causas sæpe continet. Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiæ, quod Græce *κρίσιμος* dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quæstionem, atque ut de universo genere dicatur: nisi cum de vero ambigetur: quod quæri conjectura solet.

Dicetur autem non Peripateticorum more, (est enim illorum exercitatio elegans jam inde ab Aristotele constituta) sed aliquanto nervosius: & ita de re communia dicentur, ut & pro reis multa leniter dicantur, & in adversarios aspere. Augendis vero rebus, & contra abjiciendis nihil est, quod non perficere possit oratio: quod & inter media argumenta faciendum est, quotiescumque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, & pæne infinite in perorando.

XXXVII. Duo sunt, quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciunt: quorum alterum est, quod Græci *ἠθικόν* vocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum, quod iidem *πυθικόν* nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, jucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum: hoc, vehemens, incensum, incitatum, quo causa eripiuntur: quod cum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe adversarios de statu omni dejecimus. Nobis pro familiari rei <sup>33</sup> summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa <sup>34</sup> magna & gravi, cum cœpisset Curio pater respondere, subito affedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret.

Quid

<sup>33</sup> Pro familiari rei ] Pro Verre, qui familiaris erat Hortensii.

<sup>34</sup> Privata in causa ]

Vide Cic. in Bruto, cap. 60.

Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. In quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequabar. Quæ qualicumque in me sunt: me enim ipsum non poenitet, quanta sint: sed apparent in orationibus: etsi carent libri spiritu illo, propter quem majora eadem illa, cum aguntur, quam cum leguntur, videri solent.

XXXVIII. Nec vero miseratione solum mens judicum promovenda est, (qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: ut alia in causa, excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo <sup>35</sup>, plangore & lamentatione compleveremus forum) sed etiam est faciendum, ut irascatur iudex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, lætetur, doleat: qua in varietate, duriorum, accusatio suppeditabit exempla, mitiorum, defensionum meæ. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit. Dicere perfectum, si ita judicarem, nec in veritate crimen arrogantiae extimescerem. Sed (ut supra dixi) nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam. Nec unquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio. Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses: uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem; vel Græcis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea judiciorum. Nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii. Dicebat melius, quam scripsit, Hortensius.

Verum hæc vis, quam quærimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum non habemus: aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus, & quidem perpetuæ dictionis, ex eo loco, unde, in Ctesiphontis iudicio, de suis factis, consiliis, meritis in rempublicam aggressus est dicere. Ea profecto ora-

Tom. I.

Y y y

tio

<sup>35</sup> Sublato etiam filio parvo ] Quod præsumendo, si non integra fortuna, et assilla sitit, cum pro P. Sylla peroraret, (cap. pater sui gratulari finatis, &c. 31.) Hic vos erat, iudices, parvus, ut se

tio in eam formam, quæ est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut major eloquentia non requiratur.

XXXIX. Sed jam forma ipsa restat, & character ille qui dicitur; qui qualis esse debeat, ex ipsis, quæ supra dicta sunt, intelligi potest. Nam & singulorum verborum & collocatorum lumina ærigitimus: quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat: ex omni-que genere frequentissimæ translationes erunt, quod eæ propter similitudinem transferunt animos, & referunt, ac movent huc & illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitated, per se ipse delectat.

Et reliqua, ex collocatione verborum<sup>56</sup>, quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenæ, aut fori appellantur insignia: non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina, & quodam modo insignia: cum aut duplicantur, iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur sapius oratio, aut in idem conicitur, aut in utrumque, aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur: aut continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim sursum versus reditur: aut cum, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur: aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, ostendimus: aut cum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes: aut si est aliqua exclamatio vel admirationis, vel conquestionis: aut cum ejusdem nominis casus sapius commutatur.

Sed sententiarum ornamenta majora sunt: quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent, idcirco ejus eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine quadam conformatione sententiæ dicitur: nec aliud

<sup>56</sup> Et reliqua, ex collocatione verborum ]  
Tullium ab his ipsis verbis ad finem usque  
capitis, quod proxime sequitur, describit  
Quintilianus, 12. 1. apud quem hæc

omnia diligenter, ut solet, expendit vir singulari doctrina, Claudius Cæpponnerius, quo non parum, & aliter.

aliud quidquam est, dicere, nisi omnes, aut certe pleræque aliqua specie illuminare sententias; quas cum tu optime, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum notetur locus.

XI. Sic igitur dicit ille, quem expetimus, ut verset sæpe multis modis eandem & unam rem; & hæreat in eadem, commoreturque sententia: sæpe etiam ut extenuet aliquid: sæpe ut irrideat: ut declinet a proposito, desectatque sententiam: ut proponat, quid dicturus sit: ut, cum transegerit jam aliquid, desinat: ut se ipse revocet: ut, quod dixit, iteret: ut argumentum ratione concludat: ut interrogando urgeat: ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat: ut contra, ac dicat, accipi, & sentiri velit: ut addubitet, quid potius, aut quomodo dicat: ut dividat in partes: ut aliquid reliquat, ac negligat: ut ante præmuniat: ut in eo ipso, in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat: ut sæpe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet: ut hominum sermones moreque describat: ut muta quadam loquentia inducat: ut ab eo, quod agitur, avertat animos: ut sæpe in hilaritatem, risumve convertat: ut ante occupet, quod videat opponi: ut comparet similitudines: ut utatur exemplis: ut aliud alii tribuens dispartiat; ut interpellatorem coerceat: ut aliquid reticere se dicat: ut denuntiet, quid caveat: ut liberius quid audeat: ut irascatur etiam: ut objurget aliquando: ut deprecetur: ut supplicet: ut medeatur: ut a proposito declinet aliquantulum: ut optet, ut execretur: ut fiat iis, apud quos dicit, familiaris. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequatur: brevitatem, si res petet: sæpe etiam rem dicendo subjicet oculis: sæpe supra feret, quam fieri possit: significatio sæpe erit major, quam oratio; sæpe hilaritas, sæpe vitæ, naturarumque imitatio.

XLI. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. Sed hæc, nisi collocata, & quasi structa, & nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt. De quo cum mihi deinceps



viderem esse dicendum, etsi movebant jam me illa, quæ supra dixeram, tamen iis, quæ sequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim, posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam mearum laudum, qui non censerent ejus viri esse, de cuius meritis tanta senatus iudicia fecisset, comprobante populo Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus si nihil aliud responderem, nisi, me M. Bruto negare roganti noluisse, iusta esset exculatio, cum & amicissimo & præstantissimo viro, & recta & honesta petenti, satisfacere voluissem. Sed si profitear (quod utinam possem!) me studiosis dicendi præcepta, & quasi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id iustus rerum æstimator reprehenderet? Nam quis unquam dubitavit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis, pacatisque rebus: secundas, juris scientia? cum in altera, gratiæ, gloriæ, præsidii plurimum esset: in altera, persecutionum, cautionumque præceptio; quæ quidem ipsa auxilium ab eloquentia sæpe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones sineque defenderet. Cur igitur jus civile docere semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus: ad dicendum si quis acuat, aut adjuvet in eo juventutem, vituperetur? Nam si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam universam rempublicam: cur aut disere turpe est, quod scire honestum est: aut, quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?

XLII. At alterum factitatum est, alterum novum. Fateor: sed utriusque rei causa est. Alteros enim respondententes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent: sed eodem tempore & discipulis satisfacerent, & consulentibus. Alteri, cum domesticum tempus in cognoscendis, componendisque causis, forense in agendis, reliquum in seipsis reficiendis omne consumerent: quem habebant instituendi, aut docendi locum? Atque haud scio, an plerique nostrorum oratorum ingenio plus valuerint, quam doctrina.

doctrina. Itaque illi dicere melius, quam præcipere: non contra fortasse possumus.

At dignitatem docere non habet. Certe, si quasi in ludo. Sed si monendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo: nescio cur non docendo etiam aliquid aliquando, si possis meliores facere, cur nolis? An, quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, ut est: quibus ipsa sacra retineri defendique possint, non honestum est?

At jus profitentur etiam qui nesciunt: eloquentiam autem illi ipsi, qui consecuti sunt, tamen ea se valere dissimulant, propterea quod prudentia hominibus grata est, lingua suspecta. Num igitur aut latere eloquentia potest: aut id, quod dissimulat, effugit: aut est periculum, ne quis putet in magna arte & gloriola, turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestissimum discere?

Ac fortasse ceteri rectiores: ego semper me didicisse præ me tuli. Quid enim possem? cum & abfuissem adolescens, & horum studiorum causa mare transissem, & doctissimis hominibus referta domus esset, & aliqua fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notæ: cumque vulgo scripta nostra legerentur, dissimularem me didicisse? Quid erat, cur probarem, nisi quod parum fortasse profeceram?

XLIII. Quod cum ita sit: tamen ea, quæ supra dicta sunt, plus in disputando, quam ea, de quibus dicendum est, dignitatis habuerunt. De verbis enim componendis, & de syllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis loquimur: quæ etiam sunt, sicuti mihi videntur, necessaria, tamen sunt magnificentius, quam docentur. Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur. Nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices, stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest. Me autem, sive pervagatifimus ille verus, qui vetat,

*Artem pudere proloqui, quam factites,*  
dissimulare non sinit quin delectet; sive tuum studium hoc a me volumen expressit: tamen eis, quos aliquid reprehenduros suspicabar, respondendum fuit.

Quod

Quod si ea, quæ dixi, non ita essent: quis tamen se tam durum agrestemque præberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, cum meæ forenses artes & actiones publicæ concidissent, non me aut desidiam, quod facere non possum; aut mœstitiam, cui resisto, potius quam literis, dederem? quæ quidem me antea in iudicia, atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi. Nec vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiam gravioribus & maioribus: quæ si erunt perfectæ, profecto forensibus nostris rebus etiam domesticæ literæ respondebunt. Sed ad institutam disputationem revertamur.

XLIV. Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus: aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum: aut ut comprehensio numèrose & apte cadat. Atque illud primum videamus, quale sit; quod vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quadam, nec tamen fiat operose: nam esset cum infinitus, tum puerilis labor; quod apud Lucilium scire exagitat in Albucio Scavola,

*Quam lepide lexeis compositæ ut tessere omnes  
Arte pavimento, atque emblemate verniculate.*

Nolo tam minuta hæc constructio appareat: sed tamen stylus exercitatus efficit facile hanc viam componendi. Nam ut in legendo oculis, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves, gravesque sententiæ, tamen si inconditis verbis efferrantur, offendunt aures: quarum est iudicium superbissimum. Quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, quin <sup>17</sup> vocales nolit conjungere. In quo quidam etiam

<sup>17</sup> Quam lepide lexeis ] Vide lib. 111. de Orat. cap. 43.

<sup>18</sup> Quin ] Id valet quoties vocales concurrunt, quasi de duabus unam facere, & ut paulo post dicit, *contrahere*; ubi idem præcipit,

cujus contrarium est *disfringere*. Nobis, inquit, ut si cupiamus quidem, *disfringere* videtur conuenire. Est igitur hic *conjungere*, & *contrahere*, Græcis *συνάγειν*, à quo est *σύνθεσις*, quod, Eustathius, *σύνθεσις*, & *σύνθεσις* recte interpretatus est, *disfringere* autem *σύνθεσις*.

etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit; etsi id magister ejus Hocrates. At non Thucydides: ne ille quidem, haud paulo major scriptor, Plato: nec solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in præliis interfecti: quæ sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit. In ea est crebra ista vocalium concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes.

XLV. Sed Græci viderint: nobis, ne si cupiamus quidem, *disfringere* vocales conceditur. Inducant orationes illæ ipse horridula Catonis, indicant omnes poeta, præter eos, qui ut versum facerent, sæpe hiabant; ut Nævius:

*Vos, qui accolis Histrium stuvium, atque Algidam.*

Et ibidem:

*Quam nunquam vobis Græci, atque Barbari.*

At Ennius semel: --- Scipio *invictæ* --- Et quidem nos:

*Hoc motu radiantis Eresis in vada ponti.*

Hoc idem nostri sæpius non tulissent, quod Græci laudare etiam solent. Sed quid ego vocales? sine vocalibus sæpe brevitatibus causa contrahebant, ut ita dicerent, *multi modis, Vas argenteis, \* palm' & crinibus, resti fractis*. Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut *duellum*, bellum, & *duis*, bis: sic *Duellium*, eum, qui Panos classe devicit, *duis* nomina verunt,

*πῶν*, & *συνάγειν*, & *σύνθεσις*. Utriusque rei luculentum exemplum est apud Demetrium in aureolo libro illo *περὶ ἰσχυρίων*, ubi *σύνθεσις* & *συνάγειν*, inquit, *ἀποστήσειν*, & *σύνθεσις* *σύνθεσις* *σύνθεσις*, & *σύνθεσις* *σύνθεσις* *σύνθεσις*. Hoc eo dixi, quod Victorius in variis lectionibus & commentariis in hunc Demetrium, & qui Victorium sequitur Lambinus, corrigunt, & legunt in Cicerone, *Nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit conjungere*. Video quid velint: quod si illis conceditur, quid fuerit Cicerone ipso rusticus? In ipso præterea primæ epist. ad Lentulum, *Ego sumi obsecro ac potius pietate erga te, & que sequuntur, ut*

mittam alia ejusmodi infinita. Ac prope eorum oblitus Lambinus pro *vocibus* & *vocibus* ibidem reponere *vocalium* & *vocalibus*. Certe immerito: sic enim vocalis I in Antonii monofyllaba, *voc* & a Terentiano *voc*, *vocula* dicitur & sic poeta vetus apud Archaicum in Gryphis lib. x. *Tō a tō vocul vocul*, &c. quippe quod ex literæ, ut ait Plato in Theæto, cum de vocalibus disputaret, *vocalis* *vocalis* *vocalis*. Faber in Acad. I. 1. Vide Victorii Var. Lect. xii. 17. & Turnebi Adv. viii. 3.

a *Vocalium* ] P. A. Grut. vocum  
b *Vocales* ] V. A. Grut. vocer.  
\* *Palm' & crinibus* ] Lamb. *palm' crinibus*.

verunt, cum superiores appellati essent semper *Duelli*. Quia etiam verba saepe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester *Axilla*, *Ala* factus est <sup>59</sup>, nisi fuga literæ vastioris? quam literam etiam e *maxillis* <sup>60</sup>, e *raxillis*, & *rexillo*, & *paxillo*, consuetudo elegans Latini sermonis evellit. Libenter etiam copulando verba iungebant, ut *sodes*, pro, *si audes: sis*, pro *si vis*. Jam in uno, *capis*, tria verba sunt: *ain*, pro *aisne? nequire*, pro, *non quire: malle*, pro *magis velle: nolle*, pro, *non velle*. Dein etiam saepe, & *exin*, pro *deinde* & *exinde* dicimus. Quid illud? non olet unde fit, quod dicitur, *cum illis? cum autem nobis* non dicitur, sed *nobiscum?* quia si ita diceretur, obsecenius concurrerent literæ, ut etiam modo, nisi, *autem* interpoluissim; concurrissent. Ex eo est *mecum* <sup>61</sup>, & *tecum*: non, *cum me*, & *cum te*, ut esset simile illis *vobiscum*, atque *nobiscum*.

XLVI. Atque etiam a quibusdam sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt. Nam *Prob deum*, atque *hominum fidem: deorum* ajunt. Ita credo, hoc illi nesciebant: an dabat hæc licentiam consuetudo? Itaque idem poeta, qui inuitatius contraxerat: *Parris mei* <sup>62</sup> *meum factum pudor*, pro, *meorum factorum: & Texitur: exitum examen rapit*, pro, *exeriorum*: non dicit, *liberum*, ut plerique loquimur, cum *Cupidos liberum*, aut, *In liberum loco* dicimus: sed ut isti volunt: *Neque tuum unquam in gremium exollas liberorum ex te genus*.

Et

59 *Axilla*. *Ala* factus est ] Plerisque lexicographis imponitur hic locus. *Axilla* interpretati sunt minutam alam, absurde. Viri proprium nomen est, qui primum *Axilla*, deinde *Ahala*, postea *Hala*, denique *Ala* dicitur est. *Postea* *Axilla* appellatur a *Tullio*, quia liberum huic scripserat ad *Strum*, qui matrem genis referebat ad *Sevillium Alam*, *Proles*.

60 *Maxillis* ] Pro *maxillis* malas, pro *te-xillis* talos, pro *rexillis* vela, pro *paxillis* pa-las dicimus. *Idem*.

61 *Ex eo est mecum* ] Querere aliquis, cur ergo dicimus, *meum*, *tecum*, *tecum*, *quicum*, *vobiscum*, & cetera id genus, que

nullam fugiunt *απορρογία*: *Us esse*, inquit, *simile illis nobiscum* &c. Hoc igitur ad effugiendum cacophoniam, illa ad analogiam quandam reperta sunt. *Cicero de Oratore: Noluitur*, cum *me*. Et *cum te dicere*, *in eisdem computationibus adinvenendum esse cum nobis: sed potius mecum* & *tecum*. Et *tecum*, & *nobiscum* dicitur, cum præ-ositione, que facit obsecnum affluere, postposita. *Strabon*.

62 *Parris mei* ] De sententia horum & sequentium versuorum, auctore meo, nemo vehementer laboraverit. Desumpti sunt ex veteribus poetis, quorum carmina maximam partem periret. *Proles*.

Et idem: --- *Namque Esculapi liberorum* --- Et ille alter in *Chryse*, non solum,

*Cives, anriqui amici majorum meum*, quod erat usitatum: sed durius etiam,

*Consilium, augurium, atque extum interpretes*.

Idemque pergit: --- *Postquam prodigium boriferum, portentum pavos*: que non sane sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter, *armum judicium*, etsi est apud eundem, --- *Nihilne ad te de judicio armum accidit?* quam *armorum*. Jam (ut censorie tabulæ <sup>63</sup> loquuntur) *fabrum* & *pro-cum* audeo dicere, non *fabrorum* & *procorum*. Planaque, *duorum virorum judicium*, aut, *trium virorum capitalium*, aut *decem virorum litibus judicandis*, dico nunquam. Atqui dixit *Accius: Video sepulera dua* <sup>64</sup> *duorum corporum*. Idemque: *Mulier una duum virum*. Quid verum sit, intelligo: sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc, vel, *Prob deum* dico, vel, *Prob deorum*: alias ut necesse est, cum *trium virtum*, non *virorum*: cum *sestertium nummum*, non *nummorum*: quod in his consuetudo varia non est.

XLVII. Quid, quod sic loqui, *nosse, judicasse*, vetant: *novisse, jubent, & judicavisse?* quasi vero nesciamus, in hoc genere & plenum verbum recte dici, & imminutum usitate. Itaque utrumque *Trentius, Ebo, tu cognatum tuum non no-ras?* Post idem, *Scipionem, inquam, noveras?* *Sier*, plenum est: *sir*, imminutum <sup>65</sup>. Licet utare utroque. Ergo ibidem:

*Quam cara sintque, post carendo intelligunt,*

*Quamque atinendi magni dominatus sent.*

Tom. I.

Z z z

Nec

63 *Censorie tabulæ* ] Commentarii & literæ censorum, in quas referuntur civium nomina, & singularum censum: Sunt & censorie tabulæ, quibus ignominiosi nominantur, in quas a censoribus subscribitur est. *Strabon*.

64 *Dua* ] Antiquo more dictum. Quam in rem *Quintilianus* lib. 1. cap. 5. *Quid quod*, inquit, *quædam, que singula proci du-bio vitiosa sunt, inuncta sine reprehensione dicuntur?* Nam & *dua*, & *tre*, & *quatuor*, & *quædam* generum sunt barbarissimi et di-morphi. Et respondo aliqui ad *astrum astrum* &c. *quædam* dicitur est, & recte dicit *Maffala*

*confusæ*, *Proles*.  
65 *Inimicitia* ] *Inimicitia*, & *diminuta* vim eandem habent apud Latinos scriptores, sed a rhetoribus & grammaticis librarum distribuuntur. *Inimicitia* sunt vocabula, quibus aliqua syllaba per synocpen seu concisionem detracta est: quibus vocabuli respondent plena, ut *maxilla* plenum est, *maxila* imminutum vocabulum. *Diminuta* minuant significationem verum, & numerum augent syllabarum, ut *humulus*, *humanculus*, *fer-novialis*. His opponuntur integra, ut *baum*. *Proles*.

Nec vero reprehenderim : *Scriptere alii rem ; & scripserunt*, esse verius sentio : sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. *Idem campus habet*, inquit Ennius : & , *In templis iisdem*, probavit. At, *eisdem*, erat verius : nec tamen, *eisdem*, opimius. Male sonabat, *iisdem*. Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret. Et *pomeridianas quadrigas*, quam *postmeridianas*, libentius dixerim : & *mebercule*, quam *mebereules*. *Non scire* quidem, barbarum jam videtur : *nescire* dulcius. *Ipsum meridiem*, cur non *medidiem* ? credo, quod erat insuavius.

Una præpositio est, *abs*, eaque nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium : in reliquo sermone mutata est. Nam *amovir* dicimus, & *abegit*, & *abstulit*, ut jam nescias, *abne* verum sit, an *abs*. Quid si etiam *abfugit* turpe visum est ; & *abfer* noluerunt, *auser* maluerunt ? quæ præpositio præter hæc duo verba nullo alio in verbo reperitur. *Nori* erant, & *novi*, & *nari*, quibus cum in præponi oporteret, dulcius visum est, *ignoti*, *ignavi*, *ignari*, dicere, quam ut veritas postulabat. *Ex usu* dicunt, & *e republica*, quod in altero vocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi literam sustulisses : ut, *exegit*, *edixit*, *effecit*, *extrulit*, *edidit* : adjuncti verbi primam literam præpositio commutavit, ut *subegit*, *summutavit*, *sustulit*.

XLVIII. Quid in verbis junctis ? quam scite *insipientem*, non *insapientem* ? *iniquum*, non *inaquum* ? *tricipitem*, non *tricipitem* ? *concisum*, non *concessum* ? Ex quo quidam *perissimum* etiam volunt : quod eadem consuetudo non probavit. Quid vero hoc elegantius, quod non sit natura, sed quodam instituto ? *inclyrus* <sup>66</sup> dicimus brevi prima litera, *insanus* producta. *Inhumanus* brevi, *infelix* longa. Et, ne multis, quibus in verbis ex primæ literæ sunt, quæ in *sapiente*, atque *felicite*, producte dicitur ; in cæteris omnibus, breviter. Itemque composuit, *consuevit*, *concrepuit*, *consecit* : consule veritatem, reprehendet : refer ad aures, probabunt. Quære, cur ? ita se dicent juvari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio.

Quin

<sup>66</sup> *Inclyrus* ] Vide Gellium, lib. II. cap. 17. *Idem*.

Quia ego ipse, cum scirem ita majores locutus esse, ut nusquam, nisi in vocali <sup>67</sup>, aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Ceregos*, *triumpos*, *Carthaginon* dicerem : aliquando, idque sero <sup>68</sup>, convicio aurium, cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi resertavi. *Orcivios* tamen, & *Masones*, *Otones*, *Capiones*, *se-pulcra*, *coronas*, *lacrymas* dicimus, quia per aurium iudicium semper licet. *Burrum* semper Ennius, nunquam *Pyrrum*. *Vi patefecerunt Bruges*, non *Pbyrges*, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam literam adhibebant : nunc autem etiam duas : & cum *Pbyrgum*, & cum *Pbyrgibus* dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus Græcam literam adhibere, aut recto casu solum Græce loqui, tamen & *Pbyrges*, & *Pyrrhum* aurium causa dicimus.

Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eadem erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in *oprimum*, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequeretur. Ita non erat offensio in verbis, quam nunc fugiunt poætæ novi. Ita enim loquebamur :

*Qui est omnibu' princeps*. Non, *omnibus princeps*, & ,

*Vira illa dignu'*, *locoque*. Non, *dignu'*.

Quod si indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte & doctrina postulari putamus ?

Z z z 2

Hæc

*Et Nusquam nisi in vocali* ] Huc pertinet, quæ Fabius lib. 7. cap. 5. tradit de aspiratione, *Pavissine in veteres esse, etiam in vocalibus, cum ados, inchoque dicebant. Dicit dicitur servatum ne consonantibus aspiraretur, ut in Græcis & triumphis. Evipit brevi tempore novius usus, ut choronz, chentitiones, præcones adhuc quibusdam inscriptionibus manerent. Quæ de re Catulli nobilitate epigramma est.*

*Choromoda dicebat, si quando commoda vellet*

*Dicere, & hinc dicit Arius insidias.*

*Sec. Idem.*

<sup>68</sup> *Aliquando, idque sero* ] Consuetudo & usus aspirandi veteribus Romanis fuit, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, ut *homo*, *inhumanus*, *vehicula*, *trabebat*. Hanc veluti legem secutus Cicero, re-

clatante populo dicebat sine aspiratione *pulcros*, *Ceregos*, *triumpos*, *Carthaginon*, & cætera id genus. Aliquando tamen, idque sero, cum veritas, id est vera loquendi ratio extorta esset homini aurium convicio, hoc est auribus ipsius indignantibus, & tacite conviciantibus illa fictiora durioraque sentiri, tum cepit ire per viam publicam, & cum populo dicere *pulcros*, *Ceregos*, *triumphus*, *Carthaginone*, quæ nunc quoque scribendo servamus aspiratione mollia : sed in plerisque pronuntiatio est, aspiratio non auditur. *Usum*, inquit, *populo concessi, scientiam mihi resertavi*. Ex arte præceptisque scientiam comparatur, a qua si loquendi consuetudo dissentit, tum censet consuetudini potius & auribus quam scientiæ parendam. *Sereb.*

Hæc dixi brevius, quam si hac de re una disputarem; (est enim hic locus late patens, de natura usque verborum) longius autem, quam instituta ratio postulabat.

XLIX. Sed quia rerum, verborumque iudicium, prudentiæ est: vocum autem, & numerorum, aures sunt iudices, & quod illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem: in illis ratio invenit, in his sensus artem. Aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars ejus conciliandæ reperienda.

Due sunt igitur res, quæ permulceant aures, *sonus & numerus*. De numero mox, nunc de sono quaerimus. Verba (ut supra diximus) legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non ut poetæ, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. *Qua pontus Helles* <sup>63</sup>... superat modum. At *Auratus aries Colchorum*... Splendidis nominibus illuminatus est versus: sed proximus inquinatus insuavissima litera <sup>70</sup> finitus, *Frugifera, & ferra arva Asia tenet*. Quare bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Græcorum, nisi forte sic loqui poenitet: *Qua tempestate Paris Helenam*, & quæ sequuntur. Immo vero ista sequamur, asperitatemque fugiamus: *Habeo istam ego perterritæ cepam*... Idemque, *Versuiloquas malitias*.

Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur, quoniam id iudicium esse alterum aurium diximus. Sed finientur aut compositione ipsa, & quasi sua sponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest: quæ sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiam si nihil est factum de industria.

In hujus concinnitatis consecratione Gorgiam fuisse principem accepimus, quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: *Est enim, iudices, hæc non scripta, sed nata lex: quam non didi*.

<sup>63</sup> *Qua pontus Helles*] Non dubium est, quin admittenda sit scriptura, eam & Seneca emit Lipsius noster, Quæst. viii. v. 3. & Senec. ep. 81. *Qua pons ab Helles*. Græci.

<sup>70</sup> *Insuavissima litera*] S nimirum, quæ,

teste Halicarnasseo, libro de compositione nominum, ingratis efficit sonum, & si saepius usurpatus, vehementer offendit: quare caute a veteribus adhibita est. Porro *Asias*, uti duplex S, genitivus est antiquus, ut *scilicet*, &c. Præst.

didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. Hæc enim talia sunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus non quaesitum esse numerum, sed secutum.

Quod sit item in contrariis referendis: ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiam versus efficitur:

*Eam, quam nihil accusas, damnas.*

*Condemnas, dixisset, qui verbum effugere voluisset.*

*Bene quam meritam esse aurum, dicis male mereri.*

*Id quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.*

Verbum efficit ipsa relatio contrariorum. Id esset in oratione numerosum, *Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multum obest*.

L. Semper hæc, quæ Græci *ἀριθμητὰ* nominant, cum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorum necessitate ipsa efficiunt, & cum sine industria. Hoc genere antiqui, jam ante Isocratem, delectabantur, & maxime Gorgias: cuius in oratione plerumque efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes; ut illa sunt in quarto Accusationis: *Conferre hanc pacem cum illo bello: hujus prætoris adventum, cum illius imperatoris victoria: hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invidio: hujus libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditus; ab hoc, qui constitutus accepit, captas dicetis Syracusas*. Ergo & hi numeri sint cogniti.

Genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosæ & aptæ orationis. Quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio. Meæ quidem & perfectæ completoque verborum ambitu gaudent, & curta sentiunt, nec amant redundantiæ. Quid dico meas? conciones sæpe exclamare vidi, cum apte verba cecidissent. Id enim expectant aures, ut verbis colligentur sententiæ. Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud fere non erat. Nam & verba eligeant, & sententiæ graves & suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant, aut explebant parum.

Hoc

Hoc me ipsum delectat, inquit. Quid si antiquissima illa pictura paucorum colorum, magis, quam hæc jam perfecta, delectet? illa nobis sit, credo, reperenda: hæc scilicet repudianda. Nominibus veterum gloriantur. Habet autem, ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas: quæ quidem apud me ipsum valet plurimum. Nec ego id, quod deest antiquitati, flagito potius, quam laudo, quod est: præsertim cum ea majora judicem, quæ sunt, quam illa, quæ desunt. Plus est enim in verbis, & in sententiis boni, quibus illi excellunt, quam in conclusione sententiarum, quam non habent.

LI. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si jam nota, atque usurpata res esset: qua inventa, omnes ulos magno ore videmus. Sed habet nomen invidiam, cum in oratione judiciali & forensi numerus Latine, Græce *ψυδρος* inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur. Hoc freti isti, & ipsi infracta & amputata loquuntur, & eos vituperant, qui apta & finita pronuntiant. Si inanibus verbis, levibusque sententiis: jure. Sin probæ res, lecta verba: quid est cur claudicare, aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia: quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, sæpe natura: & quæ valde laudantur apud illos, ea fere, quia sunt conclusa, laudantur.

Et apud Græcos quidem jam anni prope quadringenti sunt, cum hoc probatur; nos nuper agnovimus. Ergo Ennio hec vetera contemnenti dicere:

*Verbis, quos olim Fauni, ratesque canebant:*

mihî de antiquis eodem modo non licebit, præsertim cum dicturus non sim, *Ante hunc*.... ut ille: nec quæ sequuntur, *Nos ausi referare*.... Legi enim, audivique nonnullos, quorum propemodum absolute concluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis non contemni, laudari etiam volunt. Ego autem illos ipsos laudo, idque merito, quorum

fc

se isti imitatores esse dicunt, etsi in eis aliquid desidero: hos vero minime, qui nihil illorum, nisi vitium, sequuntur; cum a bonis absint longissime.

Quod si aures tam inhumanas tamque agrestes habent, ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Ommitto Hocratem, discipulosque ejus, Ephorum, & Naucratem: quanquam orationis faciendæ & ordandæ auctores locupletissimi summique ipsi oratores esse debeant. Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Hocrati est adversatus infensus? Is igitur versum<sup>71</sup> in oratione vetat esse, numerum jubet. Ejus auditor Theodestes<sup>72</sup>, in primis (ut Aristoteles sæpe significat) politus scriptor, atque artifex, hoc idem & sentit & præcipit. Theophrastus vero iidem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probent? nisi omnino hæc esse ab his præcepta nesciunt.

Quod si ita est, nec vero aliter existimo: quia ipsi suis sensibus<sup>73</sup> non moventur, nihilne eis inane videtur? nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba brevior aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec illos numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: & tamen omnium longitudinum & brevitarum in sonis, sicut acutarum graviumque vocum, judicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.

LII. Visne igitur, Brute, totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quam illi ipsi, qui & hæc, & alia nobis tradiderunt? An his contenti esse, quæ ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quæro, velisne: cum literis tuis eruditissime scriptis, te id vel maxime velle perspexerim? Primum ergo

<sup>71</sup> Is igitur versum] Aristoteles lib. 111. Rhetor. cap. 8. de numero præcipit, *Ut dictavit forma neque versibus coactis, neque numero coactis.* Idem.

<sup>72</sup> Theodestes] E Lycia orator, Platonis, Hocratis, & Aristotelis discipulus. Scripsit versu artem oratoriam: animum etiam ad poësim tragicam summa laude appulit. Obiit anno ætatis XLI. Floruit Olympiade CIII. Suidas. Idem.

<sup>73</sup> Quis ipsi suis sensibus] Est qui mallet, ducere Lambino: *Quid? ipsi suis sensibus non moventur?*

ergo origo, deinde causa, post natura, tum ad extremum ulus ipse explicetur orationis aptæ, atque numerosæ. Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus adjunxerit. Cum enim videret, oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate: tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, cum jucunditatis causa, tum ut varietas occurreret fatietati.

Quod ab his vere quadam ex parte, non totum, dicitur. Nam neminem in eo genere scientius versatum Isocrate, confitendum est: sed princeps inventendi fuit Thrasymachus; cuius omnia nimis etiam exstant scripta numerosa. Nam (ut paulo ante dixi) paria paribus adjuncta, & similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quæ sua sponte (etiam si id non agas) cadunt plerumque numerosæ, Gorgias primus invenit: sed his est ulus intemperantius. Id autem est genus <sup>74</sup> (ut ante dictum est) ex tribus partibus collocationis alterum.

Horum uterque Isocratem ætate præcurrit: ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis, faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem avidior est generis ejus, & his festivitibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur: quas Isocrates (cum tamen audivisset in Thessalia adolescens senem jam Gorgiam) moderatius temperavit. Quin etiam se ipse tantum, quantum ætate procedebat, (prope enim centum consecit annos) relaxarat a nimia necessitate numerorum: quod declarat in eo libro <sup>75</sup> quem ad Philippum Macedonem scripsit, cum jam admodum esset senex: in quo dicit sese minus jam servire numeris, quam solitus esset. Ita non modo superiores, sed etiam se ipse correxerat.

LIII. Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes,

<sup>74</sup> Id autem est genus ] Collocationis verborum, ut ante Cicero explicuit cap. 44. triplex est genus: primum, ut inter se verba legitime colligantur, extrema cum primis: alterum, de quo hic agitur, aut ipsa verborum concinnitas conficiat orbem suum:

tertium, ut comprehensio numerosæ cadat.

<sup>75</sup> In eo libro ] In oratione ad Philippum, qua eum hortatur, ut præcipuis Græcæ urbibus reconciliatis, bellum Paris inferat. Idem.

pes, auctoresque, quos dicimus, & origo inventa est: causa queratur. Quæ sic aperta est, ut mirer, veteres non esse commotos, præsertim cum, ut fit, fortuito sæpe aliquid concludere, apteque dicerent: quod cum animos hominum aureisque pepulisset, ut intelligi posset, id, quod casus effudisset, cecidisse jucunde: notandum certe genus, atque ipsi sibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mentionem. Itaque & longiora & breviora judicat, & perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quadam, & quasi decurtata: quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, & quasi immoderatus excurrantia, quæ magis etiam aspernantur aures: quod cum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum. Ut igitur poetica & versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium; sic in oratione animadvertum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus, conclusionesque verborum.

Quoniam igitur causam quoque ostendimus: naturam nunc, (id enim erat tertium) si placet, explicemus: quæ disputatio non hujus instituti sermonis est, sed artis intimæ. Quæritur enim potest, qui sit orationis numerus, & ubi sit positus, & natus ex quo: & is unusne sit, an duo, an plures, quæque ratione componatur, & ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. Sed, ut in plerisque rebus, sic in hac, duplex est considerandi via; quarum altera est longior, brevior altera, eadem etiam planior.

LIV. Est autem longioris prima illa quæstio, sitne omnino ulla numerosa oratio. Quibusdam enim non videtur: quia nihil insit in ea certi, ut in verbis: & quod ipsi, qui affirmant eos esse numeros, rationem, cur sint, non queant reddere. Deinde, si sit numerus in oratione: qualis sit, aut quales: & poetice numeris, an ex alio genere quodam: & si e poetice; quis eorum sit, aut qui. Namque alii u-

nus modo, aliis plures, aliis omnes iidem videntur. Deinde, quicumque sunt, five unus, five plures; communesque sint omni generi orationis: quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi: an dispares numeri cuique orationis generi accommodentur. Si communes, qui sint: si dispares, quid intersit, & cur non aequè in oratione, atque in verbi numerus appareat. Deinde, quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum: an est suum cuiusque: ut numerus intervallis, compositio vocibus, genus ipsum verborum quasi quadam forma, & lumen orationis appareat: sitque omnium fons compositio, ex eaque & numerus efficiatur, & ea, quae dicuntur orationis quasi formae & lumina, quae (ut dixi) Graeci vocant  $\sigma\chi\eta\mu\alpha\tau\alpha$ .

At non est unum, nec idem, quod voce jucundum est, & quod moderatione absolutum <sup>76</sup>, & quod illuminatum genere verborum: quanquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerumque perfectum est: compositio autem ab utroque differt, quae tota servit gravitati vocum, aut suavitati. Haec igitur fere sunt, in quibus rei natura quaerenda sit.

Effè ergo in oratione numerum quandam, non est difficile cognoscere. Judicat enim sensus: in quo iniquum est, quod accidit, non cognoscere, si, cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus <sup>77</sup>, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturae, & animadversio peperit artem. Sed in versibus res est apertior: quanquam etiam a modis quibusdam, cantu remoto, soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui  $\lambda\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\iota$  a Graecis nomi-

<sup>76</sup> Quod voce jucundum est, & quod moderatione absolutum ] Fortasse, modulatione, ut & lib. 1. de Orat. (cap. 60.) ubi omnes vulgati: abstritus coetæ quadam numerorum moderatione, & pedum. Hic etiam placeat, modulatione. Muretus.

<sup>77</sup> Neque enim ipse versus ratione est cogni-

tur ] Si rhythmus & metrum ratione cognita essent, ratio redderetur: sed a natura parva sunt, a sensu notata, ratione dimensa. Quamobrem tantum dici potest, rationem mensuram comprehendisse, quae natura peperisset. Ergo ratio verum numerumque metitur, sed non parit. Sestianus.

nominantur: quos cum cantu spoliaveris, nuda pene remanent oratio. Quorum similia sunt quaedam etiam apud nostros: velut illa in Thyeste:

*Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute,*  
& quae sequuntur: quae, nisi cum tibicen accessit, orationi sunt soluta simillima. At comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus & versus intelligi possit: quo est ad invenendum difficilius in oratione numerus, quam in versibus.

Omnino duo sunt, quae condiant orationem; verborum, numerorumque jucunditas. In verbis inest quasi materia quadam in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus, necessitates inventa antiquiora sunt, quam voluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda, ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata. Itaque & Herodotus, & eadem, superiorque aetas <sup>78</sup> numero caruit, nisi quando temere, ac fortuito: & scriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione praecipua multa nobis reliquerunt. Nam quod & facilius est, & magis necessarium, id semper ante cognoscitur.

LVI. Itaque tralata, aut facta, aut juncta verba, facile sunt cognita, quia sumebantur e consuetudine, quotidianoque sermone. Numerus autem \* nondum depromebatur, neque habebat aliquam necessitudinem, aut cognitionem cum oratione. Itaque serius aliquanto notatus, & cognitus, quasi quadam palastram, & extrema lineamenta orationi attulit.

Quod si & angusta quadam atque concisa, & alia est collata & diffusa oratio; necesse est id non literarum accidere natura, sed intervallorum longorum & brevium varietate, quibus implicata atque permixta oratio, quoniam tum stabilis est, tum volubilis, necesse est ejusmodi naturam numeris contineri. Nam circuitus ille, quem saepe jam diximus, incita-

A a a a z tior

<sup>78</sup> Eadem, superiorque aetas ] Quintilianus, 12. 4. Cicero non respicitur. Neq. mihi, inquit, exemplum negant auctores, Cicero per se fecerit Lyfium, Herodotum, Thucydidem pe-

rum audiosos esse numeri fuisse. Postea. \* Nondum ] Sic Lambinus: sed Visior non modo: Min. & Grat. non deino.



tior numero ipso fertur & labitur, quoad perveniat ad finem, & insistat. Perspicuum est igitur, numeris adstrictam orationem esse debere, carere verbis.

Sed hi numeri poetice sint, an ex alio genere quodam, deinceps est videndum. Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum. Nam omnis talis est, ut unus sit e tribus. Pes enim <sup>72</sup>, qui adhibetur ad numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut aequalem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse majorem. Ita fit æqualis dactylus, duplex jambus, <sup>73</sup> sesqui pæon; qui pedes in orationem non cadere qui possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est.

Sed quantum, quo numero, aut quibus potissimum sit utendum. Incidere vero omnes in orationem etiam ex hoc intelligi potest, quod versus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus: quod vehementer est vitiosum <sup>80</sup>: sed non attendimus, neque exandimus nosmetipsos. Senarios vero, & Hipponacteos effugere vix possumus. Magnam enim partem ex jambis nostra constat oratio. Sed tamen eos versus facile agnoscit auditor. Sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos, sed tamen versus; vitiosum genus, & longa animi provisione fugiendum. Elegit ex multis Ilocratis libris triginta fortasse versus Hierony-

<sup>70</sup> Per enim. Cujus loci hæc est sententia. Pedes ex quibus numeri conficiuntur, triplicis sunt generis. Alii sunt æquales, & unam partem habent æqualem alteri: tales sunt spondei, qui consistunt ex duabus longis, tales dactyli, quorum prima longa duabus brevibus æqualis est. Alii duplices sunt, quorum una pars altero tanto major est altera: ceterosmodi jambus est, brevis enim syllaba longa est dimidiata. Alii denique sunt sesquipedales, quorum altera pars altera dimidio major est, ut pæon sive pæon, qui longa una syllaba & tribus brevibus constat. At longa syllaba in temporum metrorum ratione duas breves æquare dicitur. Ita fit ut tres breves longam unam dimidio superent. Nam ternarius ad binarium relatus æqualitatem proportionem habet. Ita

fere Budæus lib. 1. de Aff. Idem.

<sup>72</sup> Sesqui pæon. Vide. Sesqui pæon. Lamb.

<sup>73</sup> Sesquipedes.

<sup>80</sup> Quod vehementer est vitiosum. Nec cavet Cicero, cui interdum versus etiam heroicæ exciderunt: ut pro Archia.

In quo res non inferior medicis esse. Verlatum. Immo lib. 221. de Oratore, quo vitium hoc exagitur, inventum est in eorum dithicam. Sic enim loquitur Crassus, cap. 5. *Ac mihi quidem veteres illi iustus quiddam animi*

*Comptat, plus multo etiam vidisse videtur.*

*Quam quantum vestrorum ingeniorum acies*

*Inveni posse. Vide Vossium lib. 14. Institut. Orator. Idem.*

ronymus, peripateticus in primis nobilis, plerisque senarios, sed etiam anapæsta: quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit malitiose. Prima enim syllaba dempta in primo verbo sententiæ, postremum ad verbum primam rursus syllabam adjunxit insequentis. Ita factus est anapæstus is, qui Aristophaneus nominatur. Quod ne accidat, observari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit, (ut a me animadversum est studiose inquirente in eum) emitit imprudens ipse senarium. Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eisdemque esse oratorios, qui sint poetici.

LVII. Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. Sunt enim qui jambicam putent, quod sit orationi simillimus: qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis; quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior. Ephorus autem, levis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina, pæona sequitur, aut dactylum: fugit autem spondeum, & trochæum. Quod enim pæon habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate, & celeritate syllabarum labi putat verba proclivius: contraque accidere in spondeo, & trochæo, quod alter e longis constaret, alter e brevibus fieret: alteram nimis incitatum, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed & illi priores errant, & Ephorus in culpa est. Nam & qui pæona prætereunt, non vident mollissimum a sese numerum, eundemque amplissimum præteriri. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui judicat, heroum numerum grandiosem, quam desideret soluta oratio: jambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat: plenam tamen eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audiunt, ad majorem admirationem possit traducere. Trochæum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat, quia contractio & brevis dignitatem non habeat. Ita pæona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire eum utantur: esse autem tertium,

tertium, ac medium inter illos: sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus inest aut sesquipleus, aut duplex, aut par. Itaque illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Jambus enim & dactylus in versum cadunt maxime. Itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicus quam illa versibus. Pæon autem minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse æqualem dactylo<sup>81</sup>, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis, existimat: quod idem facit in trochæo, qui temporibus & intervallis est par jambo: sed eo vitiosus in oratione, si ponatur extremus<sup>82</sup>, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Atque hæc, quæ sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto, Theodecteque de pæone dicuntur.

Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permistos & confusos pedes. Nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iidem uteremur: quia nec numerosa esse, ut poema; neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet oratio. Alterum nimis est vinculum, ut de industria factum appareat: alterum nimis dissolutum, ut pervagatum, ac vulgare videatur: ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sic igitur (ut supra dixi) permista & temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, pæone maxime, (quoniam optimus auctor ita censet) sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata.

LVIII. Quos autem numeros, cum quibus, tanquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint cuique accommodatissimi. Jambus enim frequentissimus est in iis, quæ demisso atque humi-

<sup>81</sup> *Æqualem dactylo* ] *Æqualis est dactylo spondeus ratione non syllabarum, sed intervallorum: ut enim quatuor habet spacia dactylus, duo priora ratione minus longæ, duo posteriora ratione duarum brevium, sic spondeo propter duas longas quatuor sunt spacia. Idem.*

<sup>82</sup> *Si ponatur extremus* ] *Numerosum est hoc quartæ Catilinariæ exordium: *Victos, P. C. in nos omnium vestrum ore atque curia esse convulsos*. Desinat trochæo, *convulsos esse vel esse convulse videtur, tantum quantum deficit. Idem.**

li sermone dicantur. Pæon autem in amplioribus: in utroque dactylus. Ita in varia & perpetua oratione hi sunt inter se miscendi & temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis acupium, & quadrandæ orationis industria: quæ latebit eo magis, si & verborum & sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animadvertunt, & jucunda sibi censent, verba dico & sententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos, & prætervolat numerus: qui tamen si abesset, illa ipsa delectarent.

Nec vero nimius is cursus est numerorum, orationis dico, (nam est longe aliter in versibus) nihil ut fiat extra modum. Nam id quidem esset poema. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter, constanterque ingrediens, numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constet e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius est oratione uti, quam versibus: quod in illis certa quædam & definita lex est, quam sequi sit necesse: in dicendo autem nihil est propositum, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio & species orationis clausa & terminata est: quod voluptate aurium judicatur.

LIX. Solet autem quæri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus, atque in extremis. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum. Ponendus est enim ille ambitus, non abjiciendus. Quare cum aures extremum semper expectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet: sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio, & tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat.

Id autem bona disciplina exercitatis, qui & multa scriperint, & quæcumque etiam sine scripto dicent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circum-

scribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt: quæ mens eadem, quæ nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat: quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur: atque omnia illa & prima & media verba spectare debent ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitator, interdum moderata ingressio: ut jam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis orationis, eadem cum faciamus, quæ poeta, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem. Est enim in utroque & materia, & tractatio: materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternæ autem sunt utriusque partes verborum: translatum, novum, priscum. Nam de propriis nihil hoc loco dicimus.

LX. Collocationis autem, eæ, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus; sed in utroque frequentiores sunt, & liberiores poetæ. Nam & transferunt verba cum crebrius, tum etiam audacius: & priscis libentius uruntur, & liberius novis. Quod idem fit in numeris; in quibus quasi necessitati parere coguntur. Sed tamen hæc nec nimis esse diversa, nec ullo modo conjuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet: idque quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nunquam, aut concinnitate, aut constructione verborum.

Ita, si numerus orationis queritur qui sit; omnis est: sed alius alio melior atque aptior. Si locus; in omni parte verborum. Si, unde ortus sit; ex aurium voluptate. Si componendorum ratio; dicitur alio loco, quia pertinet ad usum, quæ pars quarta & extrema nobis in dividendo fuit. Si, ad quam rem adhibeatur; ad delectationem. Si, quando; semper. Si, quo loco; in tota continuatione verborum. Si, quæ res efficiat voluptatem; eadem, quæ in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt.

LXI. Satis multa de natura: sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. In quo quæsitum est, in totone circuitu

tu illo orationis, quem Græci *περίστροφος*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptiorem dicimus: an in principis solum, an in extremis; an in utraque parte numerus tenendus sit. Deinde, cum aliud videatur esse numerus, aliud numerosum: quid interfit. Tum autem in omnibusne numeris æqualiter particulas deceat incidere; an facere alias breviores, alias longiores, idque quando; aut cur, quibusque partibus: pluribusne, an singulis: imparibus, an æqualibus: & quando aut istis, aut illis sit utendum: quæque inter se aptissime collocentur, & quomodo: an omnino nulla sit in eo genere distinctio: quodque ad rem maxime pertinet, quæ ratione numerosa fiat oratio. Explicandum etiam est, unde orta sit forma verborum: dicendumque, quantos circuitus facere deceat. Deque eorum particulis, & tanquam incisionibus differendum est, querendumque, utrum una species & longitudo sit earum, anne plures; & si plures, quo loco, aut quando, quoque genere uti oporteat. Postremo totius generis utilitas explicanda est, quæ quidem patet latius. Non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur.

Ac licet, non ad singulas res respondentem, de univesto genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse videatur. Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus, hoc, quod in causis, foroque versatur, de quo diceremus. Ergo in aliis, id est, in historia, & in eo, quod appellamus *ἐπιδεικτικόν*, placet omnia dici Isocrateo, Theopompeoque more, illa circumscriptiorem, ambituque, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insinat in singulis perfectis, absolutisque sententiis. Itaque posteaquam est nata hæc vel circumscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, si ita licet dicere: nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis ejus; quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a judiciis forensisque certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Nam cum is est auditor, qui non vereatur, ne compositæ orationis insidias sua fides ar-

tenetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium fervienti.

LXII. Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omnino repudiandum. Si enim semper utare, cum satietatem affert, tum, quale sit, etiam ab imperitis agnoscitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem & fidem. Sed, quoniam adhibenda nonnunquam est, primum videndum est, quo loco, deinde quam diu retinenda sit, tum quot modis commutanda.

Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatus, ut nos in Accusationis secundo de Sicilia laude diximus; aut in senatu de consulatu meo: aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quam doloris, ut in quarto Accusationis de Enneni Cerere, de Segestana Diana, de Syracularum stitu diximus. Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerose & volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus; conati quidem sæpissime sumus: quod plurimis locis perorationes nostræ voluisse nos, atque animo contendisse declarant. Id autem tum valet, cum is, qui audit, ab oratore jam obfessus est, ac tenetur. Non enim id agit, ut insidietur & observet: sed jam favet, processumque vult, dicendique vim admirans, non inquit quod reprehendat.

Hæc autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, quam ipse includit<sup>83</sup>, sed in orationis reliquis partibus. Nam cum sis his locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa, quæ nescio cur, cum Græci

\* Adhibenda ] Lamb. adhibendum. . . .

83 Quam ipse includit ] Hæc verba arbitrator non esse Ciceronis, sed aliena, atque ab aliquo ad oram libri adscripta, quibus significabat ille, quisquis fuisse, perorationem numeratam, & quodam modo inclusam esse in his orationis partibus, in quibus numerose solum orationem locum habere dicit M. Tullius. Quod si quis contendat esse Ciceronis, ita esset legendum: quam ipse includit:

quod tamen loquendi genus non esse: satis concinnum. Quod autem alii hæc verba, quam ipse includit, sic interpretantur, quam ipse orator terminat, ut si hæc huius loci sententia; de peroratione non esse opus percipere, quantum hæc numerosa oratio in ea sit retinenda; utpote quam ipse orator includit ac terminat, ut longior esse non possit: multo minus probat. Dissert enim potius, quam ipse fuit ac terminat, vel, claudat ac terminat, Lamb.

Græci κομματα & κἀδα<sup>84</sup> nominent, nos non recte incisa & membra dicamus. Neque enim possunt, rebus ignotis, nota nomina; sed cum verba aut suavitatis aut inopie causa transferre soleamus, in omnibus hoc sit artibus, ut, cum id appellandum sit, quod propter rerum ignoracionem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum, aut a simili mutuari.

LXIII. Quo autem pacto deceat incise, membratimve dici, jam videbimus: nunc, quot modis mirentur comprehensionses, conclusionesque, dicendum est. Fluit omnino numerus a primo tum incitatus, brevitate pedum<sup>85</sup>, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt; expositiones rerum, tarditatem. Insilit autem ambitus modis pluribus, et quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis, & brevibus. Explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis.

Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclare, quo etiam fatieras formidanda est magis. Me itante G. Carbo, C. filius, tribunus plebis, in concione dixit his verbis: O Marco Druse, patrem appello. Hæc quidem duo<sup>86</sup> binis pedibus

84 Κομματα & κἀδα ] κἀδα membrum & κἀδα huiusmodi, nominis longitudine distans fuit Hermogenes lib. xv. de Inventionibus. Periculosum sententiam comprehendere, in qua protasis est, & apodosis. Quæ autem sententia est uniusmodi, simplex, nec in se reflexa, si ultra versus heroici longitudinem progrediantur. Hermogeni membrum dicitur, ut illud Ciceronis Philippica II. cap. 12. Omnino nulla causa iusto cuiquam esse potest, contra patriam arma capientis. Quæ breviter, concisissime sententia, appellatur incisam; ut fere omnia ministras. Trabis sua quoque volupias. Membratim dixit Cicero lib. 11. in Verrem cap. 89. Placuit vobis hominum more? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, ut per hæc tempora tractari videtur? Cur hæc a me opera consulantur? quid solent? cur non in media oratione consurgitis, atque disceditis?

Fulcia autem istorum oculatas ac libillares aliquæ ac parte refocare? Desiderat dubitare, ut traxit sit utriusque, præter multos inopie ut parere, ac vitium inopie simpliciter multorum improbitatem coercere. Præterea.

85 Tum incitatus, brevitate pedum ] Id præcipue patet in versibus. Quid his Virgilii numeris incitatus?

Iude ubi clara dedit sonitum tuba, fuit hæc orator

Haud mirum possidere fuit, fere æthera dantur

His autem quid curulus?

Belli feracem cupit Saururus poster. Idem.

86 Hæc quidem duo ] Nempe verba O Marco Druse, & patrem appello, exprimitur incisam duobus pedibus. O Marco antihæcchum est, Druse choreus: patrem appello duplex spondus, vel jambus & choreus. Idem.

dibus incisim: dein membratim, *Tu dicere solebas, sacrum esse rempublicam*. Hæc item membra ternis<sup>87</sup>. Post ambitus, *Quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolvent*. Dichoreus<sup>88</sup>. Nihil enim ad rem, extrema illa, longa sit, an brevis. Deinde, *Parris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*. Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta; fac sic, *Comprobavit filii temeritas*: jam nihil erit, etsi temeritas ex tribus brevis, & longa est: quem Aristoteles ut optimum probat, a quo dissentio. At eadem verba, eadem sententia. Animo istuc satis est, auribus non satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur: deinde satiatur: postea, cognita facilitate, contemnitur.

LXIV. Sed sunt clausulæ plures, quæ numerose & jucunde cadant. Nam & creticus, qui est e longa, & brevi, & longa; & ejus æqualis pæon, qui spatio par est, syllaba longior; quam commodissime putatur in solutam orationem illigari, cum sit duplex. Nam aut e longa & tribus brevis, qui numerus in primo viget, jacet in extremo: aut e totidem brevis & longa, in quem optime cadere censent veteres: ego non plane rejicio: sed alios antepono.

Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur, & tardior, habet tamen stabilem quandam, & non expertem dignitatis gradum: in incisionibus vero multo magis, & in membris<sup>89</sup>. Paucitatem enim<sup>a</sup> pedum gravitatis suæ tarditate compensat. Sed hos

<sup>87</sup> Hæc item membra ternis ] Horum membrorum (*Tu dicere solebas*) & (*sacrum esse rempublicam*) primum quidem continet spondeum, tribrachy, & spondeum; alterum autem, si nulla fiat elisio, constat ex anapesto, jumbo, & dactylo. Id.

<sup>88</sup> Dichoreus ] Qui hoc vocabulo persolventur habetur. Neque enim refert ultima syllaba longa sit an brevis. Ex Terentiano Mauro, ut verius, sic

Comprobavit hoc ipsum juris habere volent. Idem.

<sup>89</sup> In incisionibus vero multo magis, & in

membris ] Sensus indicat legendum: *Multo magis, quæ in membris*. Incaus enim Cicero distinguit nominatim a membris, quod manifeste exponit paulo posteriori. Ex quod sequitur, nostram sententiam confirmat: *Paucitatem enim pedum gravitate sive tarditate compensat*. Scilicet, cum in incisionibus pauciores sunt pedes, quam in membris, spondeus in illis compensat paucitatem sua tarditate. Etenim si spondeus aptus sit incisionibus, & membris, nullum video tertium, cui minus aptus esse possit. Anonymus.

<sup>a</sup> Pelton ] Lamb. *syllabatarum*

hos cum in clausulis pedes nomino; non loquor de uno pede extremo. Adjungo (quod minimum sit) proximum superiorem, sæpe etiam tertium.

Ne jambus quidem, qui est e brevi & longa; aut par<sup>b</sup> choreo, qui habet tres breves, sed spatio par, non syllabis; aut etiam dactylus<sup>90</sup>, qui est e longa & duabus brevis, si est proximus a postremo, parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus, aut spondeus. Nunquam enim interest<sup>91</sup>, uter sit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi cum pro cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus: quia postrema syllaba brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert.

Quare etiam pæona qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum: quoniam nihil ad rem est, postrema, quam longa sit. Jam pæon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam<sup>92</sup>, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodestem, Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti, vel medietati: putant illi etiam cadenti:

<sup>b</sup> Choreo ] Lamb. *trachens*, Man. *choreus*, <sup>90</sup> Dactylus ] Tradit hic Tullius dactylo & spondeo periodum volubiliter finire. Qui oratione post reditum in Senam cap. 21. *Qui mihi primus assilio & janseni consilium fido dexterramque porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitu ad salutem revocavit*. Aurium enim iudicio huicemodi clausulæ licet in his sit dactylus & spondeus, vix ullam videntur habere cum versu similitudinem. Proseus.

<sup>91</sup> Nunquam enim interest ] Dissertit a Cicero Fabius lib. ix. cap. 4. *Neque ego ignore, inquit, in fine pro longa accipi brevem, quod dicitur aliquibus vocantur in versu: et eo quod insequitur, accedere. Auris tamen consilium vixit, intelligi multum referre, utrum ne longa sit que claudit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere, incipientem timere, quam illud ausus est confiteri. Idem.*

<sup>92</sup> A quibusdam ] Quibus accedit Quantilianus lib. ix. cap. 4. ubi ait pedes non excedere tres syllabas, adeoque pæonem & dochimum numeros esse, non pedes. Idem.

riodum vox ex duabus brevis totidemque longis composita, presertim si ex pluribus syllabis compositum vocabulum præcedat: ut oratione post reditum in Senam cap. 21. *Qui mihi primus assilio & janseni consilium fido dexterramque porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitu ad salutem revocavit*. Aurium enim iudicio huicemodi clausulæ licet in his sit dactylus & spondeus, vix ullam videntur habere cum versu similitudinem. Proseus.

<sup>91</sup> Nunquam enim interest ] Dissertit a Cicero Fabius lib. ix. cap. 4. *Neque ego ignore, inquit, in fine pro longa accipi brevem, quod dicitur aliquibus vocantur in versu: et eo quod insequitur, accedere. Auris tamen consilium vixit, intelligi multum referre, utrum ne longa sit que claudit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere, incipientem timere, quam illud ausus est confiteri. Idem.*

<sup>92</sup> A quibusdam ] Quibus accedit Quantilianus lib. ix. cap. 4. ubi ait pedes non excedere tres syllabas, adeoque pæonem & dochimum numeros esse, non pedes. Idem.

denti: quo loco mihi videtur aptior creticus. Dochmius autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc *Amicos tenes*; quovis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus, aut continuatus, numerum apertum, & nimis insignem facit.

LXV. His igitur tot commutationibus, tamque variis si utemur: nec deprehendetur manifeste, quid a nobis de industria fiat, & occurreret fatietati. Et quia non numero solum numerosa oratio, sed & compositione fit, & genere (quod ante dictum est) concinnitatis: compositione potest intelligi, cum ita stricta verba sunt, ut numerus non quaesitus, sed imple secutus esse videatur; ut apud Crassum: *Nam ubi libido dominatur, innocentie leve presidium est*. Ordo enim verborum efficit numerum sine ulla aperta oratoris industria. Itaque si quae veteres illi (Herodotum dico & Thucydidem; totamque eam aetatem) apte, numeroseque dixerunt: ea non numero quaesito, sed verborum collocatione ceciderunt.

Forma vero quaedam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessarius. Nam cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut, quae similiter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur, plerumque fit ut numerose cadat. Quo de genere cum exemplis supra diximus, ut haec quoque copia facultatem asserat non semper eodem modo desinendi. Nec tamen haec ita sunt arcta & adstricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus. Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet oratio.

Alte-

93. Dochmius J. Vulgo Dochmius. Primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam, ut *amicos tenes*. Grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves, ut *lyciturini*. Turneb. Nescio quo bonorum literarum fato factum fuisse dicam, ut post tot Fabianae Institutionis editiones a tot tamque doctis viris adornatas haec barbara vox Dochmius huc usque locum tenuerit. Dochmius: quam veram esse lectionem, satis demonstratur ex Hephæstionis opusculo, & ex veteribus Grammaticis edit. Busch, in quibus constantur lectiones *lyciturini, dochmius, & dochmius*. Vide

Diomedem pag. 419. Crassum Bassum pag. 267. & Rullinum pag. 274. Attamen prave lectionis illius Dochmius macula omnes, quas quidem viderim, Ciceronis ipsius editiones infecta. Quid? quod ipse Vestrius, & ipse Jovita Rapicius, qui de oratoris numero magis fere omnium optime scripsit, depravatam illam lectionem passim secuti sunt. Futurum jam spero, ut, qui oratoriarum actionum scriptores in lucem deinceps edituri sunt, pro *93. Dochmius*, quod ferri nequit, *93. Dochmius* typis curent excudendum. Ceterum *lyciturini*, ad Quir. ix. 4. n. 346, pag. 605.

Alterum si fit, intolerabile vitium est: alterum nisi fit, dissipata, & inculca, & stucens est oratio.

LXVI. Sed quoniam non modo non frequenter, verum etiam raro in veris causis, aut forensibus circumscripte, numeroseque dicendum est: sequi videtur, ut videamus, quae sint illa, quae supra dixi incisa, quae membra. Haec enim in veris causis maximam partem orationis obtinent. Constat enim ille ambitus & plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut & aures impleat, & ne brevior sit, quam satis sit, neque longior. Quanquam utrumque nonnunquam vel potius saepe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne brevitatis defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. Sed habeo mediocritatis rationem. Nec enim loquor de versu, & est liberior aliquanto oratio.

E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod fit, constat fere plena comprehensio. His igitur singulis versibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim volumus dicere, insistimus: idque cum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos, & saepe coniungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, & valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi: *Missos faciant patronos: ipsi prodeant*. Nisi intervallo dixisset, — *ipsi prodeant*, — tenuisset profecto effugisse senarium. Omnino melius caderet, *prodeant ipsi*. Sed de genere nunc disputo. Cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos? Prima sunt illa duo, quae *κόμματα* Graeci vocant, nos incisa dicimus: deinde tertium, *κάλος* illi, nos membrum. Sequitur non longa (ex duobus enim versibus, id est, membris, est perfecta) comprehensio: & in spondeos cadit: & Crassus quidem sic plerumque dicebat: idque ipse genus dicendi maxime probat.

LXVII. Sed quae incisim, aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent: ut est apud me: *Domus tibi doerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas*. Haec incise dicta sunt quatuor. At membratim, quae sequuntur, duo: *Incurristi a-*

mens

mens in columnas: in alienos insanus insanisti<sup>94</sup>. Deinde omnia, tanquam crepidine<sup>95</sup> quadam, comprehensione longiore sustinentur, *Depressam, caecam, iacentem domum pluris; quam te, & quam fortunas tuas aestimasti*. Dichoreo finitur. At dispondeo proximum illud. Nam in iis, quibus, ut pugniunculis, uti oportet, brevitatis facit ipsa liberiores pedes. Saepè enim singulis utendum est, plerumque binis, (& utrisque addi pedis pars potest) non fere ternis amplius.

Incisum autem, & membratim tractata<sup>96</sup> oratio in veris causis plurimum valet, maximeque his locis, cum aut arguas, aut refellas: ut nostra in Corneliana secunda, *O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia motuenda*. Membratim adhuc: deinde casum diximus. Rursus membratim, *Testes dare volumus*. Extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior: *Quem, queso, nostrum fecerit, ita vos esse facturos?*

Nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius<sup>b</sup>, quam binis, aut ternis ferre verbis<sup>97</sup>, nonnumquam singulis, paulo alias pluribus<sup>c</sup>: inter quas variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio. Quam perverte fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam vult, alterum pane Demosthenem, saltat, incidens particulas. Et is quidem non minus sententiis peccat, quam verbis: ut non quærat, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Sed ego illa Crassi, & nostra posui, ut qui vellet, auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis particulis orationis esset, judicaret.

LXVIII. Et, quoniam plura de numerosa oratione diximus, quam

<sup>94</sup> In alienos insanus insanisti ] Victorius lib. xviii. cap. 9. Variarum Lectionum, non videre se ait quem locum hic habeat harum vocum secunda. Præſertim.

a Omnis ] Lamb. omnis. . . . comprehensio longior sustinetur. . . . dichoreoque finitur.

<sup>95</sup> Tanquam crepidine ] Ad Græcorum imitationem Victorius ibidem offendit exprefſam hanc metaphoram. Idem.

<sup>96</sup> Membratim tractata ] Legit Manutius tracta, quod verbum ad sententiam & ad usum Latine lingue aptius exillimat. Idem. b Quam ] Omittunt Viſ. Man. Grut.

<sup>97</sup> Binis, aut ternis ferre verbis ] Exemplum in eo genere sit illud ex I. Catilinaria cap. i. O tempora! o mores! Senatus hoc intelligit, Consul videt: hic totum civit. Vicit? imo enim in senatum venit: sit publici consilii particeps: notat & designat omnia ad eadem unanimesque vestigia. Non enim citi forte satisque resp. videmus, si sint furoribus ac tela sitientis. Videt Catilinam incilis primum acriter urget: tum membra succedere, quæ omnia denique periodo tanquam crepidine sustinentur. Idem. c Inter quas ] Lamb. inter que.

quam quisquam ante nos, nunc de ejus generis utilitate dicemus. Nihil enim est aliud, Brute, (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulchre, & oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbitque lectissimis dicere. Et nec sententia ulla est, quæ fructum oratori ferat, nisi apte exposita, atque absolute: nec verborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum: & horum utrumque numerus illustrat. Numerus autem (saepè enim hoc testandum est) non modo non poetice junctus, verum etiam fugiens illum, eique omnium dissimilimus, (non quin iidem sint numeri non modo oratorum & poetarum, verum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quæ metiri auribus possumus) sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiat, aut orationis, aut poematis simile videatur.

Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, & adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum, (quod ait Aristoteles & Theophrastus) ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quæ non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii<sup>98</sup>, sed numero coacta debet insistere: verum etiam quod multo majorem habent apta vim, quam soluta. Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam; ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adspæctum etiam sit venustum: sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis recte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intellegit.

Itaque, qualis eorum motus, quos ἀπαλίσσῃς Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias: tantumque abest, ne, quod ii<sup>99</sup>, qui hoc

Tom. I.

C c c c

aut

<sup>98</sup> Interductu librarii ] Id est virgula aut puncto quod figit is qui libros manu scribit. Non enim quia punctum est, quiescit ambitus; sed quia definit comprehensio, signum interducitur. Serebatur.

<sup>99</sup> Tantumque abest, ne, quod ii, &c. ]

Legendum omnino: Tantumque abest, ut quod. . . Nam hoc loco ne stare non potest. Est hujus loci sententia: Tantum abest, ut compositio verborum enerve orationem (quod ii solent dicere qui hoc. . . non sunt affectu,) ut sine compositione nec impetus ul-

aut magistrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non sunt affecti, solent dicere, enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis esse possit.

LXIX. Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba trajiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio. Quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punico, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celat: sapientem, qui servandum necessitati putet. Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo atque in dicendo, necessitatis excusatio non probatur. Nihil enim necesse: & si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit, & utitur ea traiectione verborum, & nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias.

Apud alios autem, & Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias inania quaedam verba, quasi complementa numerorum. Sunt etiam qui illo vitio, quod ab Hegesia maxime fluxit, infringendis, concidendisque numeris in quoddam genus abjectum incidant, Sicularum simillimum. Tertium est, in quo fuerunt fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles & Meneclis, minime mea sententia contemendi. Et si enim a forma veritatis & ab Atticorum regula absunt, tamen hoc vitium compensant vel facultate, vel copia: sed apud eos varietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo.

Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut id de industria factum intelligatur; neque inferens verba, quasi rimas expleat; nec minutos numeros sequens, concidat, delumbeque sententias; nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum: is omnia fere vitia vitaverit. Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicue vitia contraria.

## LXX.

lus, nec vis in oratione esse possit. Sic enim Cicero saepe ut geminatum ponit cum ea formula tantum abest. Exempla suppeti-

tat Godefridus Steyvechius, in libro de Periculis Linguae Latinae, v. Tantum abest ut; Anonymus.

LXX. Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum. Corruptatur enim tota res, ut & haec nostra in Cornelianam, & deinceps omnia: Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos, & Latinos multi venalium, mercatoresque superarunt. Immuta paulum, ut sit, multi superarunt mercatores, venaliumque; perierit tota res. Et quae sequuntur: Neque vestis, aut calatum aurum & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt. Verba permuta sic, ut sit, Vicerunt eunuchi e Syria, Aegyptoque. Adde tertium: Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paulum, & L. Mummius, qui rebus his urbem, Italianque omnem refererunt, ab aliquo video persfacile Deliaci, aut Syro potuisse superari. Fac ita, potuisse superari ab aliquo Syro, aut Deliaci. Vide sine, ut ordine verborum paulum commutato, iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, cum sint ex aptis dissoluta? aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paulum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffuens, ac solum. Age, sume de Gracchi apud censores illud: Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet. Quanto aptius, si ita dixisset, quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare? Hoc modo dicere nemo unquam noluisset: nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non poterunt: ita facti sunt repente Attici. Quasi vero Trallianus fuerit Demosthenes: ejus non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.

LXXI. Sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea sane,

<sup>1</sup> Trallianus J Trallis Ptolomaeo Phrygiae urbs, ubi corrupta & inquinata dictio, ab Atticorum elegantia longe remotissima. Proferens.

<sup>2</sup> Sed si quis J Hujus loci sententia est: Si quis pressum, concisum, & a numeris alienum dicendi genus usurpare voluerit: usurper sane: ea tamen conditione, ut singulis incisio & membris suis laudabilis sententia. Si eius dictio similis clypeo Mineruae, quem sculptor Phidias: qui si dissolvatur, tollitur quidem universa species clypei, ut si singulis partibus, quae in sua quam Phidias ipse fabricatus est effigie, sperebit nullas.





## TOPICA.

AD C. TREBATIUM.

## ARGUMENTUM.

Trebatii voluntati satisfacturus hoc quasi compendium Topicorum Aristoteleorum fecit. Primo locis argumentorum, cum artificiosorum, tum *ἀρτυρίων* breviter enumeratis, definit quodque genus & exemplis illustrat, cap. 2. 4. Deinde fusus de singulis disserit: cap. 5. 20. Postremo, de quaestionibus, ac variis causarum generibus, quorum aliis aliis loci sunt aptiores, paucis disserit. ERNESTUS.

I. **M**AJORES nos res scribere ingressos, C. Trebati, & iis libris, quos brevi tempore fati multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Cum enim mecum in Tusculano esses, & in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi cum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen ut facile cerne-rem te ardere studio, mecum, ut tibi illa traderem, egisti. Cum autem ego te non tam vitandi laboris mei causa, quam quod id tua interesse arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut a te audiebam, es expertus. Sed a libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem il-

a Rationem ] Lamb. ratione & via

le magnus, hæc, ut opinor, Aristotelica se ignorare respon- dit. Quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, præter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quæ ab illo dictæ & inventæ sunt, alluci debuerunt: sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate. Non potui igitur tibi, sapius hoc roganti, & tamen verenti, ne mihi gravis esses, (facile enim id cernebam) debere diutius, ne ipsi juris interpreti fieri videretur injuria. Etenim cum tu mihi meisque multa sæpe scripsisses, veritus sum, ne, si ego gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed, dum fuimus una, tu optimus es testis, quam fuerim occupatus. Ut autem a te discessi, in Græciam proficiscens, cum opera mea nec publica, nec amici uterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret: ut veni Veliam, tuaque, & tuos vidi, admonitus hujus æris alieni, nolui deesse ne tacita quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cum mecum libros non haberem, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsi, tibi que ex itinere mihi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non egesset, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed jam tempus est ad id quod instituimus, accedere.

II. Cum omnis ratio diligens differendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram judicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim vias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam *Dialecticam* appellant. Inveniendi vero artem, quæ *Topice* dicitur, quæque ad usum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, & utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quæ prior est, ordiemur.

Ut igitur earum rerum, quæ abscondita sunt, demonstrato, & notato loco, facilis inventio est: sic, cum pervestigat-

[ Tuasque, & tuos vidi ] Trebatii patris ceronis ad Trebatium, Fam. VII. 19. & ne possessores Veliz erant. Vide epist. Cl. 20. Goussier.

re argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Sic enim appellata ab Aristotele sunt hæ quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, *Locum* esse argumenti sedem: *Argumentum* autem, rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.

Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, hærent: alii assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex his rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo queritur. Extrinsecus autem ea<sup>a</sup> dicuntur, quæ absunt, longeque disjuncta sunt.

Sed ad id totum, de quo discribitur, tum definitio adhibetur, quæ quasi involutum evolvit id, de quo queritur. Ejus argumenti talis est formula: Jus civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: ejus autem æquitatis utilis est cognitio: utilis est ergo juris civilis scientia.

Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: Si neque censu<sup>a</sup>, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. Neque est ulla earum rerum: non est igitur liber.

Tum notatio, cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitor, hoc modo: Cum lex assiduo<sup>b</sup> vindicem assiduam<sup>c</sup> esse

<sup>a</sup> *Deiuror* ] Lamb. *decurator*  
<sup>a</sup> *Si neque censu* ] Ciceronis temporibus libertate donabantur servi triplici modo, censu, vindicta, testamento. *Censu* quidem, cum quis jubente aut consentiente domino nomen deserebat in censum: soli enim civis Romani olim censabantur. *Vindicta*, cum licitor vindictam, quæ virgula est, manumittendi servi capiti imponens, eundem servum hæc solennis verborum formula *Liber esto*, in libertatem vindicabat: quo tempore dominus servum alapa percussio circumagebat in gyrum, ut sic intelligeret sibi licitum in quamlibet partem abire. Denique *testamento* manumittebantur, cum quis servum suum testamento liberum esse iussisset. *Præfatus*.

<sup>c</sup> *Cum lex assiduo* ] Hæc verba *Ælio Sententia*, quæ *Victorius*, *Maenius*, & *Gruterus*

hic adferunt, inducenda censæ ac tollenda *Lambinus*, quem *Præfatus* secutus est. Præterea *Goveanus*, qui certe non ignorabat *Ælium Sententiam* nonnulli motis post Ciceronis obitum annis sancitam fuisse, anno scilicet DCCLV. An vero emendationem hæc ipsam divinasse visus est sibi nuper quidam *Vacencius*, qui suas *Epistolicas Diatribas* edidit *Veneris*? An sine *Goveano*, *Lambino*, & *Præfato*, etiam ipsos, vidit quod jam ante viderant? *Olevari*.

<sup>a</sup> *Assiduum* ] Lex est XII. Tabi quemadmodum testatur *Gellius* lib. XVI. cap. 10. in verbis scriptis: *Assiduo assiduo vindicæ esse*: *Polæonius* circa quosdam volens *vindicæ esse*: Cujus vis & sententia hæc est: Locupletari fideiussor locuples sit, inopi quisvis. In quo summa æquitas est. Quem enim homo tenens locupletem pro se fideiussorem inveniat? *Gov.*

esse jubeat, locupletem jubet locupletari. Locuples enim est assiduus, ut ait *Ælius*, appellatus ab ære dando.

III. Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo queritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia conjugata appellamus, alia ex genere, alia ex<sup>b</sup> forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum.

Conjugata<sup>c</sup> dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Hæc verborum conjugatio *συζωγία* dicitur, ex qua hujusmodi est argumentum: Si compactus ager est, jus est compacere.

A genere sic ducitur: Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata. Forma enim a genere, quoad suum nomen retinet<sup>d</sup>, nunquam sejungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet. Legata igitur videtur.

A forma generis: quam interdum, quo planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo: Si ita *Fabia*<sup>e</sup> pecunia legata

Tom. I.

D d d d

<sup>a</sup> *Ære* ] Lamb. *estè sande*

<sup>b</sup> *Forma* ] *Vest. Man. Gent. formis*.

<sup>c</sup> *Conjugata* ] Locum hunc ut inutilem improbat *Fabius* lib. v. cap. 10. immerito, cum sipe vim ad persuadendum habeat. Ut cum ait *Tullius* pro *Marcello*, cap. 32. *Ingenitum est insipientium civis, qui armorum periculo liberatur, animum tamen retinet armatum*. *Præfatus*.

<sup>d</sup> *Quoad suum nomen retinet* ] Forma quoad generis nomen retinet, nunquam a genere separatur: nunquam separatur, cum amittit. Legavit vir uxori signa omnia arbores stantes non legavit. *Suum* pro *eius*, non semel a *Cicerone* dicitur: nisi malis *suum nomen*, naturale esse nomen: ut numi argentei nomen naturale sit *argentum*: quod quidem amittit, cum percussus est: tum enim *numus* dicitur. *Gov.*

<sup>e</sup> *Si ita Fabia* ] Ut *Ciceronis* mens intel-

ligatur, observandum ex *Boetio*, tribus modis apud veteres Romanos duci solitum usorem, farre, usu, & coemptione. *Confarreatio* ad pontifices tantum pertinebat: erant farreæ nuptiæ dicuntur, ut ait *Dionysius* in *Romulo*, quod eodem farre conjugæ vescerentur, quo etiam victimas respergerent. *Usu* fiebat matrimonium, cum uxoris & mariti convictus per annum constans & stabilis fuerat, tumque dicebatur uxor usufructuaria. Denique coemptio certis solemnitatibus peragebatur, & se se in coemptio involentem interrogabant. *Vir ita*, an sibi mulier materfamilias esse veller. Illa respondebat, velle. *I*tem mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse veller: ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, & vocabatur hæc nuptiæ pro coemptione: quod, teste *Varrone*, mulieres affem unum tantquam emendi causa marito darent. Jam vero

legata est a viro, si ei viro materfamilias esset: si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus enim est uxor: ejus duæ formæ; una matrumfamilias, earum, quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ tantummodo uxores habentur. Qua in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non videtur.

A similitudine, hoc modo: Si ædes ea corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum usufructus legatus est, heres restituere non debet, nec reficere, non magis, quam servum restituere, si is, cujus usufructus legatus est, deperisset.

A differentia: Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset; idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arcae positum sit argentum, an in tabulis debeatur.

Ex contrario autem, sic: Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usufructum legavit, cellis vinariis & oleariis<sup>8</sup> plenis relictis, putare id ad se pertinere. Usus enim, non abusus, legatus est. Ea sunt inter se contraria.

IV. Ab adjunctis: Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam dimittit<sup>9</sup>, non videtur ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessio dari. Adjungitur enim, ut se-

vero ut ad exemplum a forma petrum rediunt, uxor genus est: ejus duæ formæ: altera matrumfamilias, altera uxorum tantum. Si cui uxori, qua mater esset familias, legata sit pecunia: a forma recte concluditur nihil ei jure deberi, quæ uxor tantummodo habetur. *Præfens.*

<sup>8</sup> Cellis vinariis & oleariis ] Earum rerum quæ usu consumuntur, usus fructus neque nature jure, neque vero civili constitui potest: cum usus fructus, uti Paulus ad Velleium scribit, aliud nihil sit, quam jura et licentia re utendi fructus, facta rei substantia: ut re sublara & consumpta, tolli usum fructum necesse sit. Cum igitur oleum, vinum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, quæ & ipsa usu & affluente permutatione quodam modo extinguuntur, utendo consumuntur, neque in hoc rem genere constitui usus fructus possit: non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usufructum legavit, vino & oleo relictis,

putare jus sibi esse utendi fructus. Usus enim ei, non abusus relictus est. *Genentis.*

<sup>9</sup> Se capite nunquam dimittit ] Capitis diminutio est prioris status permutatio. Triplex autem recensetur. Tria enim, inquit Paulus, habemus, libertatem, civitatem, familiam. Cum hæc omnia amittimus, maxima est capitis diminutio. Cum civitate amissa, libertas retinetur, ut cum quis in colonias Latinas transmigrabat, erat media capitis diminutio. Minima autem, cum familia tantum mutabatur, cum quis adoptabatur, vel alieno juri subiciebatur, vel emancipabatur. Mulieres autem antiquo jure tutela perpetua continebantur, nec recedebant a tutoris potestate, nisi in manum viri convenissent; atque ut tunc erat status prioris mutatio, ita dicebatur capite diminuta. Adde quod cum ejus familia uno capite, id est, una persona diminuta esset, uxor in eam familiam transiens, diminuta capite non immerito vocaretur. *Præfens.*

cundum servorum, secundum exulum, secundum puerorum tabulas possessio videatur ex edicto dari.

Ab antecedentibus autem, & consequentibus, & repugnantibus, hoc modo: Ab antecedentibus, Si viri culpa factum<sup>10</sup> est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.

A consequentibus<sup>11</sup>: Si mulier, cum fuisset nupta cum eo quicum connubii jus non esset, nuntium remisit; quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.

A repugnantibus: Si paterfamilias uxori ancillarum usufructum<sup>12</sup> legavit a filio, neque a secundo herede legavit, mortuo filio mulier usufructum non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo invito, cui datum est, auferri non potest. Repugnat enim recte accipere, & invitum reddere.

Ab efficientibus causis, hoc modo: Omnibus<sup>13</sup> est jus parietem directum ad parietem communem adiangere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis in pariete communi demolendo damni infecti promiserit, non debet præstare quod fornix vitii fecerit. Non enim ejus vitio, qui demolitus est,

D d d d 2 damnum

<sup>10</sup> Si viri culpa ] Quæstio est, an mulier factio divortio debeat partem dotis viro relinquere, unde communes liberi alantur. Solvitur ab antecedentibus. Si viri culpa factum est divortium, verbi gratia, si conjugem asperius tractaret, licet uxor fecisset a marito, eam nihil oportet relinquere liberis, nisi in patris potestate sunt. *Idem.*

<sup>11</sup> A consequentibus ] A consequentibus dicitur argumentum, cum propositis duobus, a posteriori arguatur, hæc modo. Mulier seruo cui imprudens nupsisset, nuntium remisit: qui ex ea conjunctio nati sunt, patrem non sequuntur. Quare pro liberis ex dote apud patrem manere nihil oportet. Id quod ex eo collegi, quia patrem liberi non sequerentur: quod et duobus quæ propositi, posterius est. *Gen.*

<sup>12</sup> Ancillarum usufructum ] Usufructus ancillarum, omnis ea utilitas est, quæ ex ancillis percipi potest, præter curam parvis, qui in fructu non sunt, sed ad proprietatis

dominium pertinent: neque enim placuit homines in fructu esse, quorum gratia rerum earum fructus nativo comparavit. *Idem.*

<sup>13</sup> Omnibus ] Exemplum hoc aliquanto obscurius, statu questionis propositæ, sic explicari potest. Jus est omnibus, ad parietem communem adiangere vel solidum vel caneratum parietem. Sempronius ad parietem sibi cum Titio communem, pro suo jure fornicem adjunxit. Titius cum subinde vellet aliquid extruere, de pariete communi nihil demolitus est; pollicens damnum, si quid ex ea demolitione contingeret, se reparaturum. Evulsus est cum reliquo pariete fornix: postulatur damni Titius, quod parietem communem subverterit. Hic ab efficiente causa sic se purgat: Nisi fornicem adjunxisset Sempronius, accessit murus non corruisset; non igitur damnum præstare debeo, quod meo vitio factum non est. *Præfens.*

damnum factum est, sed ejus operis vitio, quod ita ædificatum est, ut suspendi non possit.

Ab effectis rebus, hoc modo: Cum mulier viro in manum convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri sunt dotis nomine.

Ex comparatione autem omnia valent, quæ sunt ejusmodi: Quod in re majore<sup>14</sup> valet, valeat in minore: ut si in urbe fines non reguntur, neque aqua in urbe arceatur. Item contra: Quod in minore valet, valeat in majore. Licet idem exemplum<sup>15</sup> convertere. Item: Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est: ut, quoniam usus<sup>16</sup> auctoritas fundi, biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus. Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat.

Quæ autem extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate dicuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀπὸ τῶν ἄλλων vocant, id est, artis expertes: ut, si ita respondeas<sup>17</sup>, Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus<sup>18</sup> ædium dixerit, quod

14. Quod in re majore ] Hotomani lib. 11. Observ. cap. 2. placet eorum sententia, qui duplicem hinc negationem desesse putant, ut locus sic legatur: Quod in re majore non valet, non valet in minore: quoniam, ut ex tertio Aristotelis Topicorum libro patet, argumentum ex majore ductum, tantum valet ad refellendum, & majus id dicitur, quod probabilis est. Itaque allatum a Cicerone exemplum, nisi refutationi idoneum est, quasi videlicet probabilis fuisse fines in ea urbe reperi, quam aquam in eadem arceri. Hoc idem exemplum Cicero inferius ad similitum locum resultat. Item.

15. Licet idem exemplum ] Exemplum superius convertatur, sicut comparatio a minore ad majus, hoc modo. In ea civitate aqua arceatur, ergo multo magis fines reguntur. Minus enim quiddam est aquam arceri, quam fines regere. Item.

16. Quoniam usus ] Hæc est lex XII. Tabularum. Usus auctoritas fundi, biennium est: cæterarum omnium, annuus usus, annuus est. Hotomanius pro biennium dicitur respondendum esse biennium, & annuus pro annuus. Sed fra-

stra, cum in oratione pro Cæcilio cap. 17. etiam idem fere legatur. Lex usus & auctoritas fundi sibi videtur esse biennium: ut utrius eadem jura in ædibus, quæ in lege non appellantur. Hinc auctoritas est jus domini. Quod autem a pari ducatur argumentum, ex ipsa Tullii verbis & interpretatione nostra manifestum est. In eo conveniunt ædes & fundi, quod sint res non moventes. Item.

17. Si ita respondeas ] Id est, si respondeas id quoniam tibi videtur, quod de ambitu ædium dicit Scævola, neque id esse tantummodo ambitus ædium, quod utique vitiosus communem parietem possidet: unde dixerunt ædium esse, & in conspectu illorum ædes aqua plebeia desunt, mirum ut dimidia parietis pars ad unum, altera ad alterum pertinet: & linea communem parietem æquabiliter secans, ambitum ædium utriusque delineat. Item.

18. Id solum esse ambitus ] Obscurum & implicatum locum interpretari sumus ex nomine Hotomani, qui lectionem sic putat restituendam; ut quod pro quod reponatur, & vox solum tollatur. Cuius erat lex XII. Tabularum, ut inter vicinorum ædes ad circum-

quod parietis communis tegendi causa tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus, ædes qui protexisset<sup>19</sup>, aqua deflueret, id tibi jus videri.

His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum, tanquam elementis quibusdam, significatio, & demonstratio datur. Utrum igitur hæctenus satis est? Tibi quidem tam acuto, & tam occupato, puto.

V. Sed quoniam avidam hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patriar non satiatum discere. Quando ergo unusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quædam membra habet, ea quam subtilissime persequamur; & primum de ipsa definitione dicatur.

Definitio est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima. Unum earum rerum, quæ sunt: alterum earum, quæ intelliguntur. Esse ea dico, quæ cerni, tangi possunt, ut fundum, ædes, parietem, fillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cætera: quo ex genere quædam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quæ tangi, demonstrative non possunt; cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus: est tamen quædam conformatio<sup>20</sup> insignita, & impressa in intel-

cunctandi facultatem spatium esse pedis festerit, sive, ut exponit Volusius Marcius, duorum pedum & semis. Eius structura domus, insula dicebantur, quarum ambitum definitur cuius facillimum erat. At juris controversi fuit earum ædium ambitus, quæ communem parietemangebantur. In interpretatione exponimus Scævola mentem, quæ Hotomano videtur perquam obscura. Illa enim ratione videretur Scævola significare, non licere in communem parietem tigna immittere ultra lineam, quæ medium parietem intersecat; cum tamen aliud in jure definitur. Fortasse ad eam controversiam Scævola responsum pertinet, quo utique vicinus communem parietem uti vult in ædificando, & suis trabibus pari eodemque loco immit-

tendis. Quo casu locus esset Q. Mocii festerit, ut recte conjicit Hotomani, Observ. lib. 11. cap. 3. Item.

19. Protexisset ] Protexere est tectum projicere, sicut Baldus: notitia & projecta partes sunt domus prominentes, quæ sunt, mansura, & postea pensata, unde aspectus est nobis in vicis & plateis. Item.

20. Conformatio ] Pro eodem dicitur M. Tullius conformationem, ut dicitur, & intelligitiam: quam Græci δυνάμις appellant. Tutela igitur corpus nullum subest: est tamen natio quædam in animis nostris impressa, quæ sapè definienda est. Neque enim facile est intelligere id quod neque videtur, neque tangitur, nisi definitione explicetur. Neque tamen punandum est, ita dicere M. Tullium, rum.

intelligentia: quam notionem voco. Ea saepe in argumentando definitione explicanda sunt.

Atque etiam definitiones, alia sunt partitionum, alia divisionum. Partitionum, cum res ea, quae proposita est, quasi in membra discribitur: ut, si quis jus civile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratum, more, aequitate consistat. Divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur; hoc modo: Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est<sup>21</sup>, aut traditio alteri nexu<sup>22</sup>, aut in jure cessio<sup>23</sup>, inter quos ea jure civili fieri possunt<sup>24</sup>.

VI. Sunt & alia genera definitionum: sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent: tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres percipiunt; cum sumpleris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc, *Hereditas est pecunia*. Commune adhuc. Multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur: *quae morte alicujus ad quempiam pervenit*. Nondum est definitio. Multis enim modis sine hereditate

rerum earum quarum nullum fuisse quasi corpus, notionem esse, ut earum rerum quarum substantiam corpora, notionem esse negat. Cum enim haec quoque res definiantur, nihilque nisi notio possit definiti; negari non potest, quin hanc inter fandum & rursus, quod hoc inter se fandum & rursus, quod fandum & notio sit, & corpus quoque aliquid subit: tunc nullum quasi corpus subest, notioque dimittat est. *Goveranus.*

21 *Quae mancipi est* ] Res mancipi dicuntur, quae sunt in nostra potestate, quas ex nostro ad alterius dominium transferre possunt. Mancipi est indeclinabile in singulari & plurali. *Drusianus.*

22 *Nexu* ] Nexum, vel nexum (utroque enim genere dicitur) est id quod per libram & as agebatur, quemadmodum scribit M. Tullius III. de Oratore. Agebatur autem ita, nihilvis non minus quam quinque sestertius civibus Romanis prohibitis, & praeterea alio quodam conditione, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. Is

qui mancipium accipit, as tenens ita dicit, *Hoc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio*: idque mihi emptus est hoc aere, aeneaque libra. Deinde aere percussit libram: idque as dat ei a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. *Goveranus.*

23 *In jure cessio* ] Hoc fiebat modo. Apud magistratum populi Romani, vel apud praetorem (hoc enim est, in jure) vel praesidem provinciae, is cui in jure ceditur, rem tenens ita vindicat, *Hoc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio*. Deinde postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum qui cedit, ut contra vindicet. Quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit: idque legis alio vocabatur. *Idem.*

24 *Inter quae ex jure civili fieri possunt* ] Jure civili fieri aliquid non inter alios, nisi inter cives Romanos potest, quorum est etiam jus civile, quod duodecim Tabulis continetur. *Boetius.*

neri mortuorum pecunia possunt. Unum adde verbum, *jure*. Jam a communitate res disjuncta videbitur, ut sit explicata definitio, sic: *Hereditas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure*. Nondum est satis: adde, *nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta*. Confectum est. Itemque, ut illud, *Genriles sunt, qui inter se eodem nomine sunt*. Non est satis. *Qui ab ingenus oriundi sunt*. Ne id quidem satis est. *Quorum majorum nemo servitutem servavit*. Abest etiam nunc. *Qui capite non sunt diminuti*. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scævola, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque haec ratio valet in utroque genere definitionum, sive id, quod est, sive id, quod intelligitur, definiendum est.

Partitionum autem, & divisionum genus quale esset, ostendimus: sed quid inter se differant, planius dicendum est.

In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, cetera.

VII. In divisione forma sunt, quas Graeci *ideus* vocant<sup>25</sup>: nostri, si qui haec sorte tractant, *species* appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *Specierum*, & *Speciebus* dicere: & saepe his casibus utendum est: at *formis* & *formarum* velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.

Genus & formam definiunt hoc modo: Genus est notio ad plures differentias pertinet. Forma est notio, cujus differentia ad caput generis, & quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod Graeci tum *εἶδος*, tum *πρόληψις* dicunt.

Ea

25 *Graeci ideus vocant* ] Plato princeps *ideas* induxit, casque, uti scribit M. Tullius, mirabiliter est complexatus. Ideas autem vocabatur, quaedam veluti simulacra, exemplaria; typos, imagines rerum caererarum: quas intuens Deus Opt. Maximus, ad earum similitudines manum veluti in fingendis rebus digere, nihilque nisi perfectum faceret. Dicit itaque videtur *ideus* a verbo *ἰδω*, quod est *videre*, & inveni: quoniam eas Deus faciens quod, semper intuetur. Qua eadem

ratione *species* a Latinis sunt appellata a verbo *specere*, quod videre est: vimque Graece dictionis melius *species*, quam *forma*, exprimit: quoniam M. Tullius eodem nomine idem significari putet, malitque formam quam speciem dicere, propter duritiam quorundam casuum: ceteros enim & molles ejus aures, *specierum* & *speciebus* audire non possunt; *formarum* & *formis* non respuunt. *Goveranus.*

Ea est infra, & ante percepta cujusque formæ cognitio, & nodationis indigens. Formæ igitur sunt hæc, in quas genus sine ullius prætermissione dividitur: ut si quis jus in legem, morem, aequitatem dividat. Formas qui putat idem esse<sup>26</sup>, quod partes, confundit artem: & similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quæ sunt fecernenda, distinguit.

Sæpe etiam definiunt & oratores & poetæ per translationem verbi, ex similitudine, cum quadam suavitate. Sed ego a vestris exemplis, nisi necessario, non recedam. Solebat igitur Aquilius, collega & familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset *lirus*, ita definire, *qua fluctus eluderet*: hoc est, quasi qui adolescentiam, florem ætatis; senectutem, occasum vita, velit definire. Translatione utens discedebat a verbis propriis rerum, ac suis. Quod ad definitiones attinet, hæcenus. Reliqua videamus.

VIII. Partitio<sup>27</sup> autem sic utendum est, nullam ut partem relinquant: ut si partiri velis tutelas, inscienter facias, si ullam prætermittas. At si stipulationum, aut judiciorum formulas partiare, non est vitiosum in re infinita prætermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quæ cuique generi subiciantur. Partium distributio sæpe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio.

Itaque in oratoris<sup>28</sup> artibus, quæstionis genere proposito, quot

<sup>26</sup> Formas qui putat idem esse, quod partes ] Formæ ad genus, partes ad totum referuntur. Inter genus & totum hoc interest, quod genus de suis formis affirmatur, totum de partibus nunquam: genus ex suis formis non constat, totum ex suis partibus constituitur: genus formis prius natura est, totum partibus & tempore & natura posterius: generis natura universa in unaqueque forma includitur, natura totius universa in nullâ suarum partium inest. *Idem*.

<sup>27</sup> Partitio ] Est vix quicquam est discretivis partitionem inter ac divisionem, nonnulli tamen hic ex rhetoricorum inductionibus statuit Tullius. Partitionem vult esse totius in partes, divisionem generis in formas. Cum totum infinitas aliquando partes

habeat, in partitione minus insignes omittere non est vitiosum. At cum certus sit formarum numerus, quæ generi subiciantur, in divisione aliquis omittere vitiosum est. *Præfertur*.

<sup>28</sup> Itaque in oratoris ] Sententiam exemplo probat Cicerone, in arte oratoria quæstionis genus dividendum proponatur: velis esse vel nihil præterire. Dicendum erit triplicem esse quæstionis statum: primum conjuncturæ, alteram definitionis, tertium denique qualitatis. At si recensendis elocutionis latinibus ac figuris partitionem volueris adhibere, non est necesse singula tum verborum, tum sententiarum ornamenta personari: hoc enim infinitum foret: illustrata satis est enumerare. *Idem*.

quot ejus formæ sint, subjungitur absolute. At cum de ornamentis verborum, sententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non sit idem. Res enim est infinitior, ut ex hoc quoque intelligatur, quod velimus inter partitionem, & divisionem interesse. Quanquam enim vocabula prope idem valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt.

Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, cum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci ἐτυμολογία vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium. Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles στυμολογία appellat: quod Latine est nota. Sed cum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine.

Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo, ut, cum quæritur, *Postliminium* quid sit, non dico, quæ sint postliminii. Nam id caderet in divisionem, quæ talis est: Postliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet. Sed cum ipsius postliminii vis quæritur, & verbum ipsum notatur: in quo *Servius* noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi *post*: & *liminium* illud, productionem esse verbi vult, ut in *finissimo*, *legitimo*, *aditimo*, non plus inesse *rimum*, quam in *medirullio tullium*. Scævola autem, Publii filius, junctum putat esse verbum, ut sit in eo, & *post*, & *limen*: ut quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, & ex suo tanquam limine exterint, dein cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini<sup>29</sup> causa defendi potest, postliminio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque dedicationem, neque donationem sine acceptione intelligi posse.

IX. Sequitur is locus, qui constat ex iis rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo ambigitur: quem modo dixi in plures partes distributum. Cujus primus est locus

Tom. I.

E e e e

ex

<sup>29</sup> Mancini ] Vide lib. 1. de Orat. c. 40.

ex conjugatione, quam Græci *συνζυγία* vocant, finitimus notationi, de qua modo dictum est: ut, si aquam pluviam<sup>30</sup> eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus; veniret Mucius, qui, quia conjugata verba essent pluvia, & pliendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quæ pliendo crevisset.

Cum autem a genere ducatur argumentum, non erit necesse id usque a capite arcessere. Sæpe etiam citra licet, dummodo supra sit quod sumitur, quam id, ad quod sumitur: ut aqua pluvia<sup>31</sup> ultimo genere ea est, quæ de celo veniens crevit imbri: sed propiore loco, in quo quasi jus arceri continetur, genus est, aqua pluvia nocens: ejus generis forma, loci vitio, & manu nocens: quartum altera jubetur ab arbitro coerceri, altera non jubetur.

Commode etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere sumitur, cum ex toto<sup>32</sup> persequare partes, hoc modo: Si dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur; enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

X. Similitudo sequitur, quæ late patet; sed oratoribus & philosophis magis, quam vobis. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint: ubi autem his utare, quæstiones ipsæ te admonebunt.

Sunt enim similitudines, quæ ex pluribus collationibus perveniunt quo volunt, hoc modo: Si tutor fidem præstare de-

<sup>30</sup> *Aquam pluviam* ] Desinitur ab Ulpiano aqua pluvia, quæ de celo cadit, atque imbre excrescit, sive per se hæc aqua celestis nocet, sive cum alia mista sit. Hinc potest aliquis argumento a conjugatis doctore sic ratiocinari. Aquam pluviam licet atcere, ergo fluxum qui aqua pluvia crevit, idem.

<sup>31</sup> *Et aqua pluvia* ] Argumenta non esse ab ultimo genere repetenda probat exemplo Tullius. Aqua pluvia genus est ultimum, cui subijciuntur duæ species, aqua pluvia nocens, & aqua pluvia non nocens. Rursus a-

qua pluvia nocens sit genus, ejusque species sunt nocens loci vitio, & manu nocens, cum de industria alio derivatur ad alterius detrimentum. Si quis commendat arceandam esse aquam pluviam; generibus illis superioribus prætermittis, hæreat in infimo, atque ostendat aquam pluviam manu nocentem arceri oportere. Id.

<sup>32</sup> *Cæpe ex toto* ] Totum pro genere, partes pro formis seu speciebus sumuntur. Multum igitur ab enumeratione partium distat hic locus. Idem.

bet, si socius, si, cui mandatis, si qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perveniens quo vult, appellatur inductio: quæ Græce *ἐκ πολλῶν* nominatur; quæ plurimum est usus in sermonibus Socratis.

Alterum similitudinis genus collatione sumitur, cum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: Quemadmodum si in urbe<sup>33</sup> de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regendis adigere arbitrum non possis: sic, si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquæ pluvie arceandæ adigere non possis arbitrum.

Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa<sup>34</sup> exemplis plurimis usus est, agens de eo, qui testamento sic heredem instituisset, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius, quam in suam tutelam venisset; secundus heres hereditatem obtinisset. Quæ commemoratio exemplorum valuit, eaque vos in respondendo uti multum soletis.

Ficta etiam exempla similitudinis habent vim: sed ea oratoria magis sunt, quam vestra: quanquam utri etiam vos soletis, sed hoc modo: Finge mancipio aliquem dedisse<sup>35</sup> id, quod mancipio dari non potest: num idcirco id ejus factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligavit? In hoc genere oratoribus, & philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyper-

E e e e z

bole

<sup>33</sup> *Si in urbe* ] Si cum de finibus in urbe disputetur, non potest uti arbitro finium regendorum, quia fines videntur agrobus magis quam urbis; ne arceandæ quidem in urbe aquæ, quia res tota magis agrorum est, arbitrum adigere possis. Arceri enim aquam in agris tantum dici solet, ut observat Bætitus, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur, & defluens in campos vicini palonis frugivæ corrumpat, arbitri arceandæ aquæ a magistratibus statuebantur. Idem.

<sup>34</sup> *In Curiana causa* ] Vide lib. 1. de Orat. cap. 39.

<sup>35</sup> *Mancipio aliquem dedisse* ] Mancipio dare, est rem ita dare, cum conditionem præstaturos nos sponte auter mancipio accipere; est eadem lege emere; mancipium enim significat dominii traditionem. Furiva mancipio dari non possunt. Quare apud Plautum in Persa, Act. IV. Scena III. de muliere fureto abstracta dicitur:

*At suo periculo sit enas: qui eam merces hinc.*

*Mancipio neque promittit, neque quisquam dedit.* Idem.



bole dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum. Eisdem tamen ex locis (ut ante dixi) & in maximis, & in minimis quaestionibus argumenta ducuntur.

XI. Sequitur similitudinem differentia rei, maxime contraria superiori: sed est ejusdem dissimile & simile invenire. Ejus generis hæc sunt: Non quemadmodum quod mulieri debeas<sup>36</sup>, recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas: ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, recte possis eodem modo solvere.

Deinceps locus est, qui a contrario ducitur. Contrariorum autem genera sunt plura. Unum eorum, qua in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, & stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tanquam e regione quadam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas. Ex quibus contrariis argumenta talia existunt: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: & bonitatem, si malitiam. Hæc, quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur *adversa*.

Sunt enim alia contraria, quæ *privantia* licet appellemus Latine, Græce appellantur *εσπριτιζα*. Præpositio enim *IN*, privat verbum ea vi, quam haberet, si *IN* præpositum non fuisset: ut *dignitas*, *indignitas*, *humanitas*, *inhumanitas*, & cætera generis ejusdem. Quorum tractatio est eadem, quæ superiorum, quæ adversa dixi.

Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea quæ cum

<sup>36</sup> Non quemadmodum quod mulieri debeas ] Quanquam & mulieres & pupilli sub tutore potestate sunt, mulieri tamen recte solvi potest sine tutore auctoritate: pupillo qui ita solvit, non liberatur. Nam neque hæreditatem adire, neque honorum possessionem petere, neque hæreditatem ex fideicommissis suscipere aliter possunt, nisi tutore auctoritate, quamvis illis lucrosa sit, ne ullum scilicet damnum habeant. De mulierum perpetua tutela nihil in libris Pandectarum legitur: quin contra legitur, emancipari, sique juris fieri non aliter quam mares posse. Cicero tamen in Oratione pro Muræna his verbis scribit: *Mulier quæ propter infirmitatem consilii majores in tutorem potesta-*

*te esse solvitur: &c.* Idem pro Cæcina; *Quod mulier sine tutore auctore promissit, non debetur.* De qua tutela legitima intelligendum puto Ciceronis illud in Oratione pro Flacco, *Ute, inquit, non possit: nihil enim parit de tutela legitima sine auctore tutorem auctoritate dicitur*, loquens de muliere quæ omnia sua bona doti dixerat. Dicendum igitur est, legitis *xii.* tabularum constitutum perpetuam hanc mulierum tutelam, sublatam postea fuisse, ut pleraque alia. Plus tamen esse consilii in femina *12.* annorum, quam in mare *13.* eadem leges *xii.* tabularum statuebant: credo quod celeriter sit curis legemur, ut pubertatis, sic etiam prædicitur. *Goveanus.*

eum aliquo conferuntur: ut duplum, simplicium: multa, pauca: longum, breve: majus, minus. Sunt etiam valde contraria illa quæ appellantur *negantia*. Ea *αποφατιζα* Græci, contraria agentibus: ut, Si hoc est, illud non est<sup>37</sup>. Quid enim opus exemplo est? Tantum intelligatur, argumento quaerendo contrariis omnibus contraria non convenire.

Ab adjunctis autem posui equidem exemplum paulo ante<sup>38</sup>, multa scilicet adjungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad conjecturales causas, quæ versantur in judiciis, valet: eum quaeritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit. Ac loci quidem ipsius forma talis est.

XII. Admonet autem hic locus, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. Nihil hoc ad jus; ad Ciceronem, inquit Gallus<sup>39</sup> noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quaeretur. Tu tamen pati, nullum a me artis instituta locum præteriri, ne si nihil, nisi quod ad te pertineat, scribendum putaris<sup>40</sup>, nimium te amare videre. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non juriconsultorum, sed ne philosophorum quidem.

Ante rem enim quaeruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbræ, & si quid ejusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, & si qua alia signa conturbationis & conscientie: præterea restitutus ignis, gladius cruentus, cæteraque, quæ suspicionem facti possunt movere.

Dein-

<sup>37</sup> Ut si hoc est, illud non est ] Locum corruptum esse arbitror, legendum autem sic, *Ut est hoc illud, hoc illud non est.* Hæc enim *αποφατιζα* sunt, illa minime, cum idem de eodem in illis non affirmetur & negatur. *Idem.*

<sup>38</sup> Exemplum paulo ante ] Repete supra, cap. 4.

<sup>39</sup> Gallus ] C. Aquilius Gallus, de quo in Bruto.

<sup>40</sup> Ne si nihil, nisi quod ad te pertineat, scribendum putaris ] Jocatur M. Tullius cum Trebatio, quem Epicureum esse sciebat, cujus disciplina erat se ipsum amare, & sua causa omnia facere. Vide ad Fam. lib. *vii.* epist. *12.* *Idem.*

Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adjunctis longe diversus est. Nam adjuncta, de quibus paulo ante dictum est, non semper eveniunt: consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessario consequuntur. Itemque & antecedentia, & repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id coheret cum re necessario: & quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut coherere nunquam possit.

XIII. Cum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam: repudiandi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. Nam quid interest, cum hoc sumptis, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, utrum hoc modo concludas argumentum? Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri. Est autem pecunia signata argentum. Legata igitur: An illo modo? Si numerata pecunia non est legata; non est numerata pecunia argentum. Est autem numerata pecunia argentum. Legata igitur est: An illo modo? Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia. Legatum autem argentum est. Legata igitur numerata pecunia est.

Appellatur autem dialectici eam conclusionem argumenti, in qua, cum primum assumpseris<sup>41</sup>, consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id, quod annexum est<sup>42</sup>, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit: secundus appellatur concludendi modus. Cum autem<sup>43</sup> aliqua conjuncta negaris, & his alia negatio rursus

adju-

<sup>41</sup> Cui primum assumpseris ] Septem syllogismorum hypotheticorum, seu conditionalium, ut vocant, modus hic subicitur Tullius. Ac primus quidem is est, quo cum assumpseris id quod primum est, recte concludis quod conjunctum est: verbi gratia: Si iustus est, jus suum unicuique reddit; atqui iustus est: ergo jus suum unicuique reddit. Præf.

<sup>42</sup> Cui id, quod annexum est ] Alter syllogismi modus priori oppositus, quo cum negatum illud fuerit quod conjunctum est, id quoque cui fuerit conjunctum negari o-

portet: ut, Si jus unicuique suum non reddit, iustus non est: atqui jus suum unicuique non reddit: ergo iustus non est. Impossibile autem a severioribus dialecticis hic repudiandi modus; contendunt enim ex propositionibus negantibus nihil posse colligi. Ac facile fuerit ad legitimam formam sic revocare. Qui jus suum unicuique reddit, iustus est; atqui hic jus suum unicuique non reddit: ergo hic iustus non est. Idem.

<sup>43</sup> Cui autem ] Tertius est hic argumentandi modus, quo, ut explicat Vitorius, pronuntiato conexo duplex negatio additur.

adjungitur, & ex his primum sumptis, ut, quod relinquitur, tollendum sit: is tertius appellatur conclusionis modus.

Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata<sup>44</sup> appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed, ut Homerus, propter excellentiam, commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; sic, cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possidet. Ejus generis hæc sunt. Hunc metuere, alterum in metu non potere. Eam, quam nihil accusas, damnas. Bene quam meritam esse aurum, dicis male mereri. Id, quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.

XIV. Hoc discernendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes: sed philosophorum magis; quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ a dialecticis tertius modus, a rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disjunctionibus constant: Aut hoc, aut illud<sup>45</sup>; hoc autem: non igitur illud. Itemque, Aut hoc, aut illud<sup>46</sup>: non autem hoc: illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ratæ sunt, quod in disjunctione plus uno verum esse non potest.

Atque ex iis conclusionibus, quas supra scripsi, prior quartus, posterior quintus a dialecticis modus appellatur. Deinde addunt conjunctionum negantiam, sic: Non & hoc<sup>47</sup> est, &

illud:

quarum una toti propositioni, altera posteriori parti præbatur: tum in assumptione prior pars affirmatur, ut in conclusione negetur posterior: cuius hoc sit exemplum: Non si jus suum unicuique reddit, non iustus est; atqui jus suum unicuique reddit, iustus est igitur. Ad primam argumentandi formam refertur hic syllogismus: duplex enim negatio vim habet affirmationis. Idem.

<sup>44</sup> Enthymemata ] Vulgari notione significat entymemata syllogismum imperfectum ex duabus contentam partibus, qualis est hic: Laudanda est omnis virtus, ergo & ipsa iustitia. Hic autem enthymema sumitur pro acta sententia, quæ ex contrariis conficitur. Tale est illud Ciceronis pro Milone:

Ejus igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si pœnitere potissetis posse, nolitis? Enthymema proprie est cogitatio, inventum, aut obambulans, intelligere, conspiciere. Idem.

<sup>45</sup> Aut hoc, aut illud ] Quartus hic argumentandi modus est huiusmodi: Iudex hic aut iustus est aut iniustus; est autem iustus; non igitur iniustus. Idem.

<sup>46</sup> Aut hoc, aut illud ] Quintus hic exponit argumentandi modum, cuius hoc exemplum: Iudex hic aut iustus est aut iniustus; non est autem iustus; ergo est iniustus. Idem.

<sup>47</sup> Non & hoc ] Exemplum sit: Non & iustus est & iniustus; est autem iustus; non igitur iniustus. Idem.

*illud: hoc autem: non igitur illud.* Hic modus est sextus. Sciprimus autem, *Non & hoc*<sup>48</sup>, & *illud: non autem hoc: illud igitur.* Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est fere tota dialectica. Sed ne ea quidem, quas exposui, ad hanc institutionem sunt necessaria.

Proximus est locus rerum efficientium, qua causa appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paulo ante posui, & quidem ex iure civili: sed hæc patent latius.

XV. Causarum igitur genera duo sunt. Unum, quod vi sua id, quod sub ea subjectum est, certe efficit, ut ignis accendit. Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, sed sine quo effici non possit: ut, si quis æs causam statuæ velit dicere, quod sine eo non possit effici.

Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quæta, nihil agentia, stolidia quodam modo; ut locus, tempus, materia, ferramenta, & cætera generis ejusdem. Alia autem præcautionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per se adjvantia, etiam non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex æternitate pendentium, fatum a Stoicis nescitur.

Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi, sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim alia causa, quæ plane efficiant, nulla re adjuvante: alia, quæ adjuvari velint: ut sapientia efficit sapientes sola per se: beatos efficiat necne sola per se, quæstio est. Quare, cum in disputationem incidit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere.

XVI. Cum autem erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas; necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet: hoc autem, sine quo non

<sup>48</sup> *Non & hoc* ] Tale est illud: Non & justus est & injustus; non autem injustus; ergo justus. *Idem.*

non efficitur, sæpe conturbat. Non enim si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria.

Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, in quo certe fit, diligenter est separandum. Illud enim est tanquam:

*Urinam ne in nemore Pelio securibus*

*Cæsa cecidisset abiogna ad terram trabes!*

Nisi enim cecidissent abiogna ad terram trabes, Argo illa facta non esset. Nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At cum in Ajacis navim *crispisulcans igneum fulmen* injectum est, inflammatur navis necessario.

Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod alia sunt, ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione, sium quasi opus efficiant, velut, ut omne intereat, quod ortum est. Alia autem aut voluntate efficiunt, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, ut tu, cum hunc libellum legis. Perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat. Habitu, ut facile & cito irascatur. Natura, ut vitium in dies crescat. Arte, ut bene pingat. Casu, ut prospere naviget. Nihil horum sine causa, nec quidquam omnino, sed hujusmodi causæ non necessaria.

Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura, & in arte constantia est, in cæteris nulla.

XVII. Sed tamen earum causarum, quæ non sunt constantes, alia sunt perspicuæ, alia latent. Perspicuæ sunt, quæ appetitionem animi, judiciumque tangunt. Latent, quæ subjunctæ sunt fortunæ. Cum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum est fortunæ eventus, obscura causa, quæ latenter efficit.

Etiam ea, quæ sunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt. Voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille<sup>49</sup> subjicitur in vestris actionibus:

*Tom. I.*

*F f f f*

*nibus:*

<sup>49</sup> *Ex quo aries ille* ] Id est, ex quo firmissima illa defensio. Metaphora ducta a machina bellica, quæ aries dicitur. *Idem.*

nibus: Si telum manu fugit magis, quam jecit. Cadunt etiam in ignoracionem, atque in imprudentiam perturbaciones animi: que quanquam sint voluntaria, (objurgatione enim, & admonitione dejiciuntur) tamen habent tantos motus; ut ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur.

Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum magna argumentorum suppetit copia. In vestris autem si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim judicium maximarum quidem rerum, in jurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio: & patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confiscentibus, hastas ministrant.

In omnibus igitur iis judiciis, in quibus, *Ex fide bona*, est additum: ubi vero etiam, *Ut inter bonos bene agere oportet*: imprimisque in arbitrio rei uxoria<sup>50</sup>, in quo est, *Quid æquius, melius*, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum, bonum, illi quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cujus ea negotia fuissent; quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri prestare oporteret; quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus & philosophis, sed juris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare.

XVIII. Coniunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur ex causis. Ut enim causa quid sit effectum indicat, sic, quod effectum est, quæ fuerit causa, demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus & poetis, sæpe etiam philosophis, sed iis, qui ornate & copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, cum dententiam, quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio cognitionem eventorum facit.

Reli-

<sup>50</sup> *In arbitrio rei uxoria* ] Arbitrium uxoriae rei tunc erat, cum post divorcium de dote controversia vertebatur. Absque matrimonio contracto, dos penes virum erat, at ubi divor-

tium contraxisset, si vice culpa, bonam & æquum exigebat nihil apud virum manere: si malicis, ipsa dote amittebat. Item.

Reliquus est comparationis locus, cuius genus & exemplum supra positum est, ut caterorum: nunc explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea, quæ aut majora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio.

Numero sic comparabuntur, ut plura bona, paucioribus bonis anteponantur: pauciora mala, malis pluribus: diuturniora bona, brevioribus: longe, & late \* pervagata, angustis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, & faciant.

Specie autem comparantur, ut anteponantur quæ propter se expetenda sunt, iis, quæ propter aliud: & ut innata atque insita, assumptis & adventitiis: integra, contaminatis: jucunda, minus jucundis: honesta, ipsis etiam utilibus: proclivis, laboriosis: necessaria, non necessariis: sua, alienis: rara, vulgaribus: desiderabilia, iis, quibus facile carere possis: perfecta, inchoatis: tota, partibus: ratione utentia, rationis expertibus: voluntaria, necessariis: animata, inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificiosa, non artificiosa.

Vis autem in comparatione sic cernitur, efficiens causa gravior, quam non efficiens: quæ seipsis contenta sunt, meliora, quam quæ egent aliis: quæ in nostra, quam quæ in aliorum potestate sunt: stabilia, incertis: quæ eripi non possunt, iis, quæ possunt.

Affectio autem ad res aliquas est hujusmodi, principum commoda majora, quam reliquorum: itemque, quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque, ut hæc in comparatione meliora, sic deteriora, quæ iis sunt contraria.

Parium autem comparatio nec elationem habet, nec submissionem. Est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparantur: quæ ita fere concluduntur. Si consilio juvare cives, & anxilio, aqua in laude ponendum est: pari gloria debent esse ii, qui consulunt, & ii, qui defendunt. At quod primum, est: quod sequitur igitur.

F f f f 2

Per-

\* *Pervagata* ] Lamb. *pervagata*, ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, & faciant, angustis.

Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum præceptio, ut, cum profectus sis a definitione, a partitione, a notatione, a conjugatis, a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adjunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione majorum, minorum, parium, nulla præterea sedes argumenti quaerenda sit.

XIX. Sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, hæere, de quibus satis est dictum: alios assumi extrinsecus; de iis pauca dicamus: etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent; sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cepimus. Neque enim tu is es, quem nihil, nisi jus civile, delectet. Et, quoniam ad hæc ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quam plurimum iis, quos recta studia delectant, prodesse possimus.

Hæc ergo argumentatio, quæ dicitur artis expertis, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus, omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Persona autem non qualicumque, testimonii pondus habet. Ad faciendam enim fidem auctoritas quaeritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert. Naturæ auctoritas in virtute inest maxime. In tempore autem multa sunt, quæ afferant auctoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingeniosos, & opulentos, & ætatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt & qui iudicant, & qui existimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeravi, quanquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quadam adhibetur; magna enim est vis ad persuadendum, scientiæ: aut usus; plerumque enim creditur iis, qui experti sunt.

XX. Facit etiam necessitas fidem, quæ cum a corporibus, tum

tum ab animis nascitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, & quæ a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent; assertum auctoritatem & fidem. Cujus etiam generis illa sunt, ex quibus verum nonnunquam invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, infania. Nam & pueri sæpe indicaverunt aliquid, ad quod pertinere, ignari: & per somnum, vinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Staleno<sup>51</sup> nuper accidit: qui ea locutus est, bonis viris subauscultantibus, pariete interposito, quibus patefactis, in iudiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedæmonio<sup>52</sup> Pausania accepimus.

Conkursio autem fortuitarum talis est, ut, si interventum est casu, cum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem<sup>53</sup> conjecta suspitionum proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Hujus etiam generis est fama vulgi; quoddam multitudinis testimonium.

<sup>51</sup> Ut Staleno ] Rem aliquanto sulius narrat Cicero in Cluentiana cap. 28. *Illo ipso tempore in æde T. Anni, hujusmodi beneficii, necessarii & amici mei, nulli Staleno concessit ad Oppianum vocari. Jam cetera nova sunt amicitia: ut cum illa Oppianicus ageris de pecunia: ut ille se reddidit vici boni, qui tam confuso prope in oculo stetit: ut res patefacta atque in forum prolata, & pecunia omnis a Staleno extorta atque accepta sit.* Vide Brutum cap. 247. Idem.

<sup>52</sup> De Lacedæmonio ] Pausanias Lacedæmonius cum de patria Persarum regi tradenda cogitaret, Argilio adolescentulo epistolam ad Archabum ferendam dedit. Argilius in suspicionem venit aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum reddidit, qui super tali causa eodem missi erant: resignata epistola cognovit, si pertulisset, sibi esse perendum. Erant in eadem epistola quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem, Pausaniamque conveniant. Has ille literas ephoris tradidit, qui Argillum jussurunt ad iram in sanum Neptuni configere: locum autem sub

terra fecerant, ex quo posset auferri, si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias audita causa, cur Argilius supplex in ara fiederet, perturbatus orare cepit, ne quid enunciatet, nec se meritum de illo optime prodere. His cognitis, ephori hominem suo convictum testimonio, in æde Minerva conclusum sane evocavit. Anno 2. Olymp. LXXXVIII. Theophrast. lib. 1. & Corvinius Nepos. Idem.

<sup>53</sup> In Palamedem ] Hic Ulysses, qui, ne ad bellum Trojanum proficere, infamiam simulabat, fraudem detexit. Irritatus subinde Ulysses, supposititias Priami ad Palamedem de prodentis Græcis literas, fingit, quibus magnam se pecunie vim mittere jubet. Priamus. Accusatur Palamedes, cuius interitum in tentorio auri pondus fursum infodi curaverat Ulysses. Hic illius causam tueri se simulat, nec ante damnandum contempdit, quam aurum a Priamo missum reperiretur. Aureo reperto Palamedes, quasi reus lapidibus obrutus est. Servius in 11. Æneidos. Idem.

Quae autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt. Ex quibus alterum, natura valet: alterum, industria. Deorum enim virtus natura excellit: hominum autem, industria.

Divina haec fere sunt testimonia. Primum orationis: oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio. Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quaedam: primum ipse mundus, ejusque omnis ordo, & ornatus: deinceps aerei volatus avium, atque cantus: deinde ejusdem aeris sonitus & ardores, multarumque rerum in terra portenta: atque etiam per astra, inventa praesensio. A dormientibus quoque multa significata visis. Quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum.

In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos studio, quos doctrina praeditos vident, quorumque vitam constantem, & probatam, ut Catonis, Laeli, Scipionis, aliorumque plurimum, videntur eos esse, quales seipsi velint. Nec solum eos censent tales esse, qui in honoribus populi, atque in republica versantur, sed & oratores, & philosophos, & poetas, & historicos: ex quorum & dictis, & scriptis saepe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

XXI. Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem, & quibusdam quaestionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. Quaestionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod *ὀρισμένον* Graeci, nos *causam*; Infinitum, quod *ἀόριστον* illi appellant, nos *propositum* possumus nominare.

Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositum autem, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in

54 Quasi opera divina quaedam.] Quasi opera divina quaedam: legendum patet. Dicit enim per res varias & homines (cujusmodi mundus est, & ejus omnis ornatus) lo-

qui nobiscum videntur, & futura praenotare: quemadmodum scribit Tullius in libris de Divinatione. Goveo.

in maximis. Itaque propositum, pars causa est. Sed omnis quaestio earum aliqua de re est, quibus causa continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus.

Quaestionum autem, quaecumque de re sint, duo sunt genera: unum, cognitionis; alterum, actionis. Cognitionis sunt haec, quarum finis est scientia: ut, si quaeratur, a naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & passione. Actionis autem hujusmodi exempla sunt: Sine sapientis ad rempublicam accedere.

Cognitionis quaestiones tripartitae sunt, cum, an sit: aut, quid sit: aut, quale sit, quaeritur. Horum primum, conjectura: secundum, definitio: tertium, juris & injuriae distinctione explicatur.

Conjectura ratio in quatuor partes distributa est. Quarum una est, cum quaeritur, sine aliquid. Altera, unde ortum sit. Tertia, quae id causa effecerit. Quarta, in qua de mutatione rei quaeritur, sit, necne sit: sic, Ecquidnam honestum sit, ecquid aequum re vera, an haec tantum in opinione sint. Unde autem sit ortum, ut, cum quaeritur, natura, an doctrina possit effici virtus. Causa autem efficiens sic, ut, cum quaeritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione, sic: Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam.

XXII. Cum autem, quid sit, quaeritur; notio explicanda est, & proprietas, & divisio, & paritio. Haec enim sunt definitioni attributa. Additur etiam descriptio, quam Graeci *ἡραπαρτίσι* vocant. Notio sic quaeritur: Sine id aequum, quod ei, qui plus potest, utile est. Proprietas sic: In hominemne solum cadat, an etiam in belluas aegritudo. Divisio, & eodem pacto paritio, sic: Triane genera bonorum sint. Descriptio, Qualis sit avarus, qualis assentator, ceteraque ejusdem generis, in quibus natura & vita describitur.

Cum autem quaeritur, quale quid sit: aut simpliciter quaeritur, aut comparate. Simpliciter, Expetendane sit gloria.

Com-

55 Propositum pars causa est.] Est quasi *Romanis* debeant inferre *Carthaginensibus*, in pars: videtur enim causa propositum includit hanc quasi partem, quod propositum dicit. Verbi gratia haec causa, *An bellum* est; *An bellum inferri debeat.* Praesens.

Compare, Praeponendane sit divitiis gloria. Simplicium tria genera sunt: de expetendo, fugiendoque; de æquo, & iniquo: de honesto, & turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem & alio: alterum de majore, & minore. De expetendo, & fugiendo, hujusmodi: Si expetenda divitiæ, si fugienda paupertas. De æquo & iniquo: Æquumne sit ulcisci, a quocumque injuriam acceperis. De honesto, & turpi: Honestumne sit, pro patria mori. Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum est de eodem, & alio: ut, si queratur, quid intersit inter amicum, & assentatorem: regem, & tyrannum. Alterum de majore, & minore: ut, si queratur, eloquentiane pluris sit, an juris civilis scientia. De cognitionis quaestionibus hætenus.

Actionis reliquæ sunt: quarum duo sunt genera: unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic; ut, cum queritur, suscipiendine sint liberi. Ad movendos animos, cum sunt cohortationes ad defendendam rempublicam, ad gloriam, & ad laudem: quo ex genere sunt querelæ, incitationes, miserationesque flebiles, rursumque oratio cum iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiã comprimens, tum ægritudinem abstergens. Hæc cum in propositis quaestionibus genera sint, eadem in causas transferuntur.

XXIII. Loci autem qui ad quasque quaestiones accommodari sunt, deinceps est videndum. Omnes quidem illi, quos supra diximus, ad plerasque sunt: sed alii ad alias, ut dixi, aptiores. Ad conjecturam igitur maxime apta, quæ ex causis, quæ ex effectis, quæ ex conjunctis sumi possunt. Ad definitionem<sup>56</sup> autem pertinet ratio, & scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem, & altero diximus: quod genus forma quædam definitionis est. Si enim queratur, idemne sit pertinacia & perseverantia, definitionibus judicandum est.

Loci autem convenient in ejus generis quaestionem, consequentes, antecedentes, repugnantes, adjunctis etiam duobus

<sup>56</sup> Ad definitionem ] Id est, ad statum definitionis. Idem.

illis, qui sumuntur ex causis & effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur, aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut si hujus rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quovis horum id, de quo queritur, idemne, an aliud sit, inveniri potest.

Ad tertium genus quaestionis, in quo, quale sit, queritur, in comparationem ea cadunt, quæ paulo ante in comparationis loco enumerata sunt. In illud autem genus, in quo de expetendo fugiendoque queritur, adhibentur ea, quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemque cum de honesto, turpique queritur, ad animi bona, vel mala, omnis dirigenda oratio est.

Cum autem de æquo & iniquo differitur, æquitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartito, & natura, & instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, & ulciscendi jus. Institutio autem æquitatis tripartita est. Una pars legitima<sup>57</sup> est, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus æquitas tripartita dicitur esse: una ad superiores deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima, pietas: secunda, sanctitas: tertia, justitia, aut æquitas nominatur.

XXIV. De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt. Pleraque enim sunt ei cum proposito communia. Tria sunt igitur genera causarum, judicii, deliberationis, laudationis. Quarum fines ipsi declarant, quibus utendum locis sit. Nam judicii finis est jus: ex quo etiam nomen. Juris autem partes tum expositæ, cum æquitatis. Deliberandi finis, utilitas: cujus hæ partes, quæ modo expositæ, rerum expetendarum. Laudationis finis, honestas: de qua item est ante dictum.

Sed definita quaestiones a suis quæque locis, quasi propriis, instituntur, in accusationem, defensionemque partitæ. In quibus existunt hæc genera, ut accusator personam arguat facti:

Tom. I.

G g g g

defen-

<sup>57</sup> Una pars legitima ] Jus institutum tres partes & continet, tertia consuetudine in partes distribuitur: una pars legibus, antiqua collat. Idem.

defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum; aut si sit factum, aliud ejus facti nomen esse; aut jure esse factum. Itaque aut inficialis, aut conjecturalis prima appellatur: definitiva, altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis vocetur.

Harum causarum propria argumenta ex iis sumpta locis, quos exposuimus, in praeceptis oratoris explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quae Graece *status* dicitur, Latine appelletur *status*: in quo primum insistit<sup>58</sup> quasi ad repugnandum congressa defensor. Atque etiam in deliberationibus & laudationibus iidem existunt status. Nam & negantur saepe ea futura, quae ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status conjecturalis existit.

At, cum aliquid de utilitate, honestate, aequitate differitur, deque iis rebus, quae iis sunt contrariae: incurrunt status aut juris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest, id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine efficiendum, quo laudator effecerit; aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non jure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum<sup>59</sup>.

Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam Graeci *κατομωσιον* vocant. Mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, quæ de re agitur<sup>60</sup>, vocari. Quibus autem hoc, quæ de re agitur, continetur, hæc *continentia* vocentur, quasi firmamenta defensionis: quibus sublatis, defensio nulla sit. Sed, quoniam lege firmiter in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adjutricem & testem adhibea-

<sup>58</sup> In quo primum insistit ] Verbi gratia sic procedat accusatio, *Rolfius occidit patrem*; repugnabit defensor, *Rolfius non occidit patrem*. Hic quodam modo hæret accusatio. Hic status conjecturalis: inquirendum enim ulterius, an Rolfius patrem occiderit. Badem est ceterorum huiusmodi ratio. *Item*.

<sup>59</sup> Contra Catonem meum ] Cuius Frag-

menta Tomo III. pag. 437.

<sup>60</sup> Quæ de re agitur ] Quoniam ad iuriconsultum scribit, iuriconsultorum verbis libenter utitur, quale est hoc, *Quæ de re agitur*: quod nunc mavult, quam iudicationem aut disceptationem, quæ *κατομωσιον* propria translatio est. *Græcismus*.

beamus. In qua re alii quasi status existunt novi, qui appellantur legitima disceptationes. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adversarius velit, sed aliud. Id autem contingit, cum scriptum ambiguum est, ut duæ differentes sententiæ accipi possint. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut queratur verbanè plus, an sententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita sunt tria genera, quæ controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti & voluntatis, scripta contraria.

XXV. Jam hoc perspicuum est, non magis in legibus; quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex scripto aguntur, posse controversias easdem existere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. Nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adjuvantur, partim propriis, partim communibus: ut in principiis, quibus ut benevoli, ut dociles, ut attentis sint, qui audiant, efficiendum est propriis locis. Itemque narrationes, ut ad suos fines spectent, id est, ut planæ sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratæ, ut cum dignitate: quæ quanquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi.

Quæ autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi. Peroratio autem & alia quædam habet, & maxime amplificationem: cuius effectus is debet esse, ut, aut perturbentur animi, aut tranquillentur: & si ita jam affecti ante sunt, ut augeat eorum motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo & misericordia, & iracundia, & odium, & invidia, & cætera animi affectiones perturbantur, præcepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere, cum voles.

Ad id autem, quod te velle fenseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuæ. Nam, ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quam a te desiderata erant, sum complexus; fecique, quod

G g g g 2

sape



sape liberales venditores solent, ut, cum aedes, fundumve vendiderint, ruti casis receptis<sup>61</sup>, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte & loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare<sup>62</sup> debuimus, ornamenta quaedam volumus non debita accedere.

<sup>61</sup> Ruti casis receptis ] Q. Murius libro singulari 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>; In ruti, inquit, & casis ea sunt, quae terra non tenentur, quaque opere struuntur rectoriove non continentur. Recipere autem, est excipere & reservare sibi. *Idem.*

<sup>62</sup> Quasi mancipio dare ] Recte adiunxit particula quasi. Nam mancipio dare, est alienare, ita ut rem accipientis omnino faciamus. At ita liber hic datus erat Trebatio, ut in eum jus etiam Cicero retineret. *Præsent.*



# ORATORIÆ PARTITIONES. \*

CUM ADNOTATIONIBUS

JACOBI FACCIOLATI.

ARGUMENTUM

OLIVETI.

Hic libellus est quoddam compendium eorum, quae in libris Oratoris ceteris fuso docuerat. Omnem autem dicendi doctrinam in tres partes distribuit: in oratoris vim, orationem, & questionem. Ad vim requirit inventionem, collocationem, elocutionem, & memoriam cum pronuntiatione: cap. 3. 7. Orationis partes facit exordium, narrationem, confirmationem, & conclusionem: cap. 8. 17. De questionibus cum infinitis, tum finitis, atque adeo de generibus causarum & constitutionibus agit a cap. 18. usque ad finem. ERNESTUS.

Utra prior sit inscriptio, DE PARTITIONE ORATORIA, an PARTITIONES ORATORIAE, disputant otiosi interpretes: Utramque rectam esse constat. PRUSTEUS.

Quandoquidem habet hic libellus brevem duntaxat enumerationem eorum omnium, quae multis hactenus de ratione dicendi, variisque sunt a Cicerone disputationibus explicata; nihil esse in eo difficultatis potest, quod superiorum jam librorum explanatio non expedierit: nisi forte quam affert socia brevitatis & comes obscuritas. At hac ipsa neminem vel morabitur, vel terrebbe, quis.

\* Partitiones ] Libellus hic continet rhetoricam doctrinam nuda quadam & inornata partium distributione explicatam. Utiur more Academico & Platónico. Platonicus enim rerum naturam dividendo explicabant; via

quadam & ratione analytica; quemadmodum contra Aristotelici definiendo. Ab aliis inscribitur opusculum hoc de Partitione Oratoris.

sape liberales venditores solent, ut, cum aedes, fundumve vendiderint, ruti casis receptis<sup>61</sup>, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte & loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare<sup>62</sup> debuimus, ornamenta quaedam volumus non debita accedere.

<sup>61</sup> Ruti casis receptis ] Q. Murius libro singulari 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>; In ruti, inquit, & casis ea sunt, quae terra non tenentur, quaque opere struuntur rectoriove non continentur. Recipere autem, est excipere & reservare sibi. *Idem.*

<sup>62</sup> Quasi mancipio dare ] Recte adiunxit particula quasi. Nam mancipio dare, est alienare, ita ut rem accipientis omnino faciamus. At ita liber hic datus erat Trebatio, ut in eum jus etiam Cicero retineret. *Præterea.*



# ORATORIÆ PARTITIONES. \*

CUM ADNOTATIONIBUS

JACOBI FACCIOLATI.

ARGUMENTUM

OLIVETI.

Hic libellus est quoddam compendium eorum, quae in libris Oratoris ceteris fuisse docuerat. Omnem autem dicendi doctrinam in tres partes distribuit: in oratoris vim, orationem, & questionem. Ad vim requirit inventionem, collocationem, elocutionem, & memoriam cum pronuntiatione: cap. 3. 7. Orationis partes facit exordium, narrationem, confirmationem, & conclusionem: cap. 8. 17. De questionibus cum infinitis, tum finitis, atque adeo de generibus causarum & constitutionibus agit a cap. 18. usque ad finem. ERNESTUS.

Utra prior sit inscriptio, DE PARTITIONE ORATORIA, an PARTITIONES ORATORIAE, disputant otiosi interpretes: Utramque rectam esse constat. PRUSTEUS.

Quandoquidem habet hic libellus brevem duntaxat enumerationem eorum omnium, quae multis hactenus de ratione dicendi, variisque sunt a Cicerone disputationibus explicata; nihil esse in eo difficultatis potest, quod superiorum jam librorum explanatio non expedierit: nisi forte quam affert socia brevitatis & comes obscuritas. At hac ipsa neminem vel morabitur, vel terrebbe, quis.

\* Partitiones ] Libellus hic continet rhetoricam doctrinam nuda quadam & inornata partium distributione explicatam. Utiur more Academico & Platónico. Platonicus enim rerum naturam dividendo explicabant; via

quadam & ratione analytica; quemadmodum contra Aristotelici definiendo. Ab aliis inscribitur opusculum hoc de Partitione Oratoris.

quisquis in libris hujus voluminis prioribus legendis fuerit bene ac diligenter versatus. Ad hunc librum sic paratus qui veniet, a rem summi oratoris universam, præceptaque omnia regustabit cum voluptate; atque hoc agnoscat quam non frustra sit a me dictum in prologo, Ciceronis interpretem esse nullum Cicerone opportuniorum. Si tamen explicationibus carere nequeunt juvenes, vel discipuli, vel magistri; habent in his Partitiones Commentarios uberes, ad puerilem institutionem apprime accommodatos, a duobus adornatos eruditissimis hominibus, atque in hac palestra valde exercitatis, M. Ant. Majoragio, & Joan. Lud. Strebao, quos describere neque hujus institui est, neque vero spatii.

CICERO pater. CICERO filius.

**F**ILIUS. <sup>1</sup> Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi <sup>2</sup> Græce tradidisti; si modo tibi est otium, & si vis. PATER. An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctissimum esse? Otium autem primum est summum, quoniam aliquando <sup>3</sup> Roma exundi potestas data est: deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferebam libenter. FILIUS. Visne igitur, ut tu me Græce solum ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus Latine interrogem? PATER. Sane, si placet. Sic enim & ego te meminisse intelligam, quæ accepisti: & tu ordine audies, quæ requiris. FILIUS. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? PATER. <sup>4</sup> In tres. FILIUS. Cedo quas? PATER. <sup>5</sup> Primum in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in

<sup>1</sup> Filius ] M. Ciceronis filius qui inducitur interrogans, non fuit ita hebes, ut eum quidam faciunt. Nam & doctrinæ & urbanitatis plurimum habuit, & sub Pompejo splendidi cum laude fecit, & Augusti collega in Consulatu fuit, & Syriam Proconsul obtinuit.  
<sup>2</sup> Græce tradidisti ] Non est mirum, si Itali nostri artium præcepta Latine tradunt,

cum Latini Græce traderent.

<sup>3</sup> Roma exundi ] Ludis Sextilibus.

<sup>4</sup> In tres ] Hæc sunt tria summa artis capita, quæ singula rursus in partes minores dividuntur.

<sup>5</sup> Primum in ipsam Græc. ] Ea tibi artifex, idest orator; opus, idest oratio; materia idest quaestio.

in quaestionem. FILIUS. In quo est ipsa vis? PATER. In rebus & verbis. Sed & res & verba inveniendæ sunt & collocandæ. Proprie autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etsi est componere, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes est, earumque rerum omnium custos est memoria. FILIUS. Quid? orationis quot sunt partes? PATER. Quatuor. Earum duæ valent ad rem docendam; narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ; principium, & peroratio. FILIUS. <sup>8</sup> Quid quaestio? quanam habet partes? PATER. Infitam, quam <sup>9</sup> consultationem appello: & definitam, <sup>10</sup> quam causam nomino.

II. FILIUS. Quoniam igitur invenire oratoris primum est, quid quæret? PATER. Ut inveniatur, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat. FILIUS. Quibus rebus fides fit? PATER. Argumentis, quæ ducuntur ex locis, aut in re ipsa infortis, aut assumptis. FILIUS. Quos vocas locos? PATER. Eos, in quibus latent argumenta. FILIUS. Quid est argumentum? PATER. Probabile inventum ad faciendam fidem. FILIUS. Quomodo igitur duo genera ista dividis? PATER. Quæ <sup>11</sup> sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia. FILIUS. Quid infita? PATER. Quæ inhærent in ipsa re. FILIUS. Testimoniorum quæ sunt genera? PATER. Divinum, & humanum. Divinum, ut oracula, ut auspicia, ut <sup>12</sup> vaticinationes, & <sup>13</sup> responsa sacerdotum, haruspicum, conjectorum. <sup>14</sup> Humanum, quod spectatur ex auctoritate, & ex volun-

<sup>6</sup> Ipsa vis ] Vis & facultas Oratoris polita est in inveniendæ & collocandæ, quærum utrumque ad res & verba refertur. Partes has continentur oratoris, memoria, pronuntiatio. In his enim totus spectatur orator.

<sup>7</sup> Orationis quot Græc. ] Divisio primo capitula, nunc dividit alterum, idest orationem, & quidem in partes quatuor, quibus consistit.

<sup>8</sup> Quid quaestio ] Tertii capituli, idest quaestiois divisio in partes duas.

<sup>9</sup> Consultationem ] quam in Topicis c. 21. propositum vocat.

<sup>10</sup> Quam causam ] Alii leg. quam controversiam; Lambinus, quam controversiam, seu causam.

<sup>11</sup> Sine arte ] quia non inveniuntur ab Oratore, sed afferuntur ad illum.

<sup>12</sup> Vaticinationes ] eorum, qui de prodigiorum procuracione consultabant, qui de hostiarum exitis divinabant, quique de visis conjiciebant.

<sup>14</sup> Humanum ] Testimonium humanum dicitur ex auctoritate, hoc est ex fide, fama, rell-

voluntate, & ex oratione aut libera, aut expressa: <sup>14</sup> in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quesita. FILIUS. Quae sunt quae dicis insita? PATER. <sup>15</sup> Quae infixae sunt rebus ipsis, ut definitio, ut contrarium, ut ea, quae sunt ipsi, contrariove ejus aut similia, aut dissimilia, aut consentanea; aut dissentanea; ut ea, quae sunt <sup>16</sup> quasi conjuncta, aut ea, quae sunt quasi pugnancia inter se, <sup>17</sup> ut earum rerum, de quibus agitur, <sup>18</sup> causa, aut causarum eventus; id est quae sunt effecta de causis; ut distributiones, <sup>19</sup> ut genera partium, generumve partes, ut primordia rerum, & quasi praerentia, in quibus inest aliquid argumenti; ut rerum contentiones, quid majus, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturae rerum, aut facultates comparantur.

III. FILIUS. Omnibusne igitur ex his locis argumenta sumemus? PATER. Immo vero scrutabimur, & quaeremus ex omnibus: sed adhibebimus iudicium, ut levia semper rejiciamus, nonnunquam etiam communia praetermittamus, & non necessaria. FILIUS. Quoniam de fide respondisti, volo audire de motu. PATER. Loco quidem quaeris, sed planius quod vis explicabitur, cum ad orationis ipsius quaestionumque rationem venero. FILIUS. Quid sequitur igitur? PATER. <sup>20</sup> Cum inveniatis, collocare. Cujus in infinita quaestione ordo est idem

religione alicujus hominis; ex voluntate, hoc est ex eo, quod quis se, velle declaravit; ex oratione, hoc est ex eo, quod sponte dicit, vel dicere coactus fuit.

<sup>14</sup> In quo ] in quo testimonii genere ex his tribus fontibus ducto continentur scripta, pacta, promissa, jurata, quesita, id est quod quis scripsit, quod passus est, quod promissit, quod se facturum, vel daturum juravit, quod per vim & quaestiones expressum est.

<sup>15</sup> Quae infixae sunt rebus ] Post illa verba, nescio quid in editionibus Victorii & Masnii legitur: quod Lambinus e Partitionibus amovit, ut supervacaneum, & hoc translatum e Topicis. Neque a Lambino, quod mirum, dissentit Gruterus. Ego igitur Lambino praeslare admonenti parcendum esse duxi. *Olevarius.*

<sup>16</sup> Quasi conjuncta ] Non solum ea, quae proprie conjuncta sunt, sed etiam illa, quae quodammodo conjunguntur, fidem aliquam

faciunt, & vim habent argumenti.

<sup>17</sup> Ut earum rerum &c. ] Vulgo legebatur aut. sed satis manifestum est, legendum esse ut; cum causae & effecta aliam quandam classem efficiant, quae non cohaeret cum superiori.

<sup>18</sup> Causae aut causarum eventus ] In tercio de Oratore c. 5. dicuntur causae rerum saepe eventus.

<sup>19</sup> Ut distributiones, ut genera ] Malim ut distributiones in genera. Vel enim distributio fit in genera pro varietate partium quae illis subjunguntur, vel fit in partes, ex quibus genera componuntur. Ita in cap. sequenti sunt motus genera, partes plures generum & cap. 4. generum distributiones.

<sup>20</sup> Cum inveniatis, collocare ] Explicata inveniatis, sequitur collocatio; in quo idem servandus est ordo, ut a definitioe incipatur, atque hinc porro pergatur ad locos reliquos haei faciende.

fere, quem exposui locorum. In definita autem, adhibenda sunt illa etiam, quae ad motus animorum pertinent. FILIUS. Quomodo igitur ista explicas? PATER. Habeo <sup>21</sup> communia praecipua fidem faciendi, & commovendi. Quoniam fides est firma opinio, motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem (tot enim sunt motus genera, partes plures generum singulorum) omnem collocationem ad finem accommodo quaestioni. Nam est <sup>22</sup> in proposito finis, fides; in causa & fides, & motus. Quare cum de causa dixerò, in qua est propositum, de utroque dixerò. FILIUS. Quid habes igitur de causa dicere? PATER. Auditorum eam genere distingui. Nam aut <sup>23</sup> auscultator est modo qui audit, aut discipulator, id est rei sententiae moderator; ita ut aut delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autem aut de praeteritis, ut iudex; aut de futuris, ut fenatus. Sic tria sunt genera, iudicii, deliberationis, exornationis, quae quia in laudationes maxime conferunt, proprium habet jam <sup>24</sup> ex eo nomen.

IV. FILIUS. <sup>25</sup> Quas res sibi proponet in istis tribus generibus orator? PATER. Delectationem in exornatione; in iudicio aut severitatem, aut clementiam iudicis; in suasionem autem aut spem, aut reformidationem deliberantis. FILIUS. Cur igitur exponis hoc loco genera controversiarum? PATER. Ut rationem collocandi ad finem cujusque accommodem. FILIUS. Quoniam tandem modo? PATER. Quia, quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam <sup>26</sup> aut

Tom. I.

H h h h

tem.

<sup>21</sup> Communia praecipua ] quia in idem recidunt, quamvis non eadem sint.

<sup>22</sup> In proposito finis ] id est in quaestione infinita finis est fidem facere; in causa, id est in quaestione definita finis est simul fidem facere & monere. Porro infinita quaestio includitur in definita: proindeque hac explicata, utraque explicata dici potest. Includitur, inquam: quia oratores a partibus ad genera transire solent, a singularibus ad universalia, ut latius disponent.

<sup>23</sup> Auscultator ] in exornationibus, in quibus auscultator non quaerit nisi delectationem. Est autem auscultator diligens qui-

dum & cupidus auditor. V. Gellium l. 1. c. 15.

<sup>24</sup> Ex eo nomen ] *Exornationes*, demonstrativum. In Orat. c. xi. *Quasi ad insipientium delectationis causa comparatum.*

<sup>25</sup> Quas res ] Quos fines, ut ad eos rerum ac verborum collocationem referat & accommodet.

<sup>26</sup> Aut temporum ] Qui exornat aliquem, aut ejus vitam per aetatis gradus & tempora partitur; aut ejus bona & virtutes in sua genera distribuit, earum rerum ipsarum ordine persequitur.

temporum servantur gradus, aut generum distributiones, aut a minoribus ad majora adscendimus, aut a majoribus ad minoram delabimur, aut hæc inæquabili varietate distinguimus, cum parva magnis, simplicia conjunctis, obscura dilucidis, lata tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia. **FILIUS.** Quid? in deliberatione quid spectas? **PATER.** Principia, vel non longa, vel sæpe nulla. Sunt enim ad audiendum qui deliberant, sua causa parati. Nec multum sane sæpe narrandum est. Est enim narratio præteritarum rerum, aut præsentium: suasio autem, futurarum. Quare ad fidem, & ad motum adhibenda est omnis oratio. **FILIUS.** Quid? in iudiciis quæ est collocatio? **PATER.** Non eadem accusatoris, & rei: quod accusator rerum ordinem prosequitur, & singula argumenta, quasi hasta in manu collocata, vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis, accuratiusque in singulis commoratur; perorationisque præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione paululum digrediens de cursu dicendi, utitur, & vehementius in perorando. Est enim propositum, ut iratum efficiat iudicem.

**V. FILIUS.** Quid faciendum est contra reo? **PATER.** Omnia longe secus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandæ, quæ lædunt; aut relinquendæ, si totæ sunt molestæ. Firmamenta ad fidem posita, aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda. Perorationes autem, ad misericordiam conferendæ. **FILIUS.** Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus? **PATER.** Non sane. Nam auditorum aures moderantur oratori prudenti, & provido; & quod ref-

27 Principia etc.] In deliberationibus excludit prae omnem exordii, & narrationis curam.

28 Rerum ordinem] accusator ordinem servat in criminibus explicandis, & in singulis moratur, acriterque proponit, ut in aures iudicium animosque penitus inserat.

29 In reliqua oratione] Quamvis locus maxime proprius commovendi iudicis sit peroratio, tamen etiam in media oratione inter-

duci hec aliquo digressionem incitare cum solet, si quid forte grave incidit.

30 Principia ad benevolentiam] quia reus accedit ad iudicem accusatoris oratione exasperatum.

31 Per se diluenda] Accusatoris argumenta aut retellas tanquam falsi, aut dubia & ambigua facias, aut declinando ad alia digrediaris, quæ iudicis animum avocent.

respuunt, immutandum est. **FILIUS.** Expone deinceps, quæ ipsius orationis, verborumque præcepta sunt. **PATER.** Unum igitur genus est eloquendi sua sponte fuscum; alterum verum, atque mutatum. Prima vis est in simplicibus verbis; in conjunctis secunda. Simplicia, inveniendæ sunt; conjuncta, collocandæ sunt. Et simplicia verba partim nativæ sunt, partim reperta. Nativæ ea, quæ significata sunt sensu. Reperta, quæ ex his facta sunt, & novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum. Atque etiam est hæc distinctio in verbis: altera, natura; tractatione, altera. Natura, ut sint alia consonantiora, & graviora, & quodam modo nitidiora; alia contra. Tractatione autem, cum aut propria sumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab oratore modificata, & inflexa quodam modo; quæ sunt ea, quæ transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tanquam abutimur, aut ea, quæ obscuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæque mirabilis, quam sermonis consuetudo patitur, ornamus.

**VI. FILIUS.** Habeo de simplicibus verbis: nunc de conjunctione quaero. **PATER.** Numeri quidam sunt in conjunctione servandi, consecutioque verborum. Numeros aures ipsæ metiuntur, ne aut non compleas verbis quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus, perturbetur oratio. Nam, ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum; sic in conjunctis, H h h h 2 quod

32 Expone deinceps] Transit ad oratum.

33 Sponte fuscum] elocutionis genus rectum & naturale, ortum ex simplicibus verbis.

34 Fuscum] artificiosum & figuratum.

35 Quæ significata sunt sensu] quorum significatio plana est, simplex, prima, obvia.

36 Leniora] Alii minus recte leg. leviora.

37 Aut addita] quæ nominibus adjiciuntur ad vim & oratum.

38 Quæ sunt etc.] Variæ figurarum genera notat.

39 Consecutioque] quam syntaxim Græci

dicunt.  
40 Numeros aures] Non enim oratorum numeri certi sunt, ut Poetici. Itaque cum oratio soluta numeris dicitur, non id absolute intelligi debet: est enim illi suis quidam necessarius numerus, qui ex pedibus oritur; sed in carmine certa est atque aperta pedum dimensio, in oratione laetens, & ad aurium iudicium libera; carmen ubique simile sibi una ferre clauduntque ratione, oratio modo breviorum circuitum habet, modo longiorum; tractatae omni atque ordine verborum variæ est, ubique dissimilis.

quod non est consequens, vituperandum est. Communia autem simplicium, conjunctorumque sunt hæc quinque quasi lumina, dilucidum, breve, probabile, illustre, suave. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, <sup>41</sup> dispositis aut circumscriptioe conclusa, aut intermissione, aut <sup>42</sup> concisione verborum. Obscurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut <sup>43</sup> inflexione atque immutatione verborum. Brevitas autem conficitur simplicibus verbis, semel unaquaque re dicenda; nulli rei, nisi, ut dilucide dicas, serviendo. Probabile autem genus est orationis, si non nimis est contemptum, atque expositum, si est auctoritas & pondus in verbis, si sententiæ vel graves, vel aptæ opinionibus hominum, & moribus. Illustris autem oratio est, si & verba gravitate delecta ponuntur, & translata, & superlata, & ad nomen adjuncta, & duplicata, & idem significantia, atque ab ipsa actione, atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim hæc pars orationis, quæ rem constituat præne ante oculos. Is enim maxime sensus attingitur; <sup>44</sup> sed cæteri tamen, & maxime mens ipsa moveri potest. Sed quæ dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum. Altero fit ut intelligamus, altero vero, ut videre videamur. Suave autem genus erit dicendi, primum elegantia & jucunditate verborum sonantium, & lenium; deinde conjunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disjunctos, atque hiantes; & sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatque similitudinem, æqualitatemque verborum; tum ex contrariis sumpta verbis; <sup>45</sup> crebra crebris, paria paribus respondeant, relataque ad idem verbum; & geminata, atque duplicata, vel etiam sæpius iterata ponantur; constructioque verborum tum conjunctionibus copuletur,

<sup>41</sup> *Dispositis &c.* ] Ita distributis & collocatis, ut latus fusi & conclusa sit oratio, aut intermissa, & concisa.

<sup>42</sup> *Concisione verborum* ] Vacat *et verborum*. Quid enim significat oratio *verbis dispositis concisione verborum?*

<sup>43</sup> *Inflexione* ] figuratis verbis.

<sup>44</sup> *Sed ceteri tamen* ] Quid est hoc, aut quo spectat? Malim *sed & ceteri* idem ceteri sensus.

<sup>45</sup> *Crebra crebris* ] Videtur desisse *et ante crebra*, ut cohereret oratio, & recta feratur consecutione.

tur, tum dissolutionibus relaxetur. Fit etiam suavis oratio, cum aliquid aut <sup>46</sup> invisum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quicquid est admirabile, maximeque movet ea, quæ motum aliquem animi miscet, oratio; quæque significat oratoris ipsius amabiles mores: qui exprimuntur, aut <sup>47</sup> significando iudicio ipsius ex animo humano ac liberali, aut <sup>48</sup> inflexione sermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur, idque comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa sunt suavitatis præcepta, quæ orationem aut <sup>49</sup> magis obsecram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum.

VII. FILIUS. Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione, atque mutata. PATER. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum: quæ simplicibus in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. <sup>50</sup> Ex verbo, cum aut proprium, aut idem significans, aut factum verbum in plura verba diducitur. <sup>51</sup> Ex oratione, cum aut definitio ad unum verbum revocatur, aut assumpta verba removentur, aut <sup>52</sup> in circuitus dirigitur, aut in conjunctione fit unum verbum ex duobus. In conjunctis autem verbis <sup>53</sup> triplex adhiberi potest commutatio, non verborum, sed ordinis tantummodo: ut, cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulit, invertatur ordo, & idem quasi sursum versus, retroque dicatur; deinde idem intercise, atque permixte. Eloquenti autem exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur. FILIUS. Actio igitur sequitur, ut opinor. PATER. Est ita: quæ quidem oratori & cum rerum, & cum verborum <sup>54</sup> momentis com-

<sup>46</sup> *Invisum* ] non visum, inopinatum.

<sup>47</sup> *Significando iudicio* ] Aperiendo iudicio suo de re aliqua, unde apparet ejus comitas.

<sup>48</sup> *Inflexione sermonis* ] cum laudem suam minuit, atque alienam auget, ut contra existimetur ab auditoribus.

<sup>49</sup> *Magis obsecram, aut minus probabilem* ] Malim *minus obsecram, aut magis probabilem*: nec desunt MSS. codices, qui confir-

ment conjecturam hanc, ut observavit doctissimus Jeshua Lagomartius, a nobis interrogatus.

<sup>50</sup> *Ex verbo* ] In orationem.

<sup>51</sup> *Ex oratione* ] In verbum.

<sup>52</sup> *In circuitus* ] Per periodum.

<sup>53</sup> *Triplex* ] Vel rectus est ordo, vel invertus, vel permixtus.

<sup>54</sup> *Momentis commensata* ] aptanda rerum & verborum significationibus.

commutanda maxime est. Facit enim & dilucidam orationem, & illustrem, & probabilem, & suavem; non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu, quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, ejuſque vim ac varietatem subsequenter. **FILIUS.** Num quidnam de oratore ipſo reſtat? **PATER.** Nihil sane, præter memoriam, quæ est <sup>54</sup> gemina literaturæ quodammodo, & in diffimili genere perſimilis. Nam ut illa conſtat ex notis literarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ: sic conſectio memoriæ, tanquam cera, locis utitur, & in his imagines, ut literas, collocat.

**VIII. FILIUS.** Quoniam igitur vis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere? **PATER.** Quatuor eſſe ejus partes; quarum <sup>55</sup> prima, & poſtrema ad motum animi valet: is enim initiis eſt, & perorationibus concitandus. Secunda, narratio; & tertia, confirmatio, fidem facit orationi. Sed <sup>56</sup> amplificatio quoniam habet proprium locum, ſæpe etiam primum, poſtremum quidem ſere ſemper, tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximeque cum aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet. Eſt enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, ut illa docendi cauſa ſit; hæc, commovendi. **FILIUS.** Perge igitur ordine quatuor mihi iſtas partes explicare. **PATER.** Faciam, & a principiis primum ordiar. Quæ quidem ducuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. Quorum primus locus eſt in perſonis noſtris, diſceptatorum, adverſariorum: e quibus initia benevolentię conciliandę comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maxime liberalitatis, officii, juſtitię, fidei; contrariis rebus in adverſarios conferendis, & cum iis, <sup>57</sup> qui diſce-

<sup>54</sup> Gemina literaturæ ] Velut altera literaturæ ſeu ſcriptio. Alii leg. germana literaturæ. Loquitur autem Cicero de memoriæ artiſticioſa.

<sup>55</sup> Prima & poſtrema ] Exordium & peroratio.

<sup>56</sup> Amplificatio ] Pertinet ad motum animi, & locum ſæpe habet in exordio, ſere ſemper in peroratione, intendum in media oratione.

<sup>57</sup> Qui diſceptant ] cum iis, qui judicaturi ſunt, communicata cauſa noſtra.

diſceptant, aliqua conjunctionis aut cauſa, aut ſpe ſignificanda; & ſi in nos aliquod odium, offenſive collata ſit, tollenda ea, minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut <sup>58</sup> compenſando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur, & attente, a rebus ipſis ordiendum eſt. Sed facillime auditor diſcit, & quid agatur, intelligit, ſi complectare a principio genus, naturamque cauſa, ſi definiat, ſi dividat, ſi neque <sup>59</sup> prudentiam ejus impediatur conſuſione partium, nec memoriæ multitudinem: quæque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri. Ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua conſequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut neceſſaria, aut conjuncta cum ipſis, apud quos res ageatur. Sit autem hoc etiam in præceptis, ut, ſi quando tempus ipſum, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio, aut ab adverſario dictum aliquod, & maxime in perorando, dederit occaſionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid <sup>60</sup> ad tempus apte, ne derelinquamus: & quæ ſuo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum præcepta transferri.

**IX. FILIUS.** Quid? in narratione quæ tandem obſervanda ſunt? **PATER.** Quoniam narratio eſt rerum explicatio, & quædam <sup>61</sup> quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendę fidei, ea ſunt in ea ſervanda maxime, quæ etiam in reliquis ſere dicendi partibus; quæ partim ſunt neceſſaria, partim ſunt aſſumpta ad ornandum. Nam ut dilucide probabiliterque narremus, neceſſarium eſt; ſed aſſumimus etiam ſuavitatem. Ergo ad dilucide narrandum, eadem illa ſuperiora explicandi & illuſtrandi præcepta repetemus, in quibus eſt brevitatis; eaque ſapiffime in narratione laudatur, de qua ſupra dictum eſt. Probabilis autem erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis ea, quæ narrabuntur, conſentient; ſi cujuſque facti & eventi cauſa ponetur; ſi reſtata dici videbuntur; ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum more, cum religio-

<sup>58</sup> Compenſando ] Meritis commemoratis.

<sup>59</sup> Prudentiam ejus ] Intellectum judicis.

<sup>60</sup> Ad tempus apte ] commode & urbane.

<sup>61</sup> Quaſi ſedes &c. ] Narratio enim viam

ſeruit, & quaſi ſedem parat probationibus.

ne conjuncta; si probitas narrantis significabitur, <sup>61</sup> si antiquitatis memoria, si orationis veritas, & vitae fides. Suavis autem narratio est, quae habet admirationes, expectationes, exitum inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, latitias, cupiditates. Sed jam ad reliqua pergamus. FILIUS. Nempe ea sequuntur, quae ad faciendam fidem pertinent. PATER. Ita est: quae quidem in confirmationem, & reprehensionem dividuntur. Nam in confirmando nostra probare volumus; in reprehendendo redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut <sup>62</sup> fit, necne fit; aut quid fit; aut quale fit, quaritur: in primo conjectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. FILIUS. Teneo istam distributionem. Nunc conjecturæ locos quaro.

X. PATER. In verisimilibus, & in <sup>63</sup> propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat; ut adolescentiam procliviorē esse ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus, & quasi membris narrationis. Ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, <sup>64</sup> in eventis, in rerum ipsarum negotiorumque naturis. In personis naturæ primum spectantur, valetudinis, figuræ, virium, ætatis, marium, foeminarum; atque hæc quidem in corpore: animi autem, aut quemadmodum affecti sunt, virtutibus, vitiis, artibus, inertis; aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque hæc quidem in natura spectantur. In fortuna, genus, amicitia, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitia, libertas, & ea, quæ sunt iis contraria. In locis autem & illa naturalia, maritimi, an remoti a mari; plani, an mon-

<sup>61</sup> Si antiquitatis memoria ] Si vetula exempla commemorabit: quod facere solent graves & mores antiqui homines.

<sup>62</sup> Fit, necne fit ] His tribus questionibus si addas quartam *quid sit*, Philosophum ex Rhetore facies, ut est apud Aristotelem lib. 2. Posteriorum Analyticorum cap. 1.

<sup>63</sup> Propriis rerum notis ] Certis signis,

que Aristoteles in primo Rhetoricorum *taxi* vocat, & potissima sunt ad solvendam questionem *an sit*.

<sup>64</sup> In eventis ] Hic eventa dicit, infra *eventus*, id est ea quæ ex factis eveniunt. Lucianus Lib. 1. v. 457. *eventa* vocat *ta quæ sunt*, *Beata*, *accidentia*.

tos; laves, an asperi; salubres, an pestilentes; opaci, an aprici: & illa fortuita, culti, an inculti; celebres, an deserti; <sup>65</sup> coadificati, an vasti; obscuri, an rerum gestarum vestigiis nobilitati; consecrati, an profani.

XI. In temporibus autem, presentia, & praterita, & futura cernuntur. In his ipsis, vetusta, recentia, instantia paullo post, aut aliquando futura. Insunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, æstas, autumnus; aut anni tempora, ut mensis, ut dies, ut nox, hora, tempestas, quæ sunt naturalia. Fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiæ. Jam facta, & eventus, aut consilii sunt, aut imprudentiæ; quæ est aut in casu, aut in quadam animi permotione: casu, cum aliter accidit, ac putatum fit: permotione, cum aut oblitio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permovet. Est etiam <sup>66</sup> in imprudentia necessitas ponenda. Rerum autem bonarum & malarum tria sunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. Hujus igitur materiæ, ad argumentum subiectæ, perlustrandæ animo partes erunt omnes, & ad id, quod agetur, ex singulis conjectura capienda. Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti <sup>67</sup> vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, & eorum aliquid, quod sensu percipi possit: etiam, si præparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum. Verisimilia autem partim singula movent suo pondere; partim, etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen, cum sunt <sup>68</sup> coacervata, proficiunt. Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam certæ rerum & propriæ notæ. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri, primum exemplum; deinde introducta rei <sup>69</sup> similitudo; <sup>70</sup> fabula et-

Tom. I.

<sup>65</sup> Coadificati ] Verbum *coadifico* usurpavit Cicero etiam in l. 13. ad Attic. ep. 33. quod cum Manutius conquirere non posset, locum illum mutare conatus est.

<sup>66</sup> In imprudentia ] Ex ipsa quoque imprudentia oriuntur interdum eventus necessarii.

<sup>67</sup> Vestigiis ] Notis & signis.

<sup>68</sup> Coacervata ] Si enim valere nequeunt.

I i i i iam quia magna, valent quia multa, & induunt vim propriæ ac necessariæ notæ.

<sup>69</sup> Similitudo ] Ad similitudinem collatio pertinet, quæ definitur in lib. 1. de invent. cap. 30. *oratio veri cum re ex similitudine confertur*.

<sup>70</sup> Fabula ] Quam parabolam vocant.



iam nonnunquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet.

XII. FILIUS. Quid? definitionis quae ratio est, & quae via? PATER. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, & <sup>71</sup> proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna dissensio, definiendum est saepe ex contrariis, saepe etiam ex dissimilibus, saepe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere saepe aptae, & enumeratio consequentium; in primisque commovet <sup>72</sup> explicatio vocabuli ac nominis. FILIUS. Sunt exposita iam fere ea, quae de facto, quaeque de facti appellatione quaruntur. Nempe igitur ea restant, quae, cum factum constet, & nomen, <sup>73</sup> qualia sunt, vocatur in dubium. PATER. Est ita, ut dicis. FILIUS. Quae sunt igitur in eo genere partes? PATER. Aut jure factum defenditur, aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiae, aut religionis, aut patriae nomine, aut denique necessitate, incerta, casu. Nam quae motu animi, & perturbatione facta sine ratione sunt; ea defensionem contra crimen, in legitimis judiciis non habent, in <sup>74</sup> liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo, quale sit, quaeritur, <sup>75</sup> ex controversia, jure & recte actum sit, quaeri solet: quorum disputatio ex <sup>76</sup> locorum descriptione sumenda est. FILIUS. Ageis ergo, quoniam in confirmationem & reprehensionem diviseras orationis fidem, & dictum de altero est; expone nunc de reprehendendo. PATER. Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumperit, si scilicet, aut fallum esse possis docere: aut redarguenda ea, quae pro verisimilibus sumpta sunt; primum dubia sumpta est

<sup>71</sup> Proprietate ] Hac voce naturalem intelligit rei differentiam, & affectionem necessariam, quae ex differentia oritur, diciturque a Logice proprio quarto modo.

<sup>72</sup> Explicatio vocabuli ] notatio, & ea quae a Scholasticis nominibus definitio vocatur.

<sup>73</sup> Qualia sunt ] Cum constet an sit, & quid sit, quaerendum quale sit.

<sup>74</sup> Liberis disceptationibus ] In quibus ju-

dices non ex juramento & lege sententiam ferunt, sed ex aequo & bono pro arbitrio judicant.

<sup>75</sup> Ex controversia ] Ex lite orta quaeritur, num id quod factum esse constat, recte & jure factum sit. Quae potero hac finita revocatur ad infinitam aequale sit.

<sup>76</sup> Locorum descriptione ] Ex locis argumentorum, quas Rhetores describunt.

se pro certis, deinde etiam in perspicue falsis eadem posse dici: tum ex iis, quae sumperint, non effici, quae velint. Accedere autem oportet <sup>77</sup> ad singula; sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit; conquerenda conditio communis periculi, si ingeniis hominum criminis sit exposita vita innocentium.

XIII. FILIUS. Quoniam unde inveniuntur quae ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo singula tractentur, exspecto. PATER. Argumentationem quarere videris, quae est argumenti explicatio; quae sumpta ex iis locis, qui sunt expositi, consocienda, & <sup>78</sup> distinguenda dilucide est. FILIUS. Plane istuc ipsum desidero. PATER. Est ergo (ut supra dictum est) explicatio argumenti, argumentatio: sed ea conficitur, cum sumperis aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur. Argumentandi autem duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat; alterum se inflectit ad motum. <sup>79</sup> Dirigitur, cum proposuit aliquid, quod probaret, <sup>80</sup> sumpsitque ea, quibus uteretur; atque his confirmatis ad propositum sese retulit, atque conclusit. Illa autem altera argumentatio, quasi retro, & contra <sup>81</sup> prius sumit quae vult, eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, per motis animis jacit ad extremum. Est autem illa varietas in argumentando, & non injucunda distinctio: ut <sup>82</sup> cum interrogamus nosmetipsos, aut percontamur, aut imperamus, aut optamus; quae sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. <sup>83</sup> Vitare autem similitudinem poterimus, non sem-

<sup>77</sup> Ad singula ] Quia verisimilia multa sunt posita, oportet singula evertere, ut redarguantur universa.

<sup>78</sup> Distinguenda ] Per partes clare exponenda.

<sup>79</sup> Dirigitur ] *προδίδωμι*, unde *προδίδωμι*, *προσέτι*, quam Logici in scholis majorem vocant.

<sup>80</sup> Sumpsitque ] Hac est, quae a Scholasticis dicitur *sumptio*, a Latinis *sumptio*, vel *assumptio*, Graece *ἄρτησις*. In hac igitur reba argumentatione proceditur ordine a propositione ad summationem, a summatione ad con-

clusionem.  
<sup>81</sup> Prius sumit ] Incipit a summatione, v. g. *Milo insulatum Clodium interfecit*. Postea retro pergit ad propositionem, *omnis insulatarum sunt interfecit*.

<sup>82</sup> Cum interrogamus ] Cum argumentamur per interrogationem, aut per alias figuras, imperantes aliquid, aut optantes, unde oritur vis argumenti.

<sup>83</sup> Vitare ] Significat quae omitti possunt in tribus argumentationis partibus, ut varietur oratio, modo fiat sine incommodo causae nostrae.

per a proposito ordientes; & si non omnia confirmando disputabimus, breviterque interdum, quæ erunt satis aperta, ponemus; quodque ex his efficietur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere.

XIV. FILIUS. Quid? illa, quæ sine arte appellantur, quæ jam dudum assumpta dixisti, æquonam modo, æquonam loco artis indigent? PATER. Illa vero indigent: nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, & maxime in testibus. Nam de toto genere testium, <sup>84</sup> quam id sit infirmum, sæpe dicendum est: & argumenta rerum esse propria; <sup>85</sup> testimonia, voluntatum; utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit: & <sup>86</sup> de singulis testibus, si natura vani, si læves, si cum ignominia, si ipse, si metu, si iracundia, si misericordia impulsus, si præmio, si gratia adducti; <sup>87</sup> comparandique superiore cum auctoritate testium, quibus tamen creditum non sit. Sæpe etiam questionibus <sup>88</sup> resistendum est, quod & dolorem fugientes multi in tormentis e mentiti per sepe sunt; morique maluerunt falsum fatendo, quam insitiando dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipsi sibi essent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii, aut mortis, vim tormentorum perulerunt. Alii e mentiti sunt in eos, quos oderant. Atque hæc exemplis firmanda sunt. Neque est obscurum, quin (quoniam <sup>89</sup> in utraque parte sunt exempla, & item ad conjecturam faciendam loci) in contrariis contraria sint sumenda. Atque etiam incurrit alia quædam in testibus, & in questionibus ratio. Sæpe enim ea, quæ dicta sunt, si aut ambigue, aut

inco-

<sup>84</sup> Quæ si infirma ] Dicendum argumenta a testimonio dicta esse infirma, nec rerum natura nisi, sed ab hominum voluntate pendere.

<sup>85</sup> Testimonia voluntatum ] Testes fore cupide loquuntur: ideoque per exempla ostendendum, quam multis creditum non sit.

<sup>86</sup> De singulis ] Oppugnata in universum testium fides, ad singulos veniendum.

<sup>87</sup> Comparandique ] Comparandi sunt cum

testibus dignioribus aliarum causarum, quibus tamen recte fides negata est.

<sup>88</sup> Resistendum est ] Evertenda confessio tormentis expressa.

<sup>89</sup> In utraque parte ] Malim in utramque partem. Significat enim & testimonia & questiones per contraria confirmari posse, si ad causam nostram uti velimus. Sunt enim loci & exempla in partem utramque.

inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

XV. FILIUS. Extrema tibi pars restat orationis, quæ posita in perorando est, de qua sane velim audire. PATER. Facilius est explicatio perorationis. Nam est divisa in duas partes, amplificationem & enumerationem. Augendi autem & hic est proprius locus in perorando; & in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa. Est igitur amplificatio gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur, & rerum. Verba ponenda sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu sunt abhorrentia, gravia, plena, sonantia, <sup>90</sup> juncta, <sup>91</sup> facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primitivè translata, <sup>92</sup> nec in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quæ dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam <sup>93</sup> relata verba, iterata, duplicata, & ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora: omninoque semper quasi <sup>94</sup> naturalis, & non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatio. Hæc igitur in verbis; quibus actio voce, vultu, & gestu congruens, & apta ad animos permovendos, accommodanda est. Sed & in verbis, & in actione <sup>95</sup> causa erit tenenda, & pro re agenda. Nam hæc, quia videntur perabsurda, cum graviora sunt, quam causa fert; diligenter, quid quemque deceat, judicandum est.

XVI. Rerum amplificatio sumitur eisdem ex locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem: maximeque definitiones valent conglobatæ, & <sup>96</sup> consequentium frequentatio, &

<sup>90</sup> Juncta ] Juncta verba dicuntur, quæ composita ex aliis sunt. Ita *juncta oratio* apud Quintilianum l. 9. c. 4. opponitur *incomposita*.

<sup>91</sup> Facta ] Quæ ab Oratore ipso formantur.

<sup>92</sup> Nec in singulis verbis ] Malim novam hinc periodum incipere, & pro *nec* legere *hæc*. Accedit fides MS. codicis Florentini, quem inscripsit ropani meo laudatus Lagomastinus.

<sup>93</sup> Relata &c. ] Hæc pertinent ad verborum figuras, cum aliis aliis referuntur, iterantur, duplicantur.

<sup>94</sup> Naturalis, & non explanata ] Sponte fluens, nec studio complanata.

<sup>95</sup> Causa tenenda ] Cognoscendum, quid causa exigit: aliter, quæ gravia videntur, absurda sunt. In rebus omnibus videndum, quid, & quantum deceat.

<sup>96</sup> Consequentium frequentatio ] Enumeratio malorum, quæ consequi possunt.

contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio; & causæ, & ea, quæ sunt de causis orta, maximeque similitudines, & exempla; fictæ etiam personæ, muta denique loquantur; omninoque ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur: quorum est duplex genus. Alia enim magna natura videntur, alia usu. Natura, <sup>97</sup> ut cælestia, ut divina, ut ea, <sup>98</sup> quorum obscuræ causæ, ut, in terris, mundoque admirabilia quæ sunt: ex quibus, similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt. Usu, quæ videntur hominibus aut prodesse, aut obesse vehementius: quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines; ut deorum, ut patriæ, ut parentum; aut amore; ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium: aut honestate; ut virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum & liberalitatem valent. Ex his & cohortationes sumuntur ad ea retinenda: & in eos, a quibus ea violata sunt, odia incitantur, & miseratio nascitur.

XVII. Proprius locus augendi in his rebus aut amissis, aut amittendi periculo: nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si bona ex fortuna quis cadat; & a quorum caritate divellatur, quæ amittat, aut amiserit: in quibus malis sit, futuræve sit, <sup>99</sup> exprimat breviter. Cito enim arefcit lacryma, præsertim in alienis malis. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est. Minuta est enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit.

Illud jam est iudicii, quo quaque in causa genere utamur augendi. In illis enim causis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi sunt, qui movere possunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem, bonorum ac malorum enumerationes & exempla valent plurimum. In iudiciis accusatori fere, quæ ad iracundiam; reo plerum-

<sup>97</sup> Ut cælestia, ut divina ] Ideæ quæ in cælo apparent, quæque vates & aruspices ex mente deorum aperiant.

<sup>99</sup> Exprimat breviter ] Ita in fine lib. 2. ad Herenn. enumerationem brevem esse oportet.

<sup>98</sup> Quorum obscuræ causæ ] Obscure & pro-

plerumque, quæ ad misericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiam movere debet, & defensor iracundiam. <sup>100</sup> Enumeratio reliqua est, nonnunquam laudatori, suavori non sæpe, accusatori sæpius, quam reo, necessaria. Hujus ipsa tempora duo sunt, si aut memoria diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis; aut <sup>1</sup> frequentatis firmamentis orationis, & breviter expositis, vim est habitura causa majorem. Et <sup>2</sup> reo rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria: quorum dissolutio in brevitate latebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriae suscepta videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet; sed <sup>3</sup> breviter singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

XVIII. FILIUS. Quoniam & de ipso oratore, & de oratione dixisti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum proposuisti, quæstionis locum. PATER. Duo sunt, ut initio dixi, quæstionum genera: quorum alterum finitum temporibus & personis, causam appello; alterum infinitum, nullis neque personis neque temporibus notatum, propositum voco. <sup>4</sup> Sed est consultatio quasi pars causæ quædam & controversiæ. Inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius de proposito dicamus. Ejus genera sunt duo; cognitionis alterum, cujus scientia est finis, ut <sup>5</sup> verine sint sensus; alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid, ut, si queratur, quibus officiis amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria; sit, necne; quid sit; quale sit: Sit, necne; ut, <sup>6</sup> jus in natura sit, an in mora. Quid autem sit; sitne jus, id, <sup>7</sup> quod majori parti sit utile. Quale autem sit; <sup>8</sup> juste vivere, sit, necne utile.

Actio.

<sup>100</sup> Enumeratio ] epilogus, quæ altera pars est perorationis.

<sup>1</sup> Recurrentis firmamentis ] Recitatis per brevem enumerationem argumentis.

<sup>2</sup> Reo rarius ] Quia reus contra ire debet, & objecta crimina dissolvere. Cum autem objecta breviter, dissolvi breviter non possint, aculeos relinquat in animis iudicum.

<sup>3</sup> Breviter singula ] Fortasse legendum leviter singula. Nam hæc modo attingenda. Mavertius leg. brevis.

<sup>4</sup> Sed est consultatio ] Ideæ propositum. Nec desunt Codices MSS. qui propositum habent.

<sup>5</sup> Verine sint sensus ] Ut ajebant Epicuri, qui in sensibus ponebant veritatis criterium.

<sup>6</sup> Jus in natura ] Vide Lib. 1. de Leg. 2. Quod majori parti etc. ] populo, an melioribus.

<sup>8</sup> Juste vivere etc. ] Quod in libris Officiorum a Cicerone ipso examinatur.

Aktionis autem duo sunt genera. Unum, ad persequendum aliquid, aut declinandum: ut, quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo invidia vitetur. Alterum, quod ad aliquod commodum, utrumque refertur: ut, quemadmodum sit respublica administranda, aut, quemadmodum in paupertate vivendum. Rursum autem ex cognitionis consultatione, ubi, sit, necne sit, aut fuerit, futurumve sit, queritur, unum genus est questionis, possitne aliquid effici: ut, cum queritur, equisnam perfecte sapiens esse possit. Alterum, quemadmodum quidque fiat: ut, quonam pacto virtus pariat: naturane, an ratione, an usu. Cujus generis sunt omnes, in quibus, ut in obscuris naturalibusque questionibus, causa rationeque rerum explicatur.

XIX. Illius autem generis, in quo, quid sit id, de quo agitur, queritur, duo sunt genera; quorum in altero disputandum est, aliud, an idem sit, ut pertinacia & perseverantia: in altero autem descriptio generis alicujus, & quasi imago exprimenda est, ut, qualis sit avarus, aut quid sit superbia. Tertio autem in genere, in quo, quale sit, queritur, aut de honestate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum est. De honestate sic; ut, Honestumne sit pro amico periculum, aut invidiam subire. De utilitate autem sic; ut, Sitne utile in republica administranda versari. De æquitate vero sic; ut, Sitne æquum, <sup>10</sup> amicos cognatis anteferre. Atque in hoc eodem genere, in quo, quale sit, queritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum queritur, quid honestum sit, quid utile, quid æquum; sed etiam ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid æquius, atque etiam quid honestissimum, quid utilissimum, quid æquissimum: cujus generis illa sunt, que præstantissima sit dignitas vitæ. Atque ea quidem, que dixi, cognitionis sunt omnia. Restant actionis: cujus alterum est præcipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet, ut, quemadmodum colendi sint parentes: alterum autem ad sedandos

<sup>9</sup> Aliud, an idem sit. ] In Topicis cap. 22. genus hoc appellatur de eodem & alio, diciturque finitimum definitioni.

<sup>10</sup> Amicos cognatis ] Vide lib. 7. de Officiis cap. 17. & de Amicitia cap. 5.

animos, & oratione sanandos, ut in consolandis mœroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione sæpe faciendum est, vel gignendos vel concitandos. Atque hæc fere est partitio consultationum.

XX. FILIUS. Cognovi: sed quæ ratio est in his inveniendi, & disponendi, requiro. PATER. Quid? tu aliamne censes, & non eandem esse, quæ est exposita, ut ex eisdem locis ad fidem, & ad inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur. Cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, causarum genera restant omnino. Et earum quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium; alterius, ut obrineat, probet, & efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius, exornatio dicitur: quod cum latum genus esse potest, sanæque varium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscepimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum, vitiarumque versetur. Reliquum autem genus causarum, aut in provisione posteritatis, aut in præteriti disceptatione versatur: quorum alterum deliberationis est, alterum judicii. Ex qua partitione tria genera causarum exstiterunt: unum, quod a meliori parte, laudationis est appellatum; deliberationis alterum; tertium judiciorum. Quamobrem de primo primum, si placet, disputemus. FILIUS. Mihi vero placet.

XXI. PATER. Ac laudandi vituperandique rationes, quæ non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste vivendum valent, exponam breviter, atque a principiis exordiar & laudandi & vituperandi. Omnia enim sunt profecto laudanda, quæ conjuncta cum virtute sunt; & quæ cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius

Tom. I.

K k k k

<sup>11</sup> A meliori parte ] Quia melius est laudare, quam vituperare, genus hoc a primo nomen sumpsit. Fortasse legendum meliore.

Cicero enim casu hujusmodi esse solet per e.

turpido. Conscitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis, quæ ante dicta sunt, & narrandi, & augendi præcepta repetentur. Et, quoniam in his causis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris & ad delectationem refertur, utendum erit iis in oratione singulorum<sup>11</sup> verborum insignibus, quæ habent plurimum suavitatis: id est, ut factis verbis, aut versutis, aut translatis frequenter utamur; & in ipsa constructione verborum, ut paria paribus, & similia similibus sæpe referantur; ut contraria, ut geminata, ut circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quasi quodam verborum modo. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, sive quæ admirabilia, & nec opinata, sive<sup>12</sup> significata monstris, prodigiis, & oraculis, sive quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidisse divina, atque fatalia. Omnis enim expectatio ejus, qui audit, & admiratio, & improvisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem.

XXII. Sed quoniam in tribus generibus bona, malave verfantur, externis, corporis, & animi; prima sunt externa, quæ dicuntur a genere: quo breviter modiceque<sup>13</sup> laudato, aut, si erit infame, prætermisso, si humile, vel præterito, vel ad augendam ejus, quem laudas, gloriam, tacto; deinceps, si res patiat, de fortunis erit, & facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis; in quibus quidem, quæ virtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum, quorum collocatio triplex est. Aut enim temporum servandus est ordo, aut in primis recentissimum quodque dicendum, aut multa & varia facta in pro-

<sup>11</sup> Verborum insignibus ] Significat verborum figuras.

<sup>12</sup> Significata monstris etc. ] De omnibus fere antiquitatis viris, qui ad summum vel dignitatis, vel virtutis fastigium pervenerunt,

talia quadam narrari a laudatoribus solent.

<sup>13</sup> Laudato ] Alii lep. casto. Attingi autem potest genus humile, quemadmodum summi attingit (Marius apud) Salustium de Bello Jugurthino in concione ad Quirites.

propria virtutum genera sunt dirigenda. Sed hic locus virtutum, atque virtiorum latissime patens, ex multis & variis disputationibus nunc in quandam angustam & brevem concluditur. Est igitur vis virtutis duplex.<sup>14</sup> Aut enim scientia cernitur virtus, aut actio. Nam, quæ prudentia, quæ calliditas, quæque gravissimo nomine sapientia appellatur, hæc<sup>15</sup> scientia pollet una. Quæ vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo; cui temperantiæ nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus, domestica; in publicis, civilis appellari solet. Temperantia autem in suas itidem res, & in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis discernitur; & ea, quæ absunt, non expetendo, & ab iis, quæ in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommotis est itidem duplex. Nam quæ venientibus malis obstat, fortitudo; quæ, quod jam adest, tolerat & perfert, patientia nominatur. Quæ autem hæc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur;<sup>16</sup> cujus est liberalitas in usu pecuniæ; simulque altitudo animi in capiendis incommotis, & maxime injuriis, & omne quod est ejus generis, grave, sedatum, non turbulentum.<sup>17</sup> In communione autem quæ posita pars est, justitia dicitur; eaque erga deos<sup>18</sup> religio, erga parentes pietas, vulgo autem<sup>19</sup> bonitas; creditis in rebus, fides; in moderatione animadvertendi, lenitas, amicitia in benevolentia nominatur.

XXIII. Atque hæc quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliæ quasi<sup>20</sup> ministræ, comitesque sapientiæ: quarum altera, quæ sint in disputando vera, atque falsa, quibusque positis quid sequatur, distinguit & judicat; quæ virtus omnis in ratione scientiaque disputandi sita est. Altera autem

K k k k 2 orato-

<sup>14</sup> Aut scientia cernitur etc. ] Vide lib. 1. de Offic. cap. 5.

<sup>15</sup> Scientia pollet una ] Tota ad cognitionem & veritatem refertur.

<sup>16</sup> Cuius est liberalitas ] In lib. 1. Offic. cap. 14. liberalitatem refert ad justitiam.

<sup>17</sup> In communione ] In societate tuenda.

<sup>18</sup> Religio ] Hæc ipsa refertur ad societatem & justitiam. Est enim (libro 1. de Na-

tura Deorum. cap. 21.) pietas justitia adversus Deos.

<sup>19</sup> Bonitas ] Ita in lib. 2. de Offic. cap. 9. iustum eundem facit ac bonum.

<sup>20</sup> Ministræ ] Dialectica & Rhetorica ad scientiam & prudentiam pertinent tanquam comites ac ministræ.

Sal istæ quoque valde conveniunt inter se, nec differunt nisi modo quodam.

oratoria: nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia; quæ ex eodem hausta genere, quo illa, quæ in disputando, uberior est, atque latior, & ad motus animorum, vulgique sensus accommodatior. Custos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. Atque hi sunt quidem fere quasi <sup>22</sup> quidam habitus animi, sic affecti & constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti; a quibus ut quæque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis. <sup>23</sup> Sunt autem alii quidam perfecti animi habitus ad virtutem quasi præculti & preparati rectis studiis & artibus, ut <sup>24</sup> in suis rebus, studia literarum, ut numerorum, ut sonorum, ut mensura, ut fiderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum. <sup>25</sup> In communibus, propensiora studia in aliquo genere virtutis præcipue colendo, aut divinis rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus, præcipue atque insigniter diligendis. Atque hæc quidem virtutum. Vitiolorum autem sunt genera contraria. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iustitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam <sup>26</sup> disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profuflentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quæ sunt in eodem genere <sup>27</sup> nimia. Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorumque parti-

<sup>22</sup> *Quidam habitus* ] Virtutes omnes sive ad cognitionem, sive ad actionem referuntur, habitus quidam sunt per quos honeste & laudabiliter agimus.

<sup>23</sup> *Sunt autem etc.* ] Alii habitus, qui rectis studiis & artibus hominem præparant ad virtutem.

<sup>24</sup> *In suis rebus* ] In rebus privatis. Grammatica enim, Arithmetica, Musica, Geom-

tria ad privatum commodum referuntur.

<sup>25</sup> *In communibus* ] In iis, quæ ad societatis bonum pertinent, versantur habitus illi, qui nos ad iustitiam præparant & ad virtutes reliquas iustitiæ socias.

<sup>26</sup> *Disputandi prudentiam* ] Idem Dialecticam, quam imitatur Sophistica.

<sup>27</sup> *Nimiam* ] Excessus qui sui generis virtutibus assimilatur.

partibus: sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maxime, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum institutus, moratusque fuerit: & si quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri: tum quæ quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quæ proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur, ex illisque iisdem inveniendi locis causæ rerum, & eventus, & consequentia requiruntur. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri debet, si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quæ post mortem erunt consecuta.

XXIV. ELLIUS. Accepi ista, didicique breviter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, ut possem ipse jure laudari. Videamus igitur deinceps, <sup>28</sup> in sententia dicenda quam viam, & quæ præcepta teneamus. PATER. Est igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia ita referuntur in consilio dando, sententiaque dicenda, ut illa prima sint suavori, aut dissuavori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit, & quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam & si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit; & si quid necesse est, (necesse autem id est, sine quo salvi, liberive esse non possumus) id est reliquis & honestatibus in civili ratione, & commodis anteponendum. Cum autem quaritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit. Nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint. Et cum de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario sæpe habetur. Itaque cum constet hoc genus causarum ex suavione, & dissuavione, suavori proponitur simplex ratio; si & utile est, & fieri potest, fiat: dissuavori duplex; una, si non utile est, ne fiat; altera, si fieri non potest, nec suscipiatur. Sic <sup>29</sup> suavori utrumque do-

<sup>28</sup> *In sententia dicenda* ] Idem in deliberationibus.

<sup>29</sup> *Suavori utrumque* ] Et esse utile, & fieri posse.

cendum est, dissuasi alterum infirmare sat est. Quare, quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quæ in discernendis bonis, malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, conjuges, germani, parentes; partim non necessaria, quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quæ sita sunt in officiis, atque virtutibus; alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes & copie. Eorum autem, quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honestate ea, quæ proficiuntur ab iis virtutibus, de quibus paulo ante est dictum; quæ sunt laudabilia ipsa per se: commoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis aut fortunæ bonis expetenda. Quorum alia sunt quasi quodam modo cum honestate conjuncta, ut honos, ut gloria; alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiæ, clientela.

XXV. Est etiam quasi quadam materies subiecta honestati; quæ maxime spectatur in amicitiiis. Amicitia autem caritate & amore cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum, patriæque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet. Conjuges autem, & liberi, & fratres, & alii, quos usus familiaritatisque conjunxit, quanquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus cum bona sint, facile est intellegere, quæ sint contraria. Quod si semper optima tenere possemus, haud sane, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quæ vim habent maximam, per sepe evenit, ut <sup>30</sup> utilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit; ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquuntur, ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus. Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui adiunt, accommodanda est oratio; hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera, alterum indoctum & agreste, quod antefert semper

<sup>30</sup> Utilitas cum honestate &c. ] Vide lib. 2. de Offic. cap. 3.

per utilitatem honestati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, justitia, omnisque virtus; illi autem alteri, quæstus, emolumentum, fructusque proponitur, atque etiam voluptas, quæ maxime est <sup>31</sup> inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit.

XXVI. In suadendo, cum <sup>32</sup> ei generi hominum consilium des, sæpe sane laudanda est: <sup>33</sup> & illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. <sup>34</sup> Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam unquam experat, quam ignominiam, infamiam, contumeliam; dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum ad honestatem natum, <sup>35</sup> malo cultu pravique opinionibus corruptum. Quare in cohortando, atque suadendo propositum quidem nobis erit illud, ut doceamus, quæ vi bona consequi, malaque vitare possimus. Sed apud homines bene institutos, plurimum de laude & de honestate dicemus; maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda, augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus; fructus, emolumenta, voluptates, vitæque dolorum proferantur; addantur etiam contumeliæ, atque ignominie. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen & dedecus magnopere moveat. Quare quod ad utilitatem spectat, ex iis, quæ dicta sunt, reperietur. Quod autem possit effici, necne possit, in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat, quari solet, maxime ex causis iis, quæ quamque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura.

<sup>31</sup> Inimica virtuti ] Totum id fuisse explicatur in commentariolo de senectute cap. 12. & seq.

<sup>32</sup> Ei generi ] Indoctis & agrestibus.

<sup>33</sup> Et illud ] Legendum puro ac illud.

Hic enim hominibus laudanda quidem voluptas est, quam consequi possunt; ut magis

agrestium dolores sunt, quos effugient.

<sup>34</sup> Nam usque &c. ] Nam illi ipsi homines, qui sunt expoliti, magis moventur timore turpitudinis, quam amore honestatis.

<sup>35</sup> Malo cultu ] Quidam bonam fortitudinis naturam, mala educatione corrumpunt.

plura. Nam sunt alia, quae ipse conficiunt; alia, quae vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illa superiores conficientes vocantur; haec reliqua ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem causa alia est absoluta, & perfecta per se; alia aliquid adjuvans, & efficiendi socia quadam: cujus generis vis varia est, & saepe aut major, aut minor, ut & illa, quae maximam vim habet, sola saepe causa dicatur. Sunt autem aliae causae, quae aut propter principium, aut <sup>36</sup> propter exitum, conficientes vocantur. Cum autem quaeritur, quid sit optimum factu; aut utilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et, quoniam de utilitate jam diximus, de efficiendi ratione dicamus.

XXVII. Quo toto genere, quibuscum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniae, sociorum, earumve rerum, quae ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quae nobis suppetunt, sed etiam illa, quae adverlantur, videnda. Et, si <sup>37</sup> ex contentione procliviora erunt nostra, non solum effici posse quae suademus, erit persuadendum; sed curandum etiam, ut illa facilia, procliviora, jucunda videantur. Dissuadentibus autem, aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates effrendae, neque aliis ex praecipis, sed iisdem ex suasionis locis. Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam: maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel utilia ac necessaria saepe honestis, vel haec illis anteferre. Ad commovendos autem animos maxime proficiunt, si incitandi erunt, hujusmodi <sup>38</sup> sententiae, quae ad explendas cupiditates, aut ad odium satiandum, aut ad ulciscendas injurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto statu fortunae, dubiisque eventibus rerum futurarum, & retinendis suis fortunis, si erunt secundae; sin autem adversae, de periculo commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis

<sup>36</sup> Propter exitum ] Nam etiam finis a genti propositus tantam vim habet, ut causa conficiens dici possit.

<sup>37</sup> Ex contentione ] Ex comparatione.

<sup>38</sup> Sententiae ] Dicitur quaedam, quae in communibus proverbialis verulantur.

tiis dicendis brevia esse debebunt. Non enim supplex ut ad iudicem, venit orator, sed hortator atque auctor. Quare proponere, quae mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio simplex, & gravis, & sententius debet ornator esse, quam verbis.

XXVIII. FILIUS. Cognovi jam laudationis, & suasionis locos. Nunc, quae judiciis accommodata sunt, exspecto: idque nobis genus restare unum puto. PATER. Recte intelligis. Atque ejus quidem generis finis est <sup>39</sup> aequitas, quae non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam; ut, cum <sup>40</sup> de verissimo accusatore disputatur, aut cum hereditatis <sup>41</sup> sine lege, aut sine testamento petitur possessio: in quibus causis quid aequus, aequissimumve sit, quaeritur: quas ad causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicitur, aequitatis locis. Atque etiam ante iudicium de constituendo ipso iudicio lolet esse contentio, cum aut <sup>42</sup> sine actio illi, qui agit, aut <sup>43</sup> jamne sit, aut num jam esse defierit, aut illane lege, hinc verbis sit actio, quaeritur. Quae etiam si ante quam res in iudicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non sunt; tamen in ipsis judiciis permagnam saepe habent pondus, cum ita dicitur: Plus petisti: sero peristi: non fuit tua petitio: non a me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio. Quarum causarum genus est positum <sup>44</sup> in iure civili; quod est in privatarum, ac publicarum rerum lege, aut more positum; cujus scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. Quare de constituendis actionibus, accipiendis, subeundisque judiciis, <sup>45</sup> de excipienda iniquitate actionis, <sup>46</sup> de comparanda aequitate, quod ea fere generis ejus sunt, ut, quanquam

Tom. I.

LIII

in

<sup>39</sup> Aequitas quae oritur ex interpretatione & sententia iudicis.

<sup>40</sup> De verissimo accusatore ] Cum agitur de optimo & fidelissimo accusatore constituendo, ut sit in Verriana prima, quae Divinatio dicitur.

<sup>41</sup> Sine lege ] Quia defuncti agnati.

<sup>42</sup> Sine actio ] Sit ne actori ius persequendi.

<sup>43</sup> Jamne sit ] An sit hoc tempore.

<sup>44</sup> In iure civili ] Quasi veritatis aequa res privatas ac publicas, quae lege aut consuetudine remanent.

<sup>45</sup> De excipienda etc. ] Excipit & excludit reus actionem, quae actor per injuriam utitur.

<sup>46</sup> De comparanda aequitate ] Cum quaeritur, quid sit aequus.



in ipsum iudicium saepe dilabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur, paululum ea separo a iudiciis, <sup>47</sup> tempore magis agendi, quam dissimilitudine generis. Nam omnia, quae de iure civili, aut de æquo & bono disceptantur, <sup>48</sup> cadunt in eam formam, in qua, quale quid sit, ambigitur, de qua dicturi sumus: quæ in æquitate & iure maxime consistit.

XXIX. In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut, quod objicitur, factum neges: aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod adversarius criminetur: aut, si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat; & rectum esse quod feceris, concedendumve, defendas. Ita primus ille status, & quasi confictio cum adversario, conjectura quadam; secundus autem definitione, atque descriptione, aut informacione verbi; tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet, aliquo statu, aut insitiando, aut desiniendo, aut æquitate opponenda; sed etiam rationem subiciat recusacionis suæ: primus ille status rationem habet <sup>49</sup> iniqui criminis, ipsam negacionem, insitiacionemque facti: secundus, quod non sit in re, quod ab adversario ponitur in verbo: tertius, quod id recte factum esse defendat, quod sine ulla nominis controversia factum fateatur. Deinde unicuique rationi <sup>50</sup> opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea, quæ sic referuntur, continentia causarum vocentur: quanquam non ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsæ defensionis rationes, continent causas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus eam,

<sup>47</sup> Tempore magis ] Quia iudicium ipsum anteceditur.

<sup>48</sup> Cadunt in eam formam ] Quæ qualitas dicitur.

<sup>49</sup> Iniqui criminis ] Primus status est iniquæ criminacionis: negatur enim factum.

In secundo negatur nomen facti. In tertio defenditur iure factum.

<sup>50</sup> Opponendum est ] Rationes, quibus se reus purgat, per ea sunt ab advere evertenda; quæ accusationis firmamenta vocantur, & causam continere dicuntur.

eam, quæ affertur a reo ad recusandum, depellendi criminis causa; quæ nisi esset, quid defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest.

XXX. Ex rationis autem, & ex firmamenti confictione & quasi concursu, questio exoritur quadam, <sup>51</sup> quam disceptationem voco: in qua, quid deveniat in iudicium, & de quo disceptetur, queri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet questionem, ut in conjectura, Ceperitne pecunias <sup>52</sup> Decius. In definitione, Minueritne majestatem Norbani. In æquitate, Jurene occiderit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent <sup>53</sup> ex arguendo & resistendo, lata, ut dixi, & consula sunt. Rationum, & firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem. Ea in conjectura nulla est. Nemo enim ejus, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem & prima questio, & disceptatio est extrema. In illis autem, ubi ita dicitur, <sup>54</sup> Non minuit majestatem, quod egit de Capione turbulentius; populi enim Romani dolor justus vim illam excitavit, non tribuni actio; majestas autem, quoniam est magnitudo quadam populi Romani in ejus potestate, ac iure retinendo, aucta est potius, quam diminuta: & ubi ita refertur, Majestas est <sup>55</sup> in imperii, atque in omni populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit: existit illa disceptatio, Minueritne majestatem, qui voluntate populi Romani rem gratam & æquam per vim egerit.

L I I I 2

rit.

<sup>51</sup> Quam disceptationem Gr. ] Prima questio, quæ universalis est & late patens, intentio, seu contentio dicitur; secunda disceptatio. Ordo istarum questionum, & earum quæ illas excipiunt, explicatur in lib. 2. de Invent. cap. 36.

<sup>52</sup> Decius ] De Decio, & Opimio habes in lib. 2. de Oratore cap. 30. & seq. De Norbano ibid. cap. 21.

<sup>53</sup> Ex arguendo & resistendo ] Prima contentio, Fecit: iure feci. Rationes porro, & firmamenta, quæ subinde afferuntur, pariunt questionem, quæ dicitur conjectura.

Quod si reus respondeat, Non feci, questio in secunda locus non est, quia negantis nulla ratio est.

<sup>54</sup> Non minuit Gr. ] Norbanus Tribunus non minuit majestatem populi Rom. cum Capionem seditionis concionibus agitavit. Indulgit enim publicæ causæ & iusto dolori.

<sup>55</sup> In imperii ] Placet mihi lectio Cod. Florent. MS. in imperii atque nominis populi Romani dignitate. Alii enim ponebant majestatem in æquitate, alii in dignitate imperii & nominis.

rit. In his autem causis, ubi aliquid recte factum<sup>56</sup> aut concedendum, esse factum defenditur, cum est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio, iure feci, salutis omnium, & conservandae reipublicae causa: relatumque est<sup>57</sup> ab Decio, Ne sceleratissimum quidem civem sine iudicio iure ullo necare potuisti: oritur illa disceptatio, Poteritne recte, salutis reipublicae causa, civem, everterem civitatis, indemnatum necare. Ita disceptationes ea, quae in his controversiis oriuntur, quae sunt certis personis, & temporibus notatae, fiunt rursus infinitae, detractisque temporibus & personis, rursus ad consultationis formam rationemque revocantur.

XXXI. Sed in gravissimis<sup>58</sup> firmamentis, etiam illa ponenda sunt, si qua ex scripto legis, aut testamenti, aut verborum ipsius iudicii, aut alicujus stipulationis, aut cautionis opponuntur defensionis contraria. Ac ne hoc quidem genus in casu incurrat, quae conjectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non potest scripto. Ne in definitionem quidem venit<sup>59</sup> genere scripti ipsius. Nam etiam si verbum aliquod de scripto definiendum est, quam vim habeat: ut, cum ex testamentis, quid sit penus, aut cum ex lege praedii queritur, quae sunt rura caelestia: non scripti genus, sed verbi interpretatio controversiam parit. Cum autem<sup>60</sup> plura significantur scripto, propter verbi, aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat, aut velit; aut, etiam si ambiguum scriptum non sit, vel a verbis voluntatem & sententiam scriptoris abducere; vel alio se eadem de re contrarie scripto defendere; tum disceptatio ex scripti contentione existit: ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur; in scripti sententiaeque contentione, utrum potius sequatur iudex; in contrariis scriptis, utrum magis sit comprobandum.<sup>61</sup> Discepta-

<sup>56</sup> Aut concedendum esse factum ] Verba haec omnia videntur redundare. Et laeo defant in tribus codicibus MSS. Florentinis, quos inspicit pro sua erga me bonitate Laurentianus.

<sup>57</sup> Decio ] Accusatore.

<sup>58</sup> Firmamentis ] Argumentis accusatoris.

<sup>59</sup> Quae conjectura ] His neque conjecturae

status, neque definitionis locum habet.

<sup>60</sup> Genere scripti ] Pro genere scripti.

<sup>61</sup> Plura significantur ] Vel scriptum est ambiguum, vel pugnare videtur cum sententia scriptoris, vel pugnat cum alio scripto.

<sup>62</sup> Disceptatio autem ] Quae alio nomine iudicatio dicitur, oriturque ex consilio rationis ac firmamenti.

tio autem cum est constituta, proposita esse debet oratori, quo omnes argumentationes repetita ex inveniendi locis conciliantur. Quod quanquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tanquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habet; tamen ea, quae sunt certarum causarum propria, tangemus.

XXXII. In conjectura igitur<sup>62</sup> cum est in inficiando reus, accusatori haec duo prima sunt (sed accusatorem pro omni actore & peitore appello: possunt enim etiam sine accusatore in causis haec eadem controversiarum genera versari) sed haec duo sunt ei prima, causa, & eventus. Causam appello rationem efficiendi; eventum, id, quod est effectum. Atque ipsa quidem partitio causarum paulo ante in suasionis locis distributa est.<sup>63</sup> Quae enim in consilio capiendi futuri temporis praecipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem; eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debet, quamobrem & utilia illi, quem arguet, fuisse, & ab eo effici potuisse demonstrat. Utilitatis conjectura movetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur: quod fit acrius, quo illa in utroque genere majora ponuntur. Spectantur etiam ad causam facti, motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si injuriae dolor; si honoris, si gloriae, si imperii, si pecuniae cupiditas; si periculi timor, si aes alienum, si angustiae rei familiaris; si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si vinolentus, si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi: aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut si iudicii poena levior, quam facti praemium: aut si facinoris voluptas major, quam damnationis dolor. His fere rebus facti suspicio confirmatur, cum & voluntatis in reo causae reperiuntur, & facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicujus commodi, vitiationeque alicujus incom-

<sup>62</sup> Cum est in inficiando ] Cum reus inficiatur.

<sup>63</sup> Quae enim etc. ] Quae in deliberatione

bus praecipiantur de futuro transferri possunt in iudicium ad praeteritum.

commodi quaritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis, impellit. Quamobrem sint hæc dicta de causis. FILIUS. Teneo, & quero, qui sint illi eventus, quos ex causis effici dixisti.

XXXIII. PATER. <sup>65</sup> Consequentia quædam signa præteriti, & quasi impressa facti vestigia; quæ quidem vel maxime suspicionem movent, & quasi tacita sunt criminum testimonia. Atque hoc quidem graviora, quod causæ communiter videntur insimulare, & arguere omnes posse, quorum modo interfuerit aliquid; hæc proprie attingunt eos ipsos, qui arguntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum, ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco vilus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. Hæc enim, & talia sunt, quæ aut in re ipsa, aut etiam <sup>66</sup> ante quam factum est, aut postea, suspicionum crimen efficiant. Quæ <sup>67</sup> si non erunt, tamen causis ipsis, & efficiendi facultatibus niti oportebit, adjuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non posset; ut <sup>68</sup> ita apertus esset, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiæ, esse conjunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse expectandum, dum fateatur; argumentis peccata convinci; & hic etiam exempla ponentur.

XXXIV. Atque hæc quidem de argumentis. Sin autem erit etiam restium facultas: primum genus erit ipsum laudandum, dicendumque ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione fecit-

<sup>65</sup> Consequentia ] Ex consequentibus firmiter conjectura ducitur, quam ex causis; quia causæ ad multos pertinere possunt, consequentia, id est facti signa, proprie illum attingunt, qui reus est.

<sup>66</sup> Antequam factum est ] Sunt enim quædam signa & indicia facti futuri, quæ proprie ad rem pertinent, & inter consequen-

tia referuntur, quamvis præcedant.

<sup>67</sup> Si non erunt ] Si desint signa, consequendum ad causas.

<sup>68</sup> Ita apertus ] Ita manifeste audax. Sed argumentum hoc evertitur ex loco communi, quod audacia temeritati solet esse conjuncta.

fecisse, testes effugere non potuisse. Deinde singuli laudentur. Quæ autem essent laudabilia, dictum est. Deinde etiam argumento firmo, quia tamen saepe falsum est, posse recte non credi; viro bono & firmo, sine vitio iudicis, non posse non credi. Atque etiam, si obscuro testes erunt, aut teneos; dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam, & eos esse cujusque locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint. Sin quæstiones habitæ, aut postulatio ut habeantur, causam adjuvabunt; confirmandum genus primum quæstionum erit; dicendum de vi doloris; de opinione majorum, qui eam rem totam, nisi probassent, certe repudiassent; de institutis Atheniensium, Rhodiorum, doctissimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbissimum est) liberi, civisque torquentur; de nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in domino <sup>69</sup> quæri nolissent, de incestu tamen, & conjuratione, quæ facta me consule est, quarendum putaverunt. Irridenda etiam disputatio est, quæ solent uti ad infirmandas quæstiones, & meditata, puerilisque dicenda. Tum faciendæ fides, diligenter esse, & sine cupiditate quæsitum; <sup>70</sup> dictaque quæstionis, argumentis, & conjectura ponderanda. Atque hæc accusationis fere membra sunt.

XXXV. Defensionis autem primum infirmatio causarum: aut non fuisse, aut non tantas, aut <sup>71</sup> non sibi soli, aut se <sup>72</sup> commodius potuisse idem consequi; aut non iis esse moribus, non ea vita; aut nullos animi motus; aut non tam impotentes fuisse. Facultatium autem infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit; aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini; aut non se tam ineptum, ut id susciperet, quod occultare non posset, neque tam amentem, ut poenas, ac judicia contemneret. Consequentia autem diluet, exponendo non esse illa certa indicia facti,

<sup>69</sup> Quæri nolissent ] Tormentis adhibitis. impulsus dicitur reus ad flagitium, fuisse, <sup>70</sup> Dicta quæstionis ] Quæ sunt tormentis communes aliis.

<sup>71</sup> Non sibi soli ] Causas illas, quibus consequi, quod volebat, sine flagitio.

<sup>72</sup> Commodius etc. ] Commodius potuisse experiri.

facti, quae etiam nullo admisso consequi possent; consisteretque in singulis: <sup>73</sup> & ea, aut eorum, quae ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius, quam criminis; aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quam contra salutem valere debere: testiumque, & questionum genus universum, & quod poterit, in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, resellet. Harum causarum <sup>74</sup> principia suspiciosa ad acerbitatem ab accusatore ponuntur; denunciabiturque insidiarum commine periculum, excitabunturque animi, ut attendant. A reo autem querela constati criminis, collectarumque suspicionum, & accusatoris insidiae, & item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur, & modice benevolentia iudicium colligitur. Narratio autem accusatoris erit <sup>75</sup> quasi membratum gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut prateritis, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt, casusque narrandi. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandisque contrariis, saepe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque haec quidem utrique maxime in peroratione facienda; <sup>76</sup> alteri frequentatione argumentorum, & coactione universa; alteri, si plane causam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque dilucrit, & miseratione ad extremum.

XXXVI. FILIUS. Scire mihi jam videor, quemadmodum conjectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus. PATER. Communia dantur in isto genere accusatori, defensorique praecipua. Uter enim definiendo, describendoque verbo magis ad sensum iudicis, opinionemque penetrarit, & uter ad communem verbi vim, & ad eam praecipuam, quam inchoatam habebunt in animis illi, qui audient, magis & propius accesserit, is vincat necesse est. Non enim argumentando

<sup>73</sup> Et ea, aut eorum &c. ] Dicit, iudicia, quae ab accusatore asseruntur, pertinere potius ad aliquid aliud, quam ad crimen: & si forte pertinere possint tam ad accusandum, quam ad defendendum, commendat magis valere ad salutem debere.

<sup>74</sup> Principia suspiciosa ] Exordia accusationis suspicionem communis periculi innotent.

<sup>75</sup> Quasi membratum &c. ] Non late fusa, & dilucide explicata.

<sup>76</sup> Alteri frequentationibus ] Id est accusatori.

do hoc genus tractatur, sed tanquam explicando excutiendoque verbo: ut, si in reo pecunia absoluto, rursusque revocato, <sup>77</sup> pravaricationem accusator esse definiat, omnem iudicii corruptelam ab reo; defensor autem, non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo. Sit ergo haec contentio prima verborum, in qua etiam si propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur. Negat enim probari oportere, eos, qui leges scripserunt, ratum habere iudicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere. Nititur aequitate: <sup>78</sup> ut illa quasi scribenda lex sic esset, quaeque tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo uno pravaricationem comprehendisse dicitur. Defensor autem testatur consuetudinem sermonis, verbiq; vim ex contrario reperit quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen pravaricatoris; ex consequentibus, quod <sup>79</sup> ea litera de accusatore soleat dari iudici; <sup>80</sup> ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis quasi varie esse positus videatur. Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad aequitatis locos, ad rerum iudicarum auctoritatem, <sup>81</sup> ad finem aliquem periculi: communeque sit hoc praecipuum, ut, cum uterque definiarit, quam maxime potuerit ad communem sensum vimque verbi, tum similibus, exemplisque eorum, qui ita locuti sunt, suam definitionem sententiamque confirmet. Atque accusatori in hoc genere causarum locus ille communis, minime esse concedendum, ut is, qui de re consisteat, verbi se interpretatione defendat. Defensor autem & ea, quam proposui, aequitate nitatur, & ea cum secum faciat, non

Tom. I.

M m m m re,

<sup>77</sup> Pravaricationem ] Exemplum afert ex definitione pravaricationis. Si quis, corruptis iudiciis, evaserit, rursusque revocetur pravaricationis nomine, qui accusat, dicit pravaricationem esse omnem iudicii corruptelam; qui defendit, dicit pravaricationem esse non iudicium, sed accusatoris corruptelam. Inchoata animis praecipio & consuetudo sermonis stat pro defensore. Accusator tamen negat irritum haberi a lege iudicium, corrupto accusatore; ratum, corruptis iudiciis.

<sup>78</sup> Ut illa, quasi scribenda &c. ] Sic scribenda lex fuit, quia corrumperetur haec accusator; at tamen corruptionem quamlibet pravaricationis voce legislator complexus est.

<sup>79</sup> Ea litera ] Actio, & iudicii ritus.

<sup>80</sup> Ex ipso nomine ] ER enim pravaricator quasi varicator, quod proclio cliente, in contrariam partem inclinari.

<sup>81</sup> Ad finem &c. ] Obtenet, exitum fore periculosum, si vox pravaricationis nova interpretatione ad alia transferatur.

re , sed depravatione verbi se urgeri queratur . Quo in genere percensere poterit plerisque inveniendi locos . Nam & similibus utetur , & contrariis , & consequentibus ; quanquam uterque , tamen reus , nisi plane erit absurda causa , frequentius . Amplificandi autem causa , quæ aut cum digredientur a causa , dici solent , aut cum perorabunt , hæc vel ad odium , vel ad misericordiam , vel omnino ad animos judicum movendos ex iis , quæ sunt ante posita , fumentur , si modo rerum magnitudo , hominumve aut invidia , aut dignitas postulat .

XXXVII. FILIUS . Habeo ista : nunc ea , quæ cum , quale sit quippiam , disceptatur , quæ ex utraque parte deceat , velim audire . PATER . Confitentur in isto genere , qui arguantur , se id fecisse ipsum , in quo reprehenduntur ; sed , quoniam jure se fecisse dicunt , juris est omnis ratio nobis explicanda . Quod dividitur in duas partes primas , naturam , atque legem ; & utriusque generis vis in divinum , & humanum jus est distributa : quorum æquitatis est unum ; alterum religionis . Æquitatis autem vis est duplex : cujus altera , directi , & veri , & justii , & , ut dicitur , æqui & boni ratione defenditur : altera ad vicissitudinem referenda gratia pertinet ; quod in beneficio , gratia ; in injuria , ultio nominatur . Atque hæc communia sunt naturæ , atque legis : sed propria legis & ea , quæ scripta sunt , & ea , quæ sine literis aut gentium jure , aut majorum more retinentur . Scriptorum autem privatum aliud est , publicum aliud . Publicum , lex , senatusconsultum , fœdus . Privatum , tabula , pactum conventum , stipulatio . Quæ autem scripta non sunt , ea aut consuetudine , aut conventis hominum , & quasi consensu obtinentur . Atque etiam hoc in primis , ut nostros mores legesque tueantur , quodammodo naturali jure præscriptum est . Et quoniam breviter aperti fontes sunt quasi quidam æquitatis , meditata nobis ad hoc causarum genus esse debent ea , quæ dicenda erunt in orationibus , de natura , de legibus ,

82. *Fastum conventum* ] Ita fere duo hæc verba essentur . Interdum tamen conjungi solent per particulam & . Quoquo modo scri-

ferantur , conventionem significant , quæ scripto continentur .

bus , de more majorum , de propulsanda injuria , de ulciscenda , de omni parte juris . Si imprudenter , aut necessitate , aut casu quippiam fecerit , quod non concederetur iis , qui sua sponte , & voluntate fecissent ; ad ejus facti deprecationem , ignoscendi petenda venia est : quæ sumetur ex plerisque locis æquitatis . Expositum est , ut potui brevissime , de omni controversiarum genere , nisi præterea tu quid requiris .

XXXVIII. FILIUS . Illud equidem , quod jam unum restare video , quale sit , cum disceptatio versatur in scriptis . PATER . Recte intelligis . Eo enim exposito , munus promissi omne confecero . Sunt igitur ambigui duobus adversariis præcepta communia . Uterque enim hanc significationem , qua utetur ipse , dignam scriptoris prudentia esse defendet . Uterque id , quod adversarius ex ambiguo scripto intelligendum esse dicet , aut absurdum , aut inutile , aut iniquum , aut turpe esse defendet , aut etiam discrepare cum cæteris scriptis , vel aliorum , vel maxime , si poterit , ejusdem : quamque defendet ipse , eam rem , & sententiam quemvis prudentem , & justum hominem , si integrum daretur , scripturum fuisse , sed planius . Eamque sententiam , quam significari posse dicet , nihil habere aut captionis aut vitii ; contrariam autem si probarit , fore ut multa vitia , stulta , iniqua , contraria consequantur . Cum autem aliud scriptor sensisse videretur , & aliud scripserit , qui scripto nitetur , cum , re exposita , recitatione uti oportebit : deinde instare adversario , iterare , renovare , interrogare , num aut scriptum neget , aut contra factum inficitur . Post , judicem ad vim scripti vocet . Hac confirmatione usus , amplificet rem lege laudanda , audaciamque confutet ejus , qui cum palam contra fecerit , idque fateatur ; adit tamen , factumque defendat . Deinde infirmet defensionem : cum adversarius aliud voluisse , aliud sensisse scriptorem ; aliud scripserit dicat , non esse ferendum , a quoquam potius latoris sensum , quam a lege , explicari . Cur ita scripserit , si ita non senserit ? Cur , cum ea , quæ plane scripta sint , neglexerit ; quæ nunquam scripta sint , proferat ? Cur prudentissimos in scribendo viros summa stultitia patet esse damnandos .

demandos? Quid impediēt scriptorem, quo minus exciperet illud, quod adversarius, tanquam si exceptum esset, ita dicit se fecutum? <sup>82</sup> Utetur exemplis iis, quibus idem scriptor; aut, si id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Querenda etiam ratio est, si qua poterit inveniri, quare non sit exceptum: <sup>84</sup> aut iniqua lex, aut inutilis futura dicitur, aut alia causa obtemperandi, alia abrogandi: dissentire adversarii vocem, atque legis. Deinde amplificandi causa, de conservandis legibus, de periculo rerum publicarum, atque privatarum, cum aliis locis, tum in perorando maxime graviter erit, vehementerque dicendum.

XXXIX. Ille autem, qui se sententia legis voluntateque defendet, in consilio atque in mente scriptoris, non in verbis ac literis, vim legis positam esse defendet: quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cujusque iudex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, si verbis legum, ac non sententiis præatur. Deinde genus ejusmodi caliditatis & <sup>85</sup> calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadam invidiosa querela. Et, si incidet imprudentiæ causa, quæ non ad delictum, sed ad casum, necessitatemve pertineat, quod genus paulo ante attigimus; erit iisdem æquitatis sententiis contra acerbiteratem verborum deprecandum. Sin scripta inter se dissentient, <sup>86</sup> tanta series artis est, & sic inter se sunt pleraque connexa & apta, ut, quæ paulo ante præcepta dedimus ambigui, quæque proxime sententiæ & scripti, eadem ad hoc genus causa tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem.

<sup>82</sup> Utetur exemplis ] Per exempla ostendet, quomodo vel ipse legis scriptor, vel alii legislatores exceperint, cum excipiendum existimarent.

<sup>84</sup> Aut iniqua &c. ] Si legislator exceperit, alii iniqua lex fuisse, alii inutilis; alii ex illa causam obtemperandi habuissent, alii causam abrogandi quaesiverint. Sed hoc loco turbatum est aliquid a librariis. Nec sane MSS. codices conveniunt, quamvis non-

dum aliquem viderim, qui satisficeret.

<sup>85</sup> Calumnia ] Eos, qui per verba legis cavillantur, trahet in invidiam iudicis, cuius est ambigua, si qua sunt, interpretari.

<sup>86</sup> Tanta series artis ] Ita sunt artis præcepta inter se apta & connexa, ut quæ de ambiguis verbis dicta sunt, & de sententiis cum verbis pugnant, transferri possint ad scripta, quæ inter se dissentiant.

ficationem, quæ nos adjuvat, eisdem in contrariis legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum, ut alterius scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modo de scripto, sententiaque præcepta sunt, eadem huc omnia transferemus.

XL. Expofita sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem e media illa <sup>87</sup> nostra Academia floruerunt; neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam & partiiri ipsum, & definire, & ambigui partitiones dividere, & argumentorum locos nosse, & argumentationem ipsam concludere, & videre, quæ sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quæ sumpta sunt, efficiatur; & vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus diducere & distinguere, & aut male sumpta, aut male conclusa reprehendere, & eadem vel anguste disserere, <sup>88</sup> ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, late exprimere; <sup>89</sup> illius exercitationis & subtiliter disputandi, & copiose dicendi artis est. De bonis vero rebus, & malis; æquis, iniquis; utilibus, inutilibus; honestis, turpibus, quam potest habere orator, sine illis maximarum rerum artibus, facultatem, aut copiam? Quare hæc tibi sint, mi Cicero, quæ exposui, quasi indicia fontium illorum: ad quos si nobis eisdem ducibus, aliisve, perveneris, tum & hæc ipsa melius, & multo majora alia cognosces. FILIUS. Ego vero, ac magno quidem studio, mi pater; multisque ex tuis præclarissimis muneribus nullum majus excepto.

<sup>87</sup> Nostra Academia ] Hoc nomine intelligi Philosophiam omnem. Nam Academia ipsam quoque Peripateticorum doctrinam complectebatur, quamvis interdum inter se distinguerentur, saltem nominibus, ut est in i. Academ. cap. 4.

<sup>88</sup> Ut Dialectici ] Ut eos decet, qui Dialectici appellantur.

<sup>89</sup> Illius exercitationis ] Academici enim de rebus omnibus in partem utramque disputabant: quod vel maxime artem dicendi peperit.



bitum est : delectare , honorarium : permovere , necessarium .  
Hæc ut alius melius , quam alius , concedendum est . Verum  
id fit non genere , sed gradu . Optimum quidem unum est ;  
& proximum , quod ei simillimum . Ex quo perspicuum est ,  
quod optimo dissimillimum sit , id esse deterrimum .

II. Nam quoniam eloquentia constat ex verbis & sententiis ,  
perficiendum est , ut pure , & emendate loquentes , quod est  
Latine : verborum præterea & propriorum & translatorum e-  
legantiam persequamur : in propriis , ut aptissima eligamus :  
in translatis , ut similitudinem secuti , verecunde utamur alienis .  
Sententiarum autem totidem genera sunt , quot diximus  
esse laudum . Sunt enim docendi , acuta : delectandi , quasi  
arguta : commovendi , graves . Sed & verborum est structura  
quædam , duas res efficiens , numerum & lenitatem : & sen-  
tentia suam compositionem habent , & ad probandam rem ac-  
commodatum ordinem . Sed earum omnium rerum , ut ædifi-  
ciorum , memoria est quasi fundamentum , lumen actio .

Ea igitur omnia in quo summa , erit orator peritissimus :  
in quo media , mediocris : in quo minima , deterrimus . Et  
appellabuntur omnes , oratores ; ut pictores appellentur etiam  
mali : nec generibus inter sese , sed facultatibus differant . I-  
taque nemo est orator , qui se Demosthenis similem esse no-  
lit : at Menander , Homeri noluit . Genus enim erat aliud .  
Id non est in oratoribus : aut si est , ut alius gravitatem se-  
quens , subtilitatem fugiat : contra , alius acutiorem se , quam  
ornatiorem , velit , etiam si est in genere tolerabili , certe  
non est in optimo : siquidem , quod omnes laudes habet , id  
est optimum .

III. Hæc dixi brevius equidem , quam res petebat : sed ad  
id , quod agimus , non fuit dicendum pluribus . Unum enim  
cum sit genus , id quale sit , querimus . Est autem tale , qua-  
le floruit Athenis , ex quo Atticorum oratorum ipsa vis igno-  
ra est , nota gloria . Nam alterum multi viderunt , vitiosi ni-  
hil apud eos : alterum pauci , laudabilia esse multa . Est enim  
vitiosum in sententia , si quid absurdum , aut alienum , aut  
non acutum , aut subsissulum est . In verbis , si inquinatum ,

si abjectum , si non aptum , si durum , si longe petitum . Hæc  
vitaverunt fere omnes , qui aut Attici numerantur , aut dic-  
untur Attice . Sed quatenus valuerunt <sup>5</sup> , sani & fici duntaxat  
habeantur , sed ita , ut palæstrice spatium in xysto iis liceat ,  
non ab Olympiis coronam petant . Qui cum careant omni  
vitio , non sunt contenti quasi bona valetudine , sed vires ,  
lacertos , sanguinem querunt , quandam etiam suavitatem co-  
loris . Eos imitemur , si possumus : sin minus , illos potius ,  
qui incorrupta sanitate sunt , ( quod est proprium Attico-  
rum ) quam eos , quorum vitiosa abundantia est , quales Asia  
multos tulit .

IV. Quod cum faciemus , ( si modo id ipsum assequemur :  
est enim permagnum ) imitemur , si poterimus , Lysiam , &  
ejus quidem tenuitatem potissimum . Est enim multis in locis  
grandior . Sed quia & privatas ille plerasque , & eas ipsas a-  
liis , & parvarum rerum causulas scripsit , videtur esse jeju-  
nior , quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causa-  
rum limaverit . Quod qui ita faciet , ut , si cupiat uberior  
esse , non possit , habeatur sane orator , sed de minoribus :  
magno autem oratori etiam illo modo sæpe dicendum est in  
tali genere causarum . Ita fit , ut Demosthenes certe possit  
summissè dicere : elate Lysias fortasse non possit . Sed si eo-  
dem modo putant , exercitu in foro , & in omnibus templis ,  
quæ circum forum sunt , colloco , dici pro Milone decuisse ,  
ut si de re privata ad unum judicem diceremus ; vim e-  
loquentia sua facultate , non rei natura , metiuntur .

Quare quoniam nonnullorum sermo jam increbruit , partim  
seiplos Attice dicere , partim neminem nostrum dicere : alte-  
ros negligamus . Satis enim his res ipsa respondet : cum aut  
non adhibeantur ad causas , aut adhibiti derideantur . Nam si  
arrideantur <sup>6</sup> , esset id ipsum Atticorum . Sed qui dici a nobis

Tom. I.

N n n n

Attico

<sup>5</sup> Sed quatenus valuerunt ] Edendum cu-  
rari . Sed qui hæcenus valuerunt , libris o-  
mnibus reclamantibus , sententia ipsa , & ra-  
tione postulante . Hoc enim sentit Cicero :  
Qui hæcenus valuerunt , ut vitia vitarent ,  
sani duntaxat , et fici habeantur , & licet  
illis palæstrice in xysto spatium ; non autem

coronam ab Olympiis petant ; id est , non ha-  
beantur in principibus oratoribus ; neque per-  
fectæ eloquentiæ laudem ferant . Lambin.

<sup>6</sup> Nam si arrideantur ] Novum , opinor ,  
loquendi genus : & malim , arrideatur . Ma-  
nur.



Attico more nolunt, ipsi autem se non oratores esse profitentur, si teretes aures habent, intelligentque iudicium: tanquam ad picturam probandam, adhibentur etiam inficii faciendi cum aliqua solertia iudicandi. Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quidquam excelsum magnificentumque delectat: dicant se subtile quiddam & politum velle, grave ornatumque contemnere: id vero desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Attice dicere, id est, quasi sicce, & integre. At si ample<sup>7</sup>, & ornate, & copiose cum eadem integritate, Atticorum est: quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum; an etiam admirabilem esse cupiamus? Non enim jam quærimus, quid sit Attice, sed quid sit optime dicere. Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum oratorum præstantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis; eorum autem princeps facile Demosthenes: hunc si quis imitetur, eum & Attice dicturum, & optime: ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Attice dicere.

V. Sed cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus: putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studio: mihi quidem ipsi non necessarium. Converti enim ex Atticis, duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Æschinis, Demosthenisque: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere.

Hic labor meus assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant. Sed exoritur Thucydides. Eius enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem recte: sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud

<sup>7</sup> Ad picturam probandam adhibentur ] Redius vult, adhibentur. Idem.

<sup>8</sup> Quasi sicce & integre. At si ample ] Ita locum hunc Lambinus restituit, Victorius, quasi sicce & integre: & ample & Cr. Cæterus,

quasi sicce. At integre, & ample Cr. Fed. autem Morellus ita legit, & interpungit, cum solis Attice dicere. Idcirco si sicce & integre, & ample Cr. Iudicium esse doctorem.

est enim explicare res gestas narando, aliud argumentando criminari, crimenve dissolvere, aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato? Necesse tamen est oratori, quem quærimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum.

VI. Quare si quis erit, qui Thucydido genere causas in foro dicturum se esse profiteatur, is abhorreat etiam a suspitione ejus, quæ versatur in re civili & forensi: qui Thucydidem laudavit, adscribat suæ nostram sententiam. Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato suum fere æqualem admirabiliter in Phædro laudari fecit a Socrate, quemque omnes docti summum oratorem esse dixerunt: tamen hunc in numero non repono. Non enim in acie versatur, & ferro; sed quasi rudibus ejus eludit oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines<sup>9</sup>, tanquam Æserminus (ut ait Lucilius) non spurcus homo, sed doctus & acer,

Cum Pacidiano hic componitur, optimi longe  
Post homines natos.

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius.

Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur: unum hoc, Verum melius Græci. A quo quærat, ecquid possint ipsi melius Latine. Alterum, Quid istas potius legam, quam Græcas<sup>10</sup> Nec Andromacham igitur, aut Antioquam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potius, quam Euripidem & Sophoclem  
N n n n 2 legunt.

<sup>9</sup> Æschines, tanquam Æserminus ] Hic Æserminus fuit Samnis, id est, gladiator, & compositus cum præstantissimo gladiatore Pacidiano, seu Pacidiano, quem commemorat Horat. Satyr. II. 7. 96. Proferunt autem hi versus a Nonio Marcello ex Lucilio, c. 4. in spatium:

Æserminus fuit fœces er:

Sansius spurcus homo, vix illa dignum,  
levarum.

Cum Pacidiano componitur? optimi  
longe

Post homines natos gladiator qui fuit unus? Vide Tusc. I. 24. & ad Q. Frat. III. 4. Lamb.

<sup>10</sup> Quam Græcos ] Verborum ordo hic est apud Victorium, Manutium, & Gruterum: quam Græcas. Idem Andream, & Symplocas: nec nisiu Torontium, & Cecilium, quas Menandrum legunt: nec Andromacham, aut Antioquam; aut Epigonos Latinos recedant: sed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potius, quam Euripidem & Sophoclem legunt. Quod igitur Cr.



## VARIE LECTIONES,

E primariis quatuor Editionibus

VICTORII, MANUTHII, LAMBINI, GRUTERI,

Collectæ: præter illas, quæ in Commentariis propostæ fuerunt.

Paginam indicat numerus prior: lineam posterior.

2. 4. nam cum & ] V. M. nam & cum  
7. invidiam esse ] G. omittit esse  
12. tum facilius ] L. tum etiam facilius  
19. aliter ] G. dicitur  
3. 3. atque optime ] L. atque ad optima  
5. more ] L. G. modo  
11. sustulit ] L. G. suscitavit  
15. animis passis ] M. L. in animis  
inest... G. in animis est  
4. 13. parvas ] L. parvas  
5. 7. in quibus ] L. eo vero vehem.  
15. curam certissimam ] L. omittit co-  
rum  
23. eior res ] L. ejus artis  
6. 12. intelligentes ] L. intelligimus  
14. appellabimus ] L. appellamus  
19. ear res ] G. omittit res  
7. 23. modum: cequid ] V. modum: ut,  
quid  
23. bonum præter ] L. bonum in vita  
vivere  
25. Quæ sit solis ] L. G. omittit sit  
8. 14. nobis vtrivaria ] L. nobis artis rhe-  
toricæ  
31. conjuncta ] L. conjunctim  
9. 21. ne ] V. M. nec  
10. 8. non quod de re ipsa non convenit ]  
Gruterus hæc spuria. L. non quod  
de facto ipsa non convenit, & de-  
bet, non quod de facto non constet  
25. brevis ] L. breviter  
11. 6. omnia ] L. omnino  
25. oportet non esse ] L. G. oportet, de-  
monstrationem & deliberationem  
nec esse  
26. eodem ergo. ] L. eodem incommo-  
modo urgetur  
36. altera assumpta ] L. altera autem  
assumpta  
12. 4. aliquando ] G. aliquando
21. ignoscatur, post ] L. ignoscatur si-  
bi postulat  
14. 1. connota, & si conj. ] G. juncta,  
& si juncta  
12. in oratione ] M. in oratione  
19. aliud quoque ] L. delet quoque  
25. 15. relinquatur ] L. relinquatur  
26. 25. in ratione ] V. M. G. in ratione  
27. 14. cum tam diversa ] L. quoniam di-  
versa G. quoniam tam diversa  
18. perficit ] L. efficiens  
18. 5. & si ] G. vel, si  
7. vel si uti ] G. fin uti  
17. acciderint ] M. acciderunt  
23. derivit, cognatio ] L. divitia, gra-  
tia, cognatio  
35. esse aut ] L. esse, & aut  
19. 11. est, hoc est, ut ] L. est, & ut  
17. in oratione ] M. G. in oratione  
30. interponit ] L. interponere  
28. deinde ] Cum leventur tam qui au-  
dit ] demonstrare ] Que sunt un-  
de circumdata, M. & L. omit-  
tuntur  
20. R. putant ] M. putat, L. putant sua  
20. re relevatur ] L. re levatur  
21. 9. desideret ] M. G. desiderat  
17. in quo ] L. in quod  
30. memoria remota ] L. memoria pro-  
pter vetustatem remota  
22. 11. æquum & bonum ] L. G. æquum-  
que & bonum  
17. sumuntur ] L. G. sumuntur  
23. 20. ad eandem rem ] L. ad eam rem  
24. 3. lenire ] M. lenire  
25. 7. quod contraxisse ] L. quid in con-  
troverbia  
34. incident ] L. incidentur  
26. 9. idque ] L. G. id quod

26. deim-

## VARIE LECTIONES.

26. deinde quid ] G. Posthæc quid  
27. 3. dividendum ] L. dividuntur  
7. confirmari ] M. L. G. confirmare  
8. omnes... confirmantur ] L. omnis...  
confirmatur  
9. personis hæc ] L. personis quidem hæc  
12. nomen etc. ] L. nomen est certum  
& proprium uniuscujusque perso-  
næ vocabulum, quo quisque ap-  
pellatur  
18. numeratur ] V. M. enumeratur  
25. corpori ] M. corpori: corpori,  
27. acutus ] M. animo, acutus  
32. apud quos ] L. G. apud quos  
28. 5. ac si ] V. M. aut si; L. ac si  
16. ut philosophiam poetice etc. ] L. ut  
ad philosophiam, poeticam &c.  
20. facit ] G. faciet  
22. oratione ] L. ratione  
25. necesse sunt ] G. omittit sunt  
29. 4. quæritur ] L. queritur  
15. nomen ] M. numero  
16. 6. & qua jactis ] L. tum ea que  
tamen jactis  
18. & que ] L. tum que  
19. sunt... inquit ] L. sunt... in-  
stant  
20. sunt... consequantur ] L. sunt...  
consequantur  
30. cum tempore ] L. a tempore  
34. Quare ] L. quare cum genere idem  
sit, parte & specie, ut diximus,  
differt  
31. 15. in his ] L. eo  
31. reprehenditur ] L. G. reprehenditur  
32. si ] L. G. fin  
32. 15. & ne ] V. G. ut ne  
20. verum in eo ] V. M. verum. Ver-  
um in eo  
24. preparatas ] L. paratas  
30. locus hæc ] M. locus in mari sine  
32. 22. ob id, quod ] V. M. ob id factum,  
quod  
22. nihil possit ] G. nihil egisset  
34. 2. eret ] V. & G. omittunt eret  
16. penitus ] V. L. permixtum  
17. desipere ] G. dicere  
20. inventum ] L. G. inventum  
35. 9. Agit, inquit, si ] L. age vero, si  
7. quod inducimus ] L. G. delent  
31. intelligitur ] V. G. intelligat  
37. 1. cognoscere ] M. agnoscere  
15. rectum ] L. G. rectissime  
26. idem usu ] L. idem in usu  
38. 13. propositio hæc ] L. propositio igitur  
est
20. quendam videmus ] L. omittit quon-  
dam  
40. 7. ex quod constare ] L. M. & quod  
constare  
15. quidem quendam ] G. omittit qui-  
dem  
21. legent ] L. licet  
31. oportet sapere ] L. oportet velle  
sapere  
41. 1. ex re ] L. ex se  
10. approbationis. Huiusmodi ] L. ap-  
probationis. Ea est huiusmodi  
19. affirmatur ] L. confirmatur  
33. De una quoque ] G. V. De unaqua-  
que  
41. 1. argumentationem ] L. G. omittunt  
9. nisi ] L. quam  
14. respicitur ] L. G. respicitur  
19. spectat ] L. G. spectat  
25. Quod magis Epam. ] L. G. cui rei  
magis Epam.  
28. atque antiquus ] G. aut antiquus  
38. atque hoc ] L. ac hoc  
43. 3. partibus ] L. e partibus  
10. nisi quod ] L. G. nisi, id quod  
15. ne si extra ] V. nisi extra  
27. Ac primo ] G. ac primo  
28. tertium ] L. G. tertio  
30. fide ] V. fidem  
44. 4. oportere ] L. omittit  
29. ex conduct. ] L. aut ex conduct.  
45. 20. si solum spect. ] L. si solum argu-  
mentum spectaretur, quod esset  
excogitatum, ac nihil quo pacto  
tractaret, referret.  
32. ab apert. ] L. a probatione  
46. 13. levatur ] V. M. alleviatur... G.  
allevatur  
22. modis ] L. omnino modis  
32. iudicium ] M. iudicatum  
47. 3. argumentandum ] L. argumentatio-  
nem  
18. Curio ] M. Curius  
25. de qua ] L. de quo queritur, ejus  
rei, qua de re agitur, legem  
48. 6. hoc genus cuius ] L. omittit genus  
8. demonstrabimus ] L. demonstrabimus  
20. iudicamus ] L. iudicabimus  
11. tractatur ] L. tractabitur  
16. diffidit, & molus ] L. difficultus ad  
iudicandum, & majos  
20. quod apert. ] G. quo de apert.  
49. 21. reprehenditur ] L. reprehenditur  
50. 17. continet ] L. obtinet  
20. cognoscitur ] G. cogitationis  
51. 6. Ac ] G. ac

51. 6.

16. pecunia ] L. G. pecunia  
 17. plurimū ] L. pluribus  
 18. id ex his ] L. id quod ex his  
 19. & quid iunatur ] L. & que affu-  
 manur  
 20. aut si uno ] L. omittit si  
 21. raris falsum ] M. omittit totum  
 22. brevis ] L. breviter  
 23. aut respicere ] G. aut si respicere  
 24. pariter ] L. repetitur  
 25. acquirere ] L. G. quærendæ  
 26. continere ] L. continere  
 27. Est hoc ] L. est hic  
 28. pugnans ] L. G. pugnandum  
 29. hortetur ] L. cohortetur G. adhor-  
 tetur  
 30. versatur ] G. versabitur  
 31. fatemur ] L. fatemur  
 32. demonstramus ] L. demonstramus  
 33. de consensum ] L. consensum  
 34. non placet ] L. non placuit  
 35. in unum ] V. L. in numerum  
 36. singularium ] L. singularium  
 37. confirmantur ] L. confirmationis  
 38. constat ] V. M. constat  
 39. pariter ] L. M. omittit  
 40. in his ] M. delet in  
 41. oratione ] V. M. ratione  
 42. hominum ] L. auditoris  
 43. profertur ] L. profertur  
 44. ponitur ] L. ponitur  
 45. adeptus ] L. adeptus  
 46. facti ] L. ut videtur... diximus ] L.  
 facti videtur... dixisse  
 47. Cum in primis ] L. cum primis  
 48. Nequa tunc eor ] M. neque tamen  
 eos... L. neque eos  
 49. quas velle ] V. quam velle  
 50. probata ] L. comprobata  
 51. omnibus ex partibus ] L. G. omni  
 ex parte  
 52. nobis ] G. omittit  
 53. si quo in vivo ] L. delet in  
 54. malient ] L. malient  
 55. inficit ] L. inficitaria  
 56. quam illi in sua pictura ] L. quam  
 illius pictura  
 57. ex eo numero ] L. ex eorum nume-  
 ro  
 58. ut ceteros ] L. ut & ceteros  
 59. ut ut ] L. delet ut  
 60. & iudicantur ] V. M. omittunt  
 61. 9. comitator ] G. consecutus  
 62. quandam ] G. eandem  
 63. diversiffim ] L. G. diversiffim  
 64. orientum ] G. orientatum

23. ipse gladium ] L. ipsum gladium  
 65. 8. comitator ] G. violentia  
 66. ex aliqua ] L. ex alia aliqua  
 67. carum ] L. omittit  
 68. 25. oportet ] L. oportebit  
 69. 34. considerare ] L. considerari  
 70. 10. brevis ] L. breviter  
 71. ut ut ] L. ut non  
 72. lenissime ] G. lenissime  
 73. magis ] L. majus  
 74. 21. tantum... fulticia ] L. G. tanta ful-  
 ticia  
 75. 29. vitor ] L. omittit  
 76. 3. cum potestate ] G. in potestate  
 77. 12. confisuntur ] L. confisuntur  
 78. item facta ] G. iam facta  
 79. adducitur ] L. G. adducitur  
 80. 29. intercessit ] L. intercessio  
 81. potest ] L. potest  
 82. 35. cismari ] V. M. L. cius  
 83. 1. si quæ ] V. M. si quis  
 84. 13. tantum ] G. tantumdem  
 85. facit ] V. faciat  
 86. 18. dicitur ] M. L. dicitur  
 87. 1. possunt ] L. possint  
 88. 14. propter quas ] L. per quas  
 89. 21. est ] L. est  
 90. 1. ceque ] L. equid  
 91. 12. comitatus ] L. comitem  
 92. 29. dicitur ] G. dicitur  
 93. 28. in inventione ] L. delet in  
 94. 8. in qua ] G. in quam  
 95. 81. sui ] L. in sui  
 96. 34. quos, qua lege ] L. quos, aut qua  
 lege, aut qua poena, aut quo  
 crimine, aut quo tempore.  
 97. 8. ut causa ] V. ut a causa  
 98. 15. confirmatur ] L. confirmatur  
 99. 19. patricii ] L. patricii  
 100. 21. ut diu ] M. L. & diu  
 101. 24. est ] L. G. est  
 102. 8. extra quam in ] L. extra quam si in  
 103. 10. excepti, nisi ] L. exceptionem illam  
 104. 16. indicatur ] L. iudicatur  
 105. 24. quid aliud agatur ] G. omittit e-  
 liud  
 106. 84. 1. agatur... veniat ] L. G. agantur...  
 veniant  
 107. 3. alio ] L. aut alio crimine, aut  
 4. rationem ] G. orationem  
 108. 65. 16. quo iam ] L. quam iam  
 109. 17. aut si ] V. M. G. ac si  
 110. 86. 3. in memoria ] L. delet in  
 111. 3. bonorum ] L. honoris

9. reverentur ] G. veremur  
 24. in omnes ] V. inter omnes  
 29. quisque ] G. omittit  
 30. debet ] G. oportebit  
 87. 2. ab auctoritate ] L. pro auctoritate  
 25. statuerit ] L. statuerunt  
 88. 18. ablueret ] L. ablueret  
 24. aut coniect ] L. aut licet conjectu-  
 ralis  
 90. 5. laudatur... demonstratur ] G. lau-  
 dabitur... demonstrabitur  
 91. 1. atque ea ] L. atque eadem  
 5. Curvatis ] V. M. Curvatis  
 9. indigne ] L. hoc indigne  
 15. de fravri ] L. G. omittunt de  
 92. 10. fuisset ] L. G. fuisset  
 11. omnino ] G. omnium  
 29. reser ] L. reseret  
 93. 7. levabitur... ] L. levabitur  
 sic primum  
 9. verum omnino ] V. M. verum et-  
 iam  
 11. in eam ] L. in eam  
 20. accusator ] L. ab accusatore  
 94. 1. dinovetur ] L. removetur  
 15. videt ] L. videre  
 95. 16. utriusque ] L. utriusque  
 17. hi tamen ] L. hi autem  
 96. 7. attramen ] L. G. aut enim  
 97. 10. uti oportebit ] L. uti eorum homi-  
 num oportebit  
 100. 9. ex eo quæque ] L. ex uno quæque  
 27. tamen dignum ] G. tam dignum  
 28. virtute ] G. quam virtute  
 101. 10. duce ] L. deducere  
 102. 7. ductum ] V. ductum  
 103. 16. benef. prof. ] L. beneficia sua reus  
 profert  
 104. 19. cum benef. ] L. cum pro beneficiis  
 29. deductus ] L. ductus... G. diductus  
 105. 6. aut concilio ] L. aut a concilio  
 11. accommodatur ] L. accommodatur  
 23. confectus ] L. infectatus  
 24. et in ] L. L. ut nec in  
 25. & in question ] L. omittit in  
 106. 8. quæstion ] L. considerabatur  
 8. epularetur ] L. G. delet  
 13. & si quid ] L. G. equid  
 107. 9. utrum copiam ] L. utrumque copia  
 108. 21. atque iii ] L. atque ex his  
 28. filiam exempli ] L. filiam legem  
 exempli  
 31. post ] L. post  
 34. exitum faciliem ] L. exitum legis  
 faciliem  
 109. 3. necess. demonstr. ] L. necessarium ef-  
 fectum.

- se demonstrabimus  
 108. 25. utriusque ] M. G. utrumque  
 2. genitus ] L. genitus  
 4. Tu nullo, dicitur, set. ] L. tum mi-  
 hi ille secundus  
 17. in eor ] L. in eo  
 21. in eo qui ] L. in eo milite, qui  
 22. videret ] L. videret  
 23. comitator ] L. comitatur  
 109. 7. maiore utrum parte ] L. maiorem  
 autem partem  
 22. quo hominem ] L. quod hominem  
 110. 5. iudicium ] G. iudicium  
 18. dicendum: quæ abf. non ] L. di-  
 cendum: absurdum esse non  
 111. 25. causa in lege ] L. causa lege... G.  
 causa ex lege  
 113. 1. indignum ] V. M. indignum  
 9. capitulum ] L. caput capitulmodi...  
 G. capitulum  
 11. aut sic ] L. aut si ita  
 23. Conventus ] V. M. eo venit  
 113. 9. aut aliter ] L. aut si aliter  
 114. 7. in sermone ] L. delet in  
 115. 19. deponitur ] M. posito  
 20. conceditur ] V. conceditor  
 116. 12. in utra ] L. delet in  
 13. officium ] L. statuat  
 14. dilig. sentia ] V. diligentissima, &  
 sentia  
 20. promptus ] V. G. promptus  
 27. scriptum ] M. G. descriptum  
 117. 8. interfectus ] L. interfectus  
 8. agnatorum ] V. agnatum  
 10. et statim ] V. M. & statim  
 11. inductus ] L. inductus  
 26. comitatus ] V. M. omittunt  
 31. percurtatione ] L. cum percurtatione  
 118. 10. offertur ] V. M. afferitur  
 15. dictum ] V. M. praelatum  
 18. dissimilibus ] L. de dissimilibus  
 119. 4. applicaverunt ] L. applicaverunt  
 4. Postea ] L. Post  
 18. autem ] M. item  
 22. genus ] L. G. omittunt  
 119. 12. inductus ] L. delet  
 16. brevis ] L. breviter  
 28. autem ] G. aut  
 121. 15. inferi ] L. inferi  
 122. 15. inferioris ] L. inferioris  
 31. reponitur ] L. reponuntur  
 123. 4. ad se ] V. L. omittunt  
 17. considerandi ] V. considerandus  
 26. extraxerit ] V. M. extraxit  
 31. alio ] L. aliter

124. 5. *difficiter* ] L. difficile  
9. *ferè* ] V. M. omittunt
125. 12. *pariter autem* ] V. L. præter hæc autem  
13. *rei necessitudinis* ] L. necessitudines  
32. *debitum* ] L. debitum  
126. 3. & in ] G. vel in  
127. 1. *extraneas* ] L. extraneas  
6. *contrarias quoque* ] L. ut contrariis cognitis, contraria quoque intelligantur.  
16. *hæc* ] L. hoc & superiore libro  
130. 13. *Ac fuit* ] M. L. ac fuit quidem  
16. *concessum* ] V. M. concessum esse  
19. *cum* ] L. tum  
25. *nam prima* ] M. nam & prima  
26. & *consulatus* ] L. & in consulatu
131. 13. *que pariter* ] L. quamdam pariter  
132. 2. *ex Græcorum* ] V. M. delent ex  
23. *viam* ] V. viam  
134. 16. *expressanda* ] V. M. exprimenda  
135. 12. *videtur* ] M. G. videtur  
13. *proposita* ] L. posita  
16. *pariter, quamdam* ] L. partitionem jam quamdam
136. 3. *dici memin*] L. dici mihi memin  
137. 19. & *quod* ] V. sed, quod  
20. *in herbarum* ] M. in herba  
24. *confessisse dicebat*. *ibi* ] L. confedit se, ubi, ut
138. 2. *velit* ] V. L. G. velit  
10. *religionem* ] M. religionem  
31. *integros* ] G. integros  
16. *brevis* ] L. brevis
139. 18. *aut inquit... aut consere*, ] L. aut influentibus, aut in conservandis  
24. *Tullio* ] V. M. G. Tullio  
140. 8. *more suo* ] M. more suo  
21. *roo* ] L. pro tuo  
22. *in omni sermone disp.* ] L. in omni sermone... M. in omni sermone disp.
24. *præfessum* ] L. præfessum  
25. *mentem* ] V. M. G. manu
141. 11. *negaret* ] V. M. L. negare cogere  
14. *posse esse* ] L. qualiter  
20. *coniungitur* ] G. coniungitur  
24. *ut in sententiis* ] V. L. G. & sententiis  
24. *ad persuadendum* ] L. omittit  
142. 9. *præclari* ] L. clari  
143. 11. *statuit* ] M. statuit  
14. *omittunt* ] L. omittit  
15. *morem* ] M. moris  
124. 17. *compositam orat.* ] L. composita oratio
- ratio, & ornata; &.... distincta  
18. *explicatione* ] V. explicatione  
22. *non scientia* ] V. omittit  
28. & *certarum* ] M. & quasi certarum  
28. *forensi, caus.* ] L. forensibus quasi caus.
145. 5. *putator proprius* ] G. proprius videtur  
15. *avis* ] L. artis fuz modo nomine  
26. *Exanguis* ] V. M. exiguo  
27. *hic cum omni* ] M. hic omni tam gravitate, tum etiam iucunditate  
31. *ac iam tum*, ] L. at tum  
146. 26. *omni reip. genere* ] L. omni republica  
24. *in oratore* ] L. in oratione  
28. *delictis* ] V. dubio  
147. 23. *propositi* ] L. G. posui  
27. *aut in usu* ] L. atque in usu  
149. 1. *prope* ] L. omittit  
14. *libere dignæ* ] M. libero homine dignæ  
15. *causam rades* ] M. earum rerum rades  
18. & *qui* ] L. & ut qui  
22. *adhibentur* ] L. G. adhibeantur  
150. 2. *facultatem* ] V. L. G. facultates  
151. 2. *proconsul* ] L. G. proconsule  
8. *quibus ut poterat* ] M. quibus eorum, quantum quisque... L. ut quisque  
152. 1. *doceret* ] V. dicebat  
5. *libris* ] G. libellis  
9. *influentibus* ] L. confirmandis  
12. *uti eorum* ] M. uti qui audirent, sic afficerentur animis, ut  
13. *quod item* ] L. quod ita fieri nullo modo posse aiebat, nisi  
153. 5. *blandiri suppliciter* ] M. G. blandiri & suppliciter insinuare iis  
17. *scisse* ] L. scire  
155. 29. *infortia* ] L. infentia  
156. 2. *eventus* ] V. M. conditionibus  
14. *positis* ] M. impositis  
157. 10. *iam* ] L. omittit  
158. 4. *ratione*, ] M. tractatione  
11. *assentiri* ] G. assentire  
21. *ipse, ne* ] L. ipse mihi, ne  
159. 7. *prehensando* ] V. M. prehensando  
5. *ineptus esse* ] L. ineptum me esse  
11. *sentio* ] G. censo  
18. & *si quis* ] L. sed si quis  
20. *fili* ] L. filii  
6. *quin* ] L. qui non

15. *habens* ] M. L. habet  
19. *cumulatus* ] V. G. cumulandus
161. 8. *expeditum* ] M. iudicia  
35. *tum ardever* ] L. tum illud ipsum accideret
162. 36. *artificis per quam* ] M. artificis & opera quam  
163. 10. *perfectum* ] L. perfectum  
14. *in suo genere* ] L. in eo genere  
165. 12. *autem* ] L. etiam  
31. *disponere* ] G. componere  
166. 11. *hic* ] L. in his  
23. *exieit* ] L. reiecit  
27. *in studium* ] V. M. ad studium  
169. 24. *quemcumque* ] V. M. si quemcumque  
170. 3. *vix viderim* ] M. non viderim  
14. *illam, venisset* ] G. villamque venisset  
15. *tunc valde* ] L. tu, qui valde  
17. *non petes* ] L. nunc quin petis... G. nunc petis  
32. *quoniam* ] L. quando  
171. 7. *si tu* ] L. si tu  
7. *aut raturum*, ] M. L. omittam, que sunt inauum.  
172. 7. *putarem* ] V. M. L. putarem  
12. *esse* ] G. erat  
173. 13. & *multis* ] V. G. cum multis  
31. *posse facile* ] G. posse se facile  
174. 5. *aut raturum* ] G. omittit  
175. 5. *maiores quib.* ] L. maiores naves gubernare
177. 1. *in re* ] L. delet  
179. 14. *intestato* ] L. intestatus  
181. 21. *brevis* ] L. brevis  
4. *ut ei* ] V. G. uti  
182. 13. *suo quem* ] V. si quam  
183. 8. *rei* ] L. delet  
10. *vir* ] L. ille vir  
184. 8. *reperissent* ] G. omnibus  
15. *ab solitudine* ] L. tum ab solitudine... G. ab ista solitudine  
185. 9. *quæ premissum* ] L. primum qui  
11. *putare* ] L. putaret  
18. *labentemque* ] L. labentemque  
26. *infentiam* ] V. infentiam  
186. 4. *comitatus* ] L. incitatus  
25. *intelligas* ] M. sentias, intelligemus  
187. 16. *diffentent* ] L. dissentiant  
28. *quereremus* ] G. quæremus  
189. 3. *illam* ] V. G. aliquam  
11. *non est* ] non si  
18. *is perficer* ] L. ita perficer
21. *scriptis* ] V. M. scriptis  
21. *iuris civilis* ] M. G. iurificanti  
190. 8. *ac rationes* ] V. M. G. atque rationes  
24. *ajunt* ] V. L. G. delent  
191. 3. *per animos* ] L. delent per  
192. 10. *idem q. Ser.* ] M. G. idemque Ser.  
193. 18. *Quod* ] G. Quid?  
194. 11. *sed magister* ] M. ut magister  
195. 12. *infentiam* ] L. G. infentiam  
33. *iuris eundem* ] V. juris civilis eundem  
196. 17. *estiam* ] V. herciferi... M. herciferi  
197. 19. *ille* ] M. illi  
23. *fuit* ] V. fuerit  
32. *est* ] L. esset  
198. 3. *quod* ] M. quo de  
4. *est* ] M. L. esse  
8. *Stœvile* ] M. esse  
27. *dicendi vis* ] M. dicendi certe vis  
199. 9. *lanternari* ] L. Lucernari  
9. *coegisset* ] M. coegisset  
9. *nuncupasset* ] M. L. nuncupasset  
18. *posset* ] V. posset  
200. 2. *Manilianas* ] L. Manilianas... V. Manilianas  
28. *possimus* ] M. possimus  
201. 12. *distrabere* ] M. distrahi  
32. *quasi* ] L. deler  
202. 1. *prescribitur* ] V. G. prescribitur  
1. *Munitionem* ] L. Munitionem  
10. *altunde* ] L. alicunde  
203. 6. *accideret* ] L. accideret  
12. *dicendi quod* ] V. M. G. dicendi & quod  
16. *audimus* ] V. L. audivimus  
19. *hoc* ] L. deler  
30. *Lungius* ] V. M. L. Longo  
33. *videtur* ] M. habere videtur  
204. 4. *adipiscendum* ] L. apiscendum  
8. *sue* ] L. tuz  
20. *irrauerit* ] V. M. irrauerit  
34. *superaret* ] V. M. superaret  
205. 7. *is* ] M. id  
7. *in loco* ] V. delent in  
206. 5. *constitutum* ] V. M. constituit  
207. 2. *non* ] G. deler  
19. *narravit* ] L. narravit  
208. 2. *hoc novum* ] L. novum (nam hoc iam  
209. 2. *sepia* ] L. septum  
9. *ad tantum* ] V. M. G. in tantum  
30. *iam* ] V. iam me  
210. 11. *quiquam* ] M. quiquam a  
16. *advocatio* ] M. ratione

211. 5. *interuenimus* ] M. interuenimus  
11. *magis* ] L. magisque  
16. *mibi* ] L. delect  
26. *verere* ] L. verere  
31. *doctum* ] M. dictum  
36. *esse* ] M. delect  
212. 10. *Craffe, qui* ] L. Craffe, ii, qui  
18. *ambulamus* ] G. ambulamus  
213. 15. *ad* ] V. M. G. neque  
21. *testamentum tu* ] L. testamenta mer-  
to tu  
31. *neque ab ind.* ] L. neque se ab ind.  
214. 16. *impenabo* ] L. impenabo  
215. 13. *alteratui* ] L. alteratui  
14. *verum* ] M. vero  
216. 7. *possum* ] L. G. possem  
13. *Qui* ] M. Quis  
14. *moderate* ] M. moderata  
16. *in* ] L. delect  
18. *illustrata* ] L. illustrata  
217. 3. *et* ] V. M. G. delect  
18. *docere* ] M. L. docere  
28. *cum* ] M. L. tum  
218. 5. *urbanitatis* ] L. urbanitatis  
219. 7. *functur* ] M. functur  
220. 26. *si ne* ] V. Neut  
221. 1. *afferebatque* ] L. referebatque  
7. *Acafilus* ] L. Acafilus  
17. *leui* ] M. leui  
222. 12. *numero* ] L. numero fuisse  
23. *leviore* ] V. levioere  
223. 20. *vestire* ] L. vero  
24. *aliena* ] M. G. alia  
214. 17. *quodam* ] L. quod  
18. *excellat* ] L. excellat  
22. *nulla* ] M. ulla  
25. *admonita* ] L. monita  
26. *artibus* ] M. partibus  
32. *laudatione* ] V. M. G. laudationis  
225. 7. *notis* ] M. L. notate  
226. 2. *artis* ] M. rei  
3. *neque esse* ] L. G. necesse est,  
5. *posse* ] L. potest  
11. *reliqua non* ] M. L. reliqua per se  
non  
227. 20. *operis* ] L. onus  
3. *scio* ] M. scio  
26. *strenu* ] L. delect  
228. 22. *deinde* ] V. deinde  
229. 1. *possum* ] M. possum, cum sum  
230. 8. *debet* ] L. debet  
11. *doctores* ] V. M. doctores  
18. *astutem* ] L. ut tamen  
19. *gladiatoria* ] L. gladiatoria militi  
19. *sed* ] L. sic

32. *poturo* ] L. potero  
25. *cum* ] V. M. G. delect  
27. *hortabor* ] V. cohortabor  
231. 2. *molitui magn.* ] L. molitui ei  
magna.  
18. *cum* ] V. M. G. delect  
20. *apertum* ] L. apertum  
232. 4. *interdiffer* ] V. G. incidisset  
8. *imitetur* ] M. imitemur  
15. *vitiose* ] L. vitiosi  
18. *ranam* ] L. delect  
32. *confert* ] L. extere  
333. 8. *Itaque* ] L. Atqui  
8. *Theopompi* ] M. L. Theopompus,  
Ephorus, &c.  
10. *inter se se, & magistri* ] G. & in-  
ter se magistri  
24. *imitatur* ] V. G. imitetur  
234. 23. *constituimus* ] L. instituiamus  
235. 3. *nihil* ] M. delect  
10. *multum confidimus* ] M. L. multi  
edimari  
236. 1. *ambigi* ] L. ambigendi  
22. *respondet* ] L. respondebat  
337. 4. *uereque* ] G. delect  
27. *itaque* ] V. idque  
29. *defendimus* ] L. defendemus  
238. 16. *nostrum* ] L. aut nostri, aut  
27. *reperiuntur* ] V. M. L. pariuntur  
239. 14. *oportet* ] V. G. oportet  
242. 4. *his ingenis* ] L. eius ingenii  
7. *atque* ] L. itaque  
20. *ita* ] M. G. sunt  
241. 8. *diffimilis* ] V. diffimiles  
242. 28. *lateat* ] V. lateat  
243. 22. *interfecerit* ] L. interfecerit  
244. 22. *sunt, qui* ] L. sunt ii, qui  
245. 3. *multa* ] V. M. multum  
9. *gignitur* ] L. genitur... G. genitus  
10. *tuis ut* ] L. tum mihi ille haeres  
esto  
246. 2. *facile* ] L. facilem  
23. *intelligitur* ] L. intelligeretur  
30. *et* ] V. M. ca... L. etenim  
10. *ut* ] V. G. &  
18. *inquam, cum* ] L. inquam, cum  
cum  
247. 19. *peruolatur* ] V. reuolatur  
248. 1. *reliquum* ] L. reliquum  
14. *argumentatio* ] L. argumenti ratio  
... G. argumenti via  
15. *hanc* ] L. hanc orationem  
20. *putaram* ] G. putaramus  
30. *et, si palam* ] L. nec, si palam  
249. 21. *Minime* ] L. minime vero,  
25. *suspensionem* ] L. suspensionem omnem

250. 2. *Diogenem* ] L. Diogenem cum  
29. *quod si quis* ] V. L. G. quod si quid  
23. *artificis* ] V. M. artificia  
251. 2. *laborantur* ] L. laborantur  
13. *ut ueritas* ] V. ut ajunt  
252. 6. *confutabimus* ] L. inuestigabimus  
254. 7. *afficit* ] V. M. afficiat  
13. *quid* ] L. quicquid  
35. *placet* ] L. placeat  
255. 17. *vincendum* ] V. dicendum  
256. 15. *facilitateque* ] V. M. facilitateque  
figulificandi  
257. 15. *que & me* ] L. cum a me  
24. *ardere* ] L. incensus esse  
25. *Neque* ] L. neque enim  
258. *ultra* ] L. spondalia ] L. spondalia  
259. 3. *illud* ] V. M. G. illum  
261. 30. *potest* ] L. possem  
262. 21. *serpere* ] L. serpere eo occ.  
27. *hoc* ] L. hoc  
28. *quorum tu* ] L. quorum tu  
263. 12. *ille* ] G. onitit  
30. *qui in bonis* ] L. aut bonis uiris,  
aut iis quos quisque minime lae-  
dere debuerit, aut resp. tum ex-  
cit.  
264. 12. *numerosi tanti* ] L. delect  
16. *saori* ] L. tanta  
27. *iam* ] L. ut  
265. 5. *colonne* ] L. delect  
34. *proposuit* ] L. posuit  
266. 2. *leuiter* ] V. M. leuiter  
268. 3. *Scapula* ] V. M. G. Scapulam  
5. *laque* ] L. clusit  
Brutus ] M. Brurum  
269. 10. *loium* ] V. M. G. locutum  
14. *suere* ] M. delect... V. G. cum fu-  
nere  
270. 28. *Juli* ] V. ulla  
271. 1. *cum* ] V. M. quod  
7. *Videmus* ] V. M. uideremur  
22. *tandem* ] L. jamdum  
24. *posse* ] V. L. posset... M. possint  
272. 13. *disputationis* ] L. disputationis meae  
24. *cum* ] V. M. G. delect  
273. 26. *nisi si se* ] L. nisi se  
274. 19. *demonstret* ] L. demonstrentur  
275. 1. *haec sero* ] V. assero  
276. 8. *quam* ] V. ipse, quam  
22. *et quod* ] L. quod &  
277. 11. *velut in iis* ] L. velut iisdem  
19. *Spuri, ut* ] V. G. Spuri? & de-  
lent, ut  
20. *ueniat* ] V. uenit  
279. 10. *aliis enim* ] V. L. G. alterum

29. *magisque* ] V. M. G. delect que  
20. *ut in* ] M. ut illud in  
22. *cum in campum non uenisset* ]  
V. G. cum in campum non ue-  
nisset  
280. 10. *aliquid* ] L. aliquid quoque  
17. *videt* ] V. G. videt  
282. 5. *Strenus* ] V. fatius... M. socius  
8. *clamosis* ] V. M. clamorosi est  
285. 1. *Scarbonio* ] L. Scribonio Liboni  
5. *coerum* ] L. cohortem  
286. 3. *brevissimum* ] M. breues simus  
14. *ut illud M.* ] L. ut M.  
288. 5. *P.* ] L. Sp.  
290. 10. *ego* ] G. enim  
293. 1. *Albino* ] M. Albucium Granium  
294. 5. *Eros* ] L. Eruo  
8. *At hoc uero Craffe* ] L. hoc uero  
Craffi  
295. 25. *illo* ] L. illa quoque, quae  
296. 1. *qui hoc* ] M. qui in hoc  
26. *diffimulatum* ] L. diffimulatum  
ante obratur  
297. 5. *coner* ] L. coner  
298. 8. *quisque* ] L. quis  
13. *quisque* ] L. delect  
17. *quidam* ] V. M. quidem  
27. *pollicentur* ] M. L. pollicentur  
299. 14. *fit* ] G. fit  
20. *rogato* ] M. L. rogato  
300. 2. *in adu.* ] L. delect in  
6. *quo* ] L. quod  
301. 6. *omnes* ] L. homines  
13. *agitur* ] L. agitur  
17. *quodque* ] L. quodque  
19. *ut narr.* ] L. vel re narrata at-  
que exposita  
33. *occurratur* ] L. succurratur  
302. 5. *que* ] L. que aqae  
9. *postremum* ] V. M. postremo  
17. *admirari* ] L. demirari  
24. *reliqui* ] L. in reliquum  
28. *sed* ] L. quam  
31. *leuiter* ] M. leuitoribus  
303. 8. *effrenis* ] V. M. defussisse  
20. *et* ] L. aut communicationem  
18. *infanda* ] L. refanda  
29. *moment* ] L. commoment  
304. 18. *redundat* ] L. praeferunt  
23. *ut* ] V. M. uidelicet... L. uideant  
illam  
35. *probabilis quid* ] L. probabilis,  
si, quod  
305. 2. *conficitur* ] V. M. conficitur  
4. *cetera* ] L. ceteras orationis partes  
6. ar.

8. *argumento* ] L. argumentando  
 10. *obscuro* ] L. excusat  
 17. *narrare* ] L. narrare  
 18. *narrandum* ] L. narrandum, videndum  
 27. *coniuncta* ] L. coniuncta  
 306. 19. *in rem* ] M. in clara  
 26. *defensio* ] M. defendet  
 28. *impulsi* ] L. delet  
 29. *contrariarum* ] L. contrariarum  
 307. 1. *impellit* ] V. M. impellet  
 261. *hinc molitur* ] V. nisi multir.  
 308. 10. *laudationem* ] L. delet  
 14. *Græci legendi* ] V. G. Græci magis legendi, & delect.  
 309. 13. *in se* ] L. delet  
 19. *ferunt* ] L. ferunt  
 21. *laudari* ] L. laudari  
 310. 4. *virtutis* ] L. virtuti  
 24. *inquire* ] V. M. inquire  
 31. *aut quod* ] L. aut non  
 321. 2. *Cic. V. M. Chio. G. Cejo*  
 18. *culivisset* ] L. reculivisset  
 312. 1. *quid resp.* ] V. cui resp.  
 314. 15. *hinc* ] V. M. G. delect  
 24. *An se asseire* ] L. an se hinc necire  
 315. 10. *mi eo* ] M. ut in eo  
 20. *nomen ipsum* ] L. nomen sum  
 317. 1. *Septembris* ] L. Septembris  
 20. *dicit esse* ] L. dicta esse ferebantur  
 22. *pro pugnare* ] V. propugnare  
 23. *putare* ] V. L. putare  
 23. *conclidit* ] V. L. considerat  
 319. 17. *imperatoris* ] L. imperatoris  
 320. 5. *esse* ] L. delet  
 321. 12. *in integro* ] L. integra  
 26. *ipfi* ] L. ipsius  
 33. *audierit* ] L. audierit . . . possint  
 322. 10. *tum* ] V. M. cum  
 11. *venisse* ] V. M. G. venisset  
 15. *postmeridianum* ] L. pomeridianum  
 16. *putare* ] L. putem me  
 24. *confidetur* ] L. confidetur  
 28. *hinc de sic* ] L. tibi ea, quæ  
 324. 22. *oblectant* ] G. oblectent  
 325. 10. *quamquam* ] L. quamque  
 327. 8. *in* ] L. delet  
 21. *confirmaret* ] V. confirmaret  
 328. 3. *cognitionem* ] G. cogitationem  
 330. 11. *tota* ] V. M. totam  
 12. *videtur* ] V. G. videris  
 20. *Tam ille* ] L. tu vero, inquit ille, quoniam monuit  
 332. 26. *verum* ] L. vero  
 35. *magis* ] L. magis cum  
 333. 24. *labore* ] L. labori  
 334. 4. *ipfi* ] L. ipse eundem  
 14. *Hic sic* ] V. G. in M. is, omiffa hic  
 335. 10. *Erraticorum* ] M. G. Erraticorum  
 22. *profertur* ] V. M. profertur a  
 336. 9. *struere* ] L. & rindem  
 10. *posse* ] V. G. posse L. possint  
 337. 18. *Sacratem* ] G. Sacratem  
 338. 22. *unum* ] L. unde viginti  
 339. 10. *quantiunque* ] L. quaniunque  
 22. *hominem* ] V. L. G. hominum  
 340. 3. *sententiam* ] L. partem  
 341. 7. *libris* ] L. libris fuisse  
 33. *etas* ] L. etas, &  
 343. 2. *discendum* . . . *Eadem* ] L. G. discendum fuit. Eadem  
 344. 3. *multo* ] V. G. multum  
 17. *causamque* ] V. G. qui cuiusmodi  
 247. 7. *sensu* ] L. sensu  
 347. 12. *proximo* ] M. proximo  
 348. 15. *oratiōne* ] L. oratione  
 349. 9. *omnino* ] M. omnino  
 13. *infinita* ] L. infinita  
 14. *quærentis* ] L. questione  
 350. 10. *attentatum* ] L. actatum  
 353. 25. *hauritur* ] L. hauriamus  
 354. 7. *legere* ] V. M. G. cognoscere  
 7. *labetur* ] L. delabetur  
 14. *ratione* ] L. genere  
 18. *continentur* ] L. continentur  
 20. *de naturis verum* ] M. delect  
 29. *diceretur* ] L. diceretur  
 356. 36. *repentia* ] M. petenda  
 358. 9. *Lysis* ] V. Lysis  
 24. *Philotea* ] M. Philotea  
 30. *loquendi* ] M. L. eloquendi  
 361. 10. *verum* ] L. verumtamen  
 13. *esse a nobis* ] V. est . . . L. esse nobis  
 20. *nostra* ] V. G. nostra  
 362. 3. *exanimato* ] V. M. L. ex animo  
 4. *num non* ] L. numquid vero non  
 7. *sentis* ] V. M. sensus discretus indignitatis  
 19. *incuriositate* ] M. G. mutationes  
 26. *agnoscitur* ] V. agnosceatur  
 363. 2. *ferret* ] L. G. ferret  
 4. *aut quo significetur* ] L. aut significat magis rem totam, sive  
 5. *occultantem* ] L. occultantem rem  
 11. *exponi* ] V. exprimi  
 12. *Argue* ] L. delect  
 13. *delectantur* ] L. delectentur

364. 7. *dissimilitudo* ] L. dissimilitudo, ut  
 20. *est verbi* ] L. est in verbis transfere  
 26. *omissionis* ] V. M. comestationis  
 28. *suisset* ] M. L. G. delect  
 365. 9. *irruisse* ] L. irrupisse  
 366. 10. *unum* ] L. unus  
 21. *non* ] V. M. L. omittunt  
 26. *magis* ] L. magis  
 367. 11. *personæ* ] L. personam  
 370. 1. *carinas* ] V. M. G. carinas  
 2. *malis* ] V. M. L. mali, quam reliqua  
 10. *Capitolium* ] G. delect  
 20. *posse* ] V. M. possit  
 33. *pauci* ] V. L. pauci, & ita semper  
 371. 21. *suspiciatur, ex* ] G. suspiciatur, & ex  
 29. *indicta* ] G. impolita  
 372. 6. *membra* ] V. M. verba  
 373. 2. *capenda* ] V. M. capienda  
 8. *frangitur* ] L. frangitur, verborumque conjunctio  
 375. 7. *verba* ] L. verba numerosa  
 24. *decentiam* ] V. M. G. condeciam  
 29. *innumerabilis* ] L. innumeraliter  
 30. *tollicur* ] L. tollitur venustus  
 376. 1. *levitatem* ] L. levitatem  
 29. *quoddam* ] L. quoddam habens  
 377. 28. *sententiam* ] L. lententiarum  
 379. 25. *lene* ] G. lave  
 28. *similium* ] L. omnium  
 33. *impius* ] L. ipse  
 34. *Manderem* ] L. mandem  
 382. 11. *posterioris* ] V. M. posterioris  
 27. *Hinc* ] M. hoc  
 2. & ] L. fed  
 2. *firmamdam* ] L. firmamdam  
 6. *queque* ] M. quo . . . L. ad quod ult. curamque ] L. curaque  
 10. *in* ] L. delect  
 383. 12. *magis* ] L. magna bonorum sapientiumque civium  
 20. *more* ] L. mortem  
 388. 16. *emietur* ] L. remietur  
 19. *sui nos* ] V. M. G. nos sui  
 25. *rem* ] L. postquam  
 31. *se* ] V. M. emittunt  
 1. *inconcommodum* ] L. incommodo tuo  
 389. 5. *hic* ] L. id  
 10. *summissus* ] V. rerum . . . L. rerum nostrarum  
 21. *poterit* ] L. poterit  
 390. 1. *Et enim* ] V. & dicere enim  
 23. *habebat* ] V. M. G. habebat  
 391. 29. *degressi* ] L. G. degressi  
 393. 31. *clarorum* ] L. clarissimorum  
 394. 11. *tibi* ] V. omittit  
 12. & *Coriol.* ] L. & in Coriol.  
 14. *quis* ] L. quis in  
 28. *exadit* ] L. tradidit  
 35. *salubritatem* ] L. delect  
 396. 1. *contemendi* ] L. contemendi illi  
 4. *suertur* ] L. fuerunt  
 399. 9. *Cæthegus* ] V. Cæthegus Veturio  
 Collega Philoni filius  
 12. *quidem* ] L. quidem  
 17. *delictatus* ] M. delibutus  
 28. *modo* ] L. delect  
 406. 13. *nisi* ] M. nisi si  
 22. *a plebe* ] V. G. ad plebem  
 26. *five* ] G. vere  
 401. 21. *aperit, cum brevitate, sum nimio acuminis officio* ] L. aperit officio, delectis cæteris  
 28. *non* ] L. ne  
 29. *Catonis* ] L. Catones  
 33. *amator* ] L. amantur  
 35. *potuit, & adde* ] L. potuit; adde  
 403. 6. *Actius* ] G. Attius  
 26. *in caribus* ] L. delect in  
 405. 12. *eloquentem* ] L. eloquentem, M. illius . . . G. eloquentem, M. illius  
 406. 8. & *vero* ] V. M. G. at vero  
 408. 6. *egredietur* ] L. deprederetur  
 409. 3. *Viriati* ] L. Viriatico  
 410. 16. *alii* ] V. & G. delect  
 20. *idque* ] L. id quod  
 27. *illa* ] L. illo  
 411. 15. *paullum* ] L. paululum  
 17. *apparet* ] V. M. apparet  
 412. 8. *contigit* ] M. contingit  
 416. 24. *pro se ipse* ] L. ipse per se  
 418. 4. *quod* ] V. M. quod . . . G. quo  
 10. *Addebat* ] M. delect  
 419. 6. *Actio* ] G. Attio  
 8. *illis* ] L. illis, fati  
 11. *esse* ] M. est  
 421. 1. *fregit* ] V. M. G. fecit  
 12. *quorum* ] L. delect  
 13. & ] L. delect  
 422. 33. *tamen exile* ] M. tamen & exile  
 428. 15. *Cælidemur* ] M. Cælidemus  
 17. *injuria* ] V. G. iustitia  
 429. 12. *dicendi* ] L. in dicendo  
 22. *modo* ] L. modo eo  
 431. 10. *propria* ] L. propria  
 433. 10. *converbat* ] M. convertebatur . . . G. convertebat  
 10. *conquiescitur* ] M. G. questionibus

34. & in iure ] L. delet in  
 434. 1. paratissimum ] L. peritissimum  
 435. 11. quem ] L. quemquam  
 27. ambigua ] V. M. ambiguum  
 29. potius ] V. M. propofitis  
 4. difcedi ] V. M. dicendi  
 9. nobis ] V. G. nobis. his narr.  
 440. 7. & populi ] V. etiam popul.  
 441. 10. idem ] M. L. autem  
 10. id laborat ] V. adlaborat huc.  
 442. 8. id ] L. ita  
 12. proinde ] L. proinde  
 440. 4. omnino ] L. multorum  
 11. illius ] V. me illum M. hęc il-  
 lum  
 5. approbatione ] L. approbationem  
 ad sensum ] L. assensum  
 6. moveri ] L. movere  
 16. omnino tantquam ] L. omnino cum  
 illo tantquam  
 450. 1. quid ] quomododiv ] V. L. omit-  
 tum. quid.  
 8. tum & breviter ] V. L. G. cum ita  
 breviter  
 25. sententia ] L. sententia, mortuo-  
 rumque voluntates  
 451. 6. mittatur ] L. omittatur  
 7. amitti ] L. omitti  
 454. 2. relatum ] L. delatum  
 11. ipse ] L. ipsum  
 456. 16. preparari ] V. G. preparare  
 457. 12. obviscibatur ] M. G. obviscere-  
 tur  
 15. ductus ] L. ductus esset e-  
 28. senatus ] V. G. senatu  
 459. 5. Cui filium ] V. Cui filios  
 460. 4. discedisset ] L. discessisset  
 8. autem ] M. delet  
 462. 3. quidem ] M. L. quidam  
 7. etiam ] M. delet  
 16. maiorem ] V. majoris  
 30. eius ] V. M. delent  
 463. 9. vigeat cum ] V. M. delent cum  
 22. eligeretis ] V. eligeretis  
 464. 20. mirare ] M. intrare  
 466. 6. morose ] L. moroso  
 12. ex ] L. de  
 468. 17. Strabeni ] V. G. Strabeni  
 469. 3. huc ] V. huc  
 7. secundarius ] M. secundarium  
 472. 15. licet ] L. jucat  
 29. sint ] L. sunt  
 473. 2. asinatore ] V. L. exsimatore  
 19. pro relicto ] L. pro derelicto  
 474. 24. nec ] L. nec aliqua barbarie do-

melica insulcati fuerant, restet  
 475. 3. quidem ] M. L. quidam  
 9. Chirillum ] M. L. Chirillum  
 24. etiam ] L. & magnificam & ge-  
 nerosam... V. magnifica  
 29. detraho ] V. M. detraha  
 31. volent ] L. volent  
 476. 2. iam ] L. imo  
 4. fi ] L. & fi  
 ult. dignitas ] V. gravitas  
 481. 4. postquam ] V. M. postea cum  
 23. in ornatu ] L. delet  
 25. & ] M. L. id  
 482. 3. devinceret ] M. devinceret... L.  
 demulceret  
 31. modo ] M. delet  
 483. 6. quod verissime dixerit ] L. delet  
 484. 4. non ] V. M. delent  
 17. dependebat ] V. dependebat  
 23. consequatur ] L. confederabatur  
 485. 13. orationes ] M. orationes, quas scri-  
 bebant... L. multas orationes  
 scripsit, quas scribebant  
 436. 5. quæsi ] V. M. quasi... L. ergo  
 29. proprium ] M. primum  
 487. 4. Tite ] L. Attice  
 11. quo ] V. quoniam... M. cum  
 15. venis ] V. venis  
 18. isto ut ] L. delet  
 29. detulisti ] V. pepulisti... G. depu-  
 listi  
 489. 12. Vero ] L. Ego vero  
 490. 3. nulla ] V. viro... G. ullo  
 4. capitasset ] L. excogitasset  
 491. 9. tamen ] V. L. G. tantum  
 17. quod ] V. M. delent  
 18. tamen ] V. M. sed  
 32. magis magisque ] L. magisque ma-  
 gisque  
 33. dicebant ] V. M. G. dicebat  
 492. 18. elaboratas ] V. elaboratas, etiam  
 quam elucubr.  
 493. 34. reviderat ] L. relederat  
 35. deservuerat ] M. deserverat... G.  
 reserverat  
 495. 3. & in ] L. & cum in  
 9. & prætor ] L. prætor &  
 10. populi ] L. populi  
 11. in causis ] L. & in causis  
 497. 30. prævidit ] L. prævidit  
 498. 10. me tacente ] L. delet me  
 15. vehementer ] V. vehementer... L.  
 volentem  
 16. angit ] L. angit  
 499. 4. constitisse ] L. extirpasse  
 501. 28. Nam ] V. an

36. fe ] L. se ab  
 502. 11. spes ] L. aut spes  
 503. 5. cogitatum ] M. L. excogitatum  
 504. 15. potest ] V. M. posse  
 505. 21. at ] L. atamen  
 506. 1. limati ] L. & limata  
 5. inter hos ] V. L. intermedius  
 12. facultatem ] V. L. facultatem  
 9. adipata ] L. adipatum  
 19. de tamen ] L. atamen  
 508. 14. fulgere ] M. L. fulgurare  
 509. 8. non extaret ] V. M. G. delent non  
 30. Ergo ] L. ergo ex  
 510. 18. quod ] L. qui  
 20. multa ] L. multo  
 511. 1. delictant ] V. G. delectat  
 2. quo ] L. quod  
 4. repulsus ] L. depulsus  
 23. conferantur ] V. L. conferant  
 24. comparanturque ] V. L. comparant-  
 que  
 27. ea ] L. ea se  
 513. 10. Socrates ] L. Socrate Socrates  
 34. qua tamen in causa ] L. que tamen  
 causa  
 514. 14. possit ] L. posset  
 21. emanent ] V. M. emanant  
 515. 2. Atque quoniam ] V. M. delent at-  
 loqui... G. alioqui. Quoniam  
 3. aut ] L. ut  
 ult. alii in ] L. delet in  
 517. 16. mutabit; omnes ] L. mutabit & om-  
 nes  
 518. 25. si ] M. sed si quidem  
 519. 2. violeta ] V. G. juncta  
 521. 27. sepe ] L. sepe etiam verbo : et si  
 eum  
 522. 1. decet ] L. delet dicitur, & alia  
 que sequuntur usque ad usque-  
 quaque  
 523. 23. ornatum ] L. ornamentum  
 24. ponentur, & ] L. delet &  
 25. dominabuntur ] V. M. dominabitur  
 525. 4. sit ] V. M. si  
 12. manifeste ] L. manifeste  
 15. Accedit ] L. accedet  
 526. 2. mirum ] V. G. mirum  
 527. 3. translata ] M. L. Translata  
 8. arcem ] L. arce & urbe  
 17. decet ] V. M. Hec  
 30. enim ] M. quoddam & insigne...  
 L. etiam quoddam insigne  
 528. 24. studet ] L. studuit  
 25. cum illis ] L. delet cum  
 529. 20. tu enim ] L. delet in  
 22. septem ] L. quinque  
 Tenu. L.

23. Aviti ] V. M. G. Habiti  
 28. Non ] L. Si non  
 530. 1. quoniam ] V. quod jam  
 7. magnam ] M. nimis magnam  
 29. laudari ] L. laudata  
 532. 23. habet ] V. M. habuit  
 27. instituit ] V. G. institutum. No-  
 vitur  
 533. 5. disceptant ] M. disceptant  
 534. 4. refert ] V. refert  
 15. ante ] V. L. ante  
 17. nisi ] V. M. nisi cum... L. nisi  
 cum ea, memoria  
 25. Verba ] L. verba autem, aut  
 30. pauca ] L. pauca tradita sunt, e-  
 quibus ducuntur  
 535. 10. intenti ] G. incensa  
 536. 3. appellati ] L. appellati sunt eo,  
 4. At vero ] G. at vero  
 19. sunt ] L. sunt etiam  
 20. faciant ] L. faciunt  
 21. naturas ] L. naturam  
 25. hoc ] L. hoc vero  
 538. 2. non ] V. M. nisi cum... L. nisi  
 cum ea, memoria  
 21. in eadem ] L. in eadem: senten-  
 tiam  
 22. aut ] L. aut cum sunt contrariis  
 28. conqueffionis ] V. M. questionis  
 ult. dicitur ] V. G. edicitur  
 539. 1. nisi ] L. quam  
 3. tantum ] L. tantummodo  
 21. exant ] L. putat  
 24. exant ] M. L. caveat  
 27. ut oportet ] M. hęc delet  
 dicit ] L. dicat  
 28. sequatur ] L. sequetur  
 540. 1. est ] V. M. est non  
 15. sepe ] L. semper in  
 27. gloriosum ] L. gloriosum est  
 541. 17. abscessum ] L. abscessum domo  
 18. mare ] L. maria  
 21. didicisse ] M. didicisse : qui pro-  
 barent  
 29. Nam ] L. delet  
 9. etiam ] L. &  
 17. ut fat ] V. M. est enim structura  
 quodam, nec id tamen fiet  
 23. Arce ] L. Endo pavimento  
 24. hanc viam ] L. hanc fontem  
 28. inconditis ] L. incondite positus  
 29. superbissimum ] L. subellissimum  
 31. quia ] V. M. L. qui  
 543. 2. id ] L. item  
 544. 3. videri ] M. nosse  
 23. rapit ] L. capiti  
 545. 1. Esculapii ] V. M. Esculapii... L.  
 P p p p  
 Escia-



- Elclapii  
 5. *Constitutum* ] V. M. constitutum socii  
 7. *pavor* ] L. pavor  
 9. *quam* ] V. M. quam centuriam, ut  
 14. *duo* ] L. duo  
 14. *inquam* ] L. inquam, non  
 14. *et* ] L. et  
 145. 4. *isidum* ] L. delet.  
 4. *isidum* ] L. delet.  
 16. *reperitur* ] L. reperitur  
 21. *efficet* Gra. ] V. G. refecit, reu-  
 lit; reddidit  
 547. 8. *annquam* ] L. nunquam  
 548. 17. *terra* ] L. fertilia arva Ahas  
 549. 9. *missus* ] V. M. G. diceret  
 17. *quis* ] V. M. G. vellet  
 17. *et non* ] L. etiam  
 20. *frequenter* ] L. frequentes fuimus  
 25. *sunt cogniti* ] L. sunt cogniti etiam  
 a Laallis. Genus  
 32. *collegitur* ] L. collegitur sententia  
 550. 21. *claudere* ] G. claudere  
 25. *sapa* ] L. sapa etiam  
 551. 11. *inquisit* ] G. impetitus  
 18. *quis* ] M. L. quid?  
 552. 3. *in in qua* ] L. in hoc cum  
 7. *uteretur* ] L. uteretur  
 15. *moderatus* ] V. moderatus etiam  
 30. *utis* ] M. sum minus  
 553. 25. *quando* ] L. quo modo  
 554. 3. *omni* ] V. omni genere ... L. o-  
 mnis generis orationi  
 9. *an est* ] L. an sit futum cuiusque,  
 ut numerus in intervallis, compo-  
 sitio in vocibus, genus ipsum  
 verborum in quadam quasi for-  
 ma & lumine orat. app.  
 555. 3. *illa* ] V. M. ille  
 28. *collata* ] L. dilatata  
 29. *accidit* ] L. accidit tantum  
 557. 3. *in primo* ] L. ex primo  
 5. *anaphorus* ] L. anaphorus  
 8. *studiosus* ] L. studiosus  
 9. *inquirent* ] V. G. inquirenti  
 11. *oratoris* ] M. oratoris  
 18. *peona* ] V. L. hic & alibi *peona*  
 30. *subiectam* ] L. & abjectam  
 559. 14. *habetur* ] L. habetur  
 14. *habetur* ] L. patetur  
 15. *visi aut ne* ] L. uti ne aut  
 560. 13. *collocatio* ] M. L. collocatioes  
 561. 6. *equaliter* ] M. L. equaliter  
 562. 22. *insidit* & *obseruet* ] L. insidia-  
 torem obseruet  
 563. 13. *pedibus* ] L. pedibus  
 564. 1. *membratum* ] L. membratum ternis  
 2. *haec* ] L. deinde item membratum

- quaternis  
 23. *Erst, quid* ] L. est enim, quod  
 566. 9. *compositio* ] L. compositio  
 567. 9. *ne* ] V. neve  
 16. *igitur* ] L. in  
 19. *volunt* ] L. volutus  
 24. *effugit* ] L. effugit  
 568. 15. *quis* ] V. quid  
 569. 4. *infirmus* ] V. G. infirmus  
 16. *placet* & *adhuc* ] L. delet &  
 570. 6. *ne aut verba* ] L. ne verba  
 571. 3. *Corruptur* ] L. corrumpitur  
 16. *isidem* ] L. isidem tamen  
 20. *foerit* ] L. fuerit  
 25. *voluit* ] M. L. voluit  
 572. 1. *modo* ] V. modo si quis ... L.  
 modo cetera laudare possum; ut  
 si quis  
 17. *simile* ] L. simile  
 21. *formidabile* ] L. reformidabile  
 22. *ipso* ] M. ipse  
 31. *ipso* ] V. ipse  
 18. *ne a te* ] L. G. ne ex te  
 574. 18. *ne a te* ] L. G. ne ex te  
 575. 1. *haec ut opinio* ] V. M. L. omittunt  
 11. *scripsisset* ] V. M. scripsisset  
 si ego graviter ] L. si ego graviter  
 47. *sunt, et sciam* ] L. sunt, eam-  
 que scientiam dialecticam ap-  
 pellam  
 576. 8. *ex nota* ] L. ex notatione  
 578. 2. *vivi* ] V. M. G. omittunt  
 14. *tabulis debetur* ] L. tabulis pateat  
 579. 8. *commissus* ] V. M. G. com-  
 missus non  
 15. *Reponatur* ] V. pugnat ... L. res-  
 pugnat  
 580. 11. *usur* ] L. usu  
 581. 2. *quo in vestrum uter, edet* ] L. quo  
 tecto in ejus aedes  
 584. 13. *aludere* ] L. alludere  
 587. 10. *obtinuisse* ] M. L. obtinere  
 588. 14. *quidam* ] V. quidam  
 589. 2. *contraria illa* ] V. M. L. contrarie  
 illa  
 9. *editio secundum* ] L. editio prio-  
 ris secundum  
 10. *factis nulla* ] M. factis factis nulla  
 13. *Ac loci* ] G. at loci  
 21. *videare* ] V. M. videar.  
 22. *non modo* ] L. nec modo  
 590. *ut, negat* ] L. evertit  
 593. 12. *alio sunt* ] L. alio ejusmodi sunt  
 15. *efficitur* ] V. M. G. efficitur  
 29. *hic* ] V. M. G. efficitur  
 594. 1. *etiam* ] M. L. etiam  
 28. *quid*

28. *quid sit* ] V. M. G. dicitur.  
 597. 3. *iracundia* ] L. ira  
 598. 8. *acer* ] L. acer  
 31. *certis* ] L. in certis  
 32. *in omnibus, aut in* ] L. delet in  
 599. 11. *primum ... secundum ... tertium* ]  
 L. prima ... secunda ... tertia  
 28. *in opinione* ] M. delet in  
 23. *consonantiae* ] V. mutatione  
 600. 5. *Explicatur ... si fugienda* ] L.  
 sine experientia ... sine fu-  
 genda  
 601. 2. *haec rei ... haec* ] haec rem ...  
 haec  
 602. 27. *haec continentia* ] G. ex continentia  
 603. 1. *qui appellantur* ] V. sed appellen-  
 tur ... M. sed appellantur  
 30. *pernotantur* ] L. concitantur  
 606. 10. *isidem de rebus* ] L. his de rebus  
 12. *requirit* ] L. requirit  
 607. 3. *autem* ] L. tamen  
 12. *quam causam* ] L. quam contro-  
 versiam, seu causam  
 609. 16. *sunt genus* ] L. sunt causarum  
 genus  
 610. 3. *iniquabili* ] L. iniquali  
 611. 11. *confus, praet* ] L. sonantiora, gran-  
 diora  
 612. 14. *levium* ] L. levium  
 613. 25. *versum versus* ] L. sursum versus  
 614. 15. *valent* ] L. valent  
 17. *facit* ] L. faciunt  
 615. 2. *collata* ] M. G. collocata  
 21. *obseruanda* ] V. M. G. conservan-  
 da  
 616. 29. *potestater* ] V. potestas  
 617. 7. *aliquando* ] L. aliquando  
 618. 16. *desolidatur* ] V. M. G. depellitur  
 19. *infinita* ] L. infinita  
 616. 2. *sumperunt ... vult* ] L. sumper-  
 rit ... vult  
 5. *conquerenda* ] L. tum querenda  
 8. *inventiuntur* ] L. inventiuntur  
 11. *que est* ] G. quae sit  
 17. *videtur* ] L. videtur  
 21. *si se* ] G. omittit  
 23. *proponendum* ] L. proponendum  
 20. *Nam de* ] G. nam & de  
 20. *quasi in se* ] L. quam vera infi-  
 cando  
 26. *in utraque parte* ] G. in utramque  
 partem  
 621. 5. *Facilis* ] L. facilis  
 13. *gravia* ] L. grandia  
 20. *grandibus* ] L. grandibus

21. *voce* ] V. M. G. vocis, vultus, &  
 gestus  
 22. *accommodanda* ] V. M. G. accom-  
 modata  
 25. *fort, diliget* ] V. M. diligenter forte  
 622. 2. *confutatio* ] L. confutatio  
 17. *concitantur* ] L. concitantur  
 623. 8. *non est* ] L. vim fit  
 18. *personis causam* ] L. personis con-  
 troversiam, seu causam  
 19. *notatum, propotium* ] G. notatum,  
 quod propotium  
 20. *Sed est confutatio* ] L. sed est pro-  
 potium  
 624. 6. *ex cogitatione* ] L. in cogitatione  
 625. 7. *ratio est* ] L. ratio fit  
 22. *propotium* ] L. propotiorum, seu  
 consultationum, controversia-  
 rum, seu causarum  
 17. *varium, unum* ] L. varium, tum  
 unum  
 627. 1. *dirigenda* ] L. digerenda  
 15. *qua, quod iam* ] L. que vero ea,  
 que iam audent, coheret  
 27. *completitur* ] L. amplietur  
 19. *capitula* ] L. accipiendis  
 628. 10. *perfecti* ] L. omittit  
 12. *ut summum* ] V. M. G. ac sono-  
 rum  
 22. *Est despicitur* ] L. & verze glori-  
 ae, laudisque studium, despici-  
 entia  
 629. 5. *tum qua* ] V. M. G. tum quod  
 30. *permagis interet* ] L. permagnum  
 est  
 630. 9. *commoda, aliqua* ] L. commoditate  
 etiam aliqua  
 12. *autem aliqua* ] L. autem etiam a-  
 liqua  
 14. *quod* ] L. omittit  
 631. 1. *alterum expolitum* ] L. G. alterum  
 humanum, expolitum  
 15. *Est genus* ] L. est omnino genus ...  
 sed malo  
 18. *qua vi* ] L. qua via  
 26. *Quod autem* ] L. equum autem  
 632. 13. *toto genere* ] L. toto in genere  
 33. *commendati* ] L. erunt commonen-  
 di  
 633. 8. *sunt* ] L. G. sunt  
 12. *disponitur* ] L. disceptatur  
 23. *non a me, non* ] L. non a me pe-  
 tere debuit, non  
 634. 14. *arguere* ] L. arguere  
 25. *ponitur* ] L. ponitur ... fateatur  
 635. 13. con-

635. 13. *confusa* ] M. fusa . . . L. diffusa  
 14. *angustam* ] V. M. anguliam  
 636. 14. *opponuntur* ] L. opponi possunt  
 18. *genere scripti* ] L. genus scripti  
 21. *suus* ] L. sine  
 25. *quo expediat* ] L. quo ei expediat  
 637. 20. *quid sit* ] L. quod eo fit  
 638. 9. *Siquae hoc* ] V. M. atque hanc  
 10. *quorum modo* ] V. M. quorum non  
 15. *in quo* ] L. in quo loco facinus factum fuerit, ut  
 27. *potuerit* ] G. potantur  
 639. 2. *Deinde etiam* ] deinde dicendum etiam  
 6. *& eos* ] V. L. G. aut eos  
 641. 16. *prevaricatoris* ] V. M. G. prevaricationis  
 22. *potuerit ad* ] L. potuerit accommodate ad  
 25. *accusatori in* ] L. accusatori sit in  
 27. *& ea quam* ] M. ad ea que  
 643. 16. *cum ceteris* ] L. a ceteris  
 31. *aliquid voluisse, aliquid sensit* ] L. aliquid voluisse & sensit  
 644. 20. *retrahatur* ] L. retrahetur  
 645. 7. *fuverunt* ] L. fuerunt  
 646. 5. *suus quodvis* ] M. suum cuiusque  
 648. 18. *in quo summa* ] L. in quo erunt summa
24. *aut si est* ] V. M. L. aut etiam sit est  
 649. 3. *Sed quatenus* ] L. sed qui habitus valuerunt ] M. voluerunt  
 ult. *arriuerunt* ] L. arriuerunt  
 650. 2. *habent* ] V. haberent  
 16. *verbum pro verbo* ] L. verbum verbo  
 30. *se Atticos* ] L. se esse Atticos  
 651. 8. *disturam se esse* ] V. M. dicturam esse  
 15. *sed quasi* ] V. G. omittunt sed  
 24. *posui hanc* ] M. posui ipse  
 25. *Goetas* ] V. M. G. hidem Andriam, & Synephebos : nec minus Terentium & Caelitum, quam Menandrum legunt. Nec Andromacham, aut Antioquam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium, & Pacavium, & Accium pœtius, quam Euripidem & Sophoclem legunt. Quod igitur  
 651. 8. *retulisset* ] V. detulisset  
 ult. *græcum, itaque* ] L. græcum, Causa autem fuit accusandi Crephontis, & Echini, quoniam  
 653. 10. *aut audendum* ] L. aut tam audendum

FINIS TOMI PRIMI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

SECRETARÍA GENERAL DE BIBLIOTECAS

